DE

ANTIQUA ECCLESIAE DISCIPLINA DISSERTATIONES HISTORICAE,

Excerptæ ex Conciliis OEcumenicis & Sanctorum Patrum, ac Auctorum Ecclesiasticorum Scriptis.

AUCTORE

LUDOVICO ELLIES DU PIN,

Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctore

Accesserunt in hac prima Itala Editione Animadversiones quædam, quibus nonnullæ Auctoris sententiæ partim explicantur, partim etiam confutantur.



NEAPOLI MDCCLXIX.

EXPENSIS GREGORII P. & MICHAELIS F. STASI

Ex Typographia Raymundiana

PUBLICA AUCTORITATE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google





Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO . MARCHIONI

BERNARDO . TANVCIO

FERDINANDI . IIII. PII . FELICIS . AVGVSTI

A . SANCTIORIBVS . CONSILIIS . ET . SECRETIS

VIRO . AD . PVBLICAM . FELICITATEM . NATO

IN . EXPEDIVNDIS . REGNI . VTRIVSQVE . NEGOTIIS

SOLLERTISSIMO

VERAE . VIRTVTIS . VERAEQVE . SAPIENTIAE

CVSTODI . INTEGERRIMO . VINDICI . ACERRIMO

IVRIS . QVA . PRIVATI . QVA . PVBLICI

LONGE . PERITISSIMO

SCIENTIARVM . PAENE . OMNIVM

RESTITVTORI . AC . PATRONO

QVI . LICET . NEGOTIORVM . HINC . ATQVE . HINC

CIRCVMLATRANTIVM

TVRBA . DISTENTVS

MVSIS . PRIMAEVVM . DECOREM

ADSERERE . FELICITER . CVRAVIT

ELIAE . DV PINII . DISSERTATIONES

VETVSTAM . ECCLESIAE . DISCIPLINAM . EXPONENTES

NEAPOLI . NVNC . PRIMVM . EDITAS

GREGORIVS P. . ET . MICHAEL F. . STASI

IN . OBSEQVENTIS . ANIMI . QVALECVNQVE . TESTIMONIVM

NVNCVPANT.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM TYPOGRAPHI.

Quæ a nobis fuerit adhibita diligentia, ut prima hæc non Neapolitana modo, verum & Itala Du Pinii editio omnibus numeris absoluta prodiret, non est, cur multis explicemus; quum satis, & super unicuique illam cum Gallicanis editionibus conferenti manifestum esse possit. Et sane præterquam quod eam innumeris, quibus Gallicanæ scatent editiones, erratis depurgavimus, novum insuper in ea ordinem instituere non abs re putavimus. Scilicet in Gallicanis editionibus Dissertationes nonnisi in Capita dispescuntur, interdum ita in longum protracta, ut fastidium cuilibet cierent; nos contra & Capita in Paragraphos, & Paragraphos in numeros distribuimus, quo Auctoris loca, vel indicare, vel indicata invenire facili negotio quisque possit. Tantummodo Animadversionum Auctor quum gravibus distentus curis editioni invigilare minime potuisset, conquestus est aliquot errata, licet levioris momenti, in ipsis Animadversionibus excidisse, quæ propterea majoris intelligentiæ caussa hic adponi jussit. Ac primo Animadversio pag. 25. *transferenda est ad* (*) paginæ 26. *& e contrario* Animadversio *adposita* paginæ 26. *adponenda est* (*) paginæ 25. *Tum* Nota pag. 99. *expungenda est a vers.* 32. *& adponenda* v. 21. col. 2. *Quæ supersunt errata pleraque ex eo exciderunt, quod auctor in conscribendis animadversionibus loca Du Pinii indicaverit juxta editionem Colonienſem, quam huic Neapolitanæ in paginarum consequentia responsuram credebat. Qua de re*

ERRATA		*CORRIGE*
Pag. 65. col. 1. v. 17.	num. 19.	pag. 93.
col. 2. v. 4.	num. 26.	pag. 69.
125. col. 2. v. 2.	pag. 154. & 158.	pag. 93. & 96.
189. col. 1. v. 4. & 6.	pag. 112. & pag. 235.	pag. 191. & pag. 205.
209. col. 2. v. 1.	pag. 336.	pag. 205.
106. ver. ult.	cur	cui
174. col. 2. v. 1.	quam	qua
206. v. 1.	Et facto	ex facto.

Postremo illud hic monitum Lectorem volo: scilicet Notas adpositas paginis 113. 119. 159. *&* 161. *non esse aliena manu adjectas, sed esse ipsiusmet Dupinii, & exstare in Editione Colonienſi an.* 1691.

Digitized by Google

Dissertatio I. De forma & distributione Ecclesiarum, præsertim quarto Ecclesiæ sæculo, ubi de Patriarchis, Metropolitis, illorumque jure & prærogativis agitur. *pag.* 1

Dissertatio II. De forma judiciorum Ecclesiasticorum, ubi de appellationibus adversus nuperam Christiani Lupi de illis lucubrationem. 57

Dissertatio III. De antiqua infligendæ excommunicationis ratione. 148

Dissertatio IV. De Primatu Romani Pontificis. 185

Dissertatio V. In qua probatur judicium Romani Pontificis non esse irreformabile. 207

Dissertatio VI. De Concilii generalis supra Romanum Pontificem auctoritate. 231

Dissertatio VII. In qua probatur Pontificem aut Ecclesiam nullam habere in Reges eorumque bona auctoritatem directam vel indirectam, nec posse Reges ab ipsis ullatenus deponi, aut eorum subditos a fide & obedientia eximi. 265

MO-

Digitized by Google

MONITUM AD LECTOREM.

QUANQUAM ſequentes Diſſertationes non eo conſilio fuerint compoſitæ, ut in unum volumen coirent, nec neceſſario videantur inter ſe connexæ; nihilominus tamen omnes tantam ſibi mutuo lucem afferunt, ut conveniens viſum fuerit, eas ſimul in lucem emitti. Dicturis quippe de Eccleſiaſtica πολιτείᾳ, primum fuit inquirendum quænam olim foret Eccleſiarum forma, a quibus, & quomodo regerentur, quod prima Diſſertatione præſtitum eſt. Quoniam vero adminiſtratio alicujus ſocietatis in judiciis præcipue conſiſtit, ideo ſecunda Diſſertatione de forma judiciorum fuſe tractamus. Hanc ſequitur tertia de antiqua excommunicatione, quæ pœna eſt a Judicibus Eccleſiaſticis infligenda. His præmiſſis Diſſertationibus, in quibus antiquæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ fundamenta exponuntur, Pontificis Romani Primatus Diſſertatione quarta ſtabilitur & explicatur; & in ſequentibus quædam prærogativæ ipſi falſo tributæ excutiuntur. Diſſertatione quinta ejus judicium irreformabile non eſſe demonſtratur. Sexta ipſum Concilii generalis judicio ſubeſſe oſtenditur, nec poſſe leges a Conciliis latas infringere. In ſeptima denique graviſſimis argumentis oſtenditur, nec Romanos Pontifices, nec Eccleſiam habere ullam ſive directam, ſive indirectam in temporalia auctoritatem, nec poſſe Reges Eccleſiaſtica auctoritate de throno dejici, aut illorum ſubditos a fide, & obedientia eximi. Hæc ſunt generatim argumenta ſequentium octo Diſſertationum, in quibus præter ea, quæ titulus ipſe indicat, multa alia ſtudioſe pertractata reperies, quæ tibi paragraphorum index exhibebit. Plura nunc in omnes Diſſertationes præfari nihil opus eſt, cum ſingulis ferme ſint affixa præloquia, quibus uniuſcujuſque Diſſertationis utilitas, & propoſitum breviter exponuntur.

Ne quis vero ſuſpicetur, me aliquo in Eccleſiam Romanam odio impulſum Diſſertationes iſtas in lucem emittere, conſilii mei ratio reddenda mihi eſt. Imprimis vero proteſtor, me Sedem Apoſtolicam, &, qui in ea ſedet, Innocentium XI. Pontificem venerari; Eccleſiam Romanam ut cæterarum omnium caput, vero & ſincero honore proſequi; ejus communionem, quam ſtudioſiſſime poſſum, fovere & amplecti; nec unquam me vel latum unguem a debita ipſi obedientia receſſurum. Verum tantum abeſt, ut putem Diſſertationes meas quidquam ejus auctoritati officere, ut e contra exiſtimem, eas hoc præſertim tempore ad adjungendos ei multorum animos utiles valde ac neceſſarias fore. Nam quo pacto innumeri pene extorres, qui Dei Optimi Maximi beneficio, ſecundis Regis Chriſtianiſſimi curis, in Gallia ad Eccleſiam acceſſerunt, Romani Pontificis Primatum & auctoritatem agnoſcent, niſi hujus poteſtas intra juſtos limites cohibeatur? quomodo ipſi debitam præſtabunt obedientiam & reverentiam, ſi odioſa & gravis Regibus, & populis oſtentetur.

Peſ-

Digitized by Google

Peſſime ergo illi de Sede Apoſtolica merentur, qui auctoritatem ejus nimium extollunt, & indebita Romano Pontifici privilegia quoquo tandem pacto tribuere non verentur; optime vero hi, qui divinum Romani Pontificis Primatum, & ſupremam ejus in Eccleſia auctoritatem ſolidis rationibus aſtruentes, quæ vel nullo nixa ſunt fundamento, vel Eccleſiarum libertati, & ſacræ Regum auctoritati adverſantur, tanquam odioſa & oneroſa Pontificibus rejiciunt. Hoc conſilio Cleri Gallicani anno 1682. congregati Patres, non tam ad libertates ſuas propugnandas, quam ad vindicandam Eccleſiæ Romanæ dignitatem, quid de Romani Pontificis poteſtate ſentiendum eſſet, ſolemni Decreto ſanxerunt.

Quod cum ita ſit, nemo reprehendere nos debet ob emiſſas hoc tempore in lucem lucubrationes, in quibus aſſerto Romani Pontificis Primatu, & legitima ejus poteſtate defenſa, falſa & adulterina, quæ ipſi ab aliquibus immerito tribuuntur, privilegia rejiciuntur & refelluntur. Cum præſertim quotidie in lucem emittantur aliorum Diſſertationes, in quibus ſub obtentu defendendæ auctoritatis Pontificiæ, Eccleſiarum libertates proculcantur, jura Regnorum attentantur, Conciliorum ſanctiones ludibrio habentur, ſacra Epiſcoporum auctoritas contemnitur, & ſolida πολιτεῖαι Eccleſiaſticæ fundamenta convelluntur. Talis eſt, ut de Chriſtiani Lupi de appellationibus opere nihil dicam, talis eſt, inquam, imprimis tractatus ſine auctoris nomine nuper editus, qui falſo titulum præfert, *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*: quo quidem in opere non modo Eccleſiarum noſtrarum libertates riſu & ſannis excipiuntur; ſed & Cleri Gallicani Antiſtitibus non uno modo illuditur. Talis etiam Scheleſtrati Diſſertatio de Concilio Conſtantienſi, quam ſequitur nuperrima ejuſdem confirmatio. Quid ergo licebit hujuſmodi hominibus Romani Pontificis auctoritatem invidioſam reddere, & nobis non licebit eam ab hujuſmodi opprobrio vindicare? Ex his abunde, ni fallor, intelligitur, quo animo Diſſertationes iſtas in lucem emiſerimus, & quanta ſit earum hoc præſertim tempore utilitas. Huc accedit injuncta cunctis, qui Theologorum albo accenſentur, propoſitionum Cleri Gallicani anno 1682. congregati defendendarum neceſſitas, ad quas, ut par eſt, tuendas, Diſſertationes iſtas haud omnino inutiles fore agnoſcent illi, qui eas attente perlegerint.

Cæterum illas ego Diſſertationes de Diſciplina Eccleſiaſtica hiſtoricas inſcripſi, tum ne quempiam titulus iſto arrogantior offenderet, tum etiam quia in his Hiſtoricum potius egi, quam diſputatorem. Hæc ſunt, de quibus monitum te volui, Lector erudite, utque ad meas Diſſertationes animo præjudicatis opinionibus libero accedas, etiam atque etiam te rogo. Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX
DISSERTATIONUM,
PARAGRAPHORUM,
ET CAPITUM,

In hoc de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina opere contentorum.

DISSERTATIO PRIMA.

DE forma, & diſtributione Eccleſiarum IV. præſertim Eccleſiæ ſæculo, ubi de Patriarchis, & Metropolitanis, illorumque jure, ac prærogativis agitur. pag. 1

Præloquium. ibid.

Paragraphus I., *de nomine Metropoleos, & Metropolitani.* 2.

§. II. *De nomine Primatis.* 3.

§. III. *De nomine Archiepiſcopi.* ibid.

§. IV. *De nomine Exarchi.* 5.

§. V. *De nomine Patriarchæ.* 6.

§. VI. *An Metropolitica, aut Patriarchica dignitas fuerit a Chriſto, vel Apoſtolis inſtituta.* 9.

§. VII. *Quando, cur, & quomodo inſtituta fuerit Metropolitica dignitas.* 11.

§. VIII. *Provinciarum, & Diœceſeon Eccleſiaſticarum diſtributio ad formam politici regiminis ſummatim deſcribitur, & præcipuæ in ea mutationes annotantur.* 13.

§. IX. *Diviſio tum Eccleſiaſtica, tum civilis Africæ deſcribitur.* 15.

§. X. *De Provinciarum Galliæ diſtributione, & præcipuis in ea Primatibus.* 17.

§. XI. *De inſtitutione, & limitibus Patriarchatuum.* 22.

§. XII. *De jure, & privilegiis Metropolitanorum.* 38.

§. XIII. *De privilegiis Exarchorum, ſeu Patriarcharum.* 44.

§. ULTIMUS. *In quo Concilii Nicæni ſextus Canon exponitur, & Provinciarum ſuburbicariarum limites inquiruntur.* 49.

DISSERTATIO II.

De forma judiciorum Eccleſiaſticorum, ubi de appellationibus adverſus nuperam Chriſtiani Lupi de illis lucubrationem. Præloquium. 57.

CAPUT PRIMUM. *In quo examinatur quæſtio juris.* 58.

§. I. *De Canone Concilii Nicæni.* ibid.

§. II. *Noſtra Canonis Nicæni expoſitio confirmatur ex ſequentibus Synodorum Decretis.* 60.

§. III. *Quid a Concilio Sardicenſi circa judiciorum Eccleſiaſticorum formam ſit novi ſtatutum, ubi de Canonum ejus ſenſu, & auctoritate.* 63.

§. IV. *Quænam diſciplina poſt Sardicenſem Synodum ſancita fuerit.* 71.

CAP. II. *In quo ex factis colligitur, quæ fuerit forma judiciorum Eccleſiaſticorum.* 87.

§. I. *Referuntur, & examinantur judicia, quæ Synodum Nicænam præceſſerunt.* ibid.

Primum exemplum, de Marcione. ibid.

De cauſa Aſianorum circa diem Paſchæ. 88.

De Fortunato, & Feliciſſimo. ibid.

De Marciano Arelatenſi. 89.

De Baſilide, & Martiali. 92.

De Dionyſio Alexandrino. 93.

De Paulo Samoſateno. 94.

De cauſa Cæciliani. 95.

§. II. *In quo referuntur, & examinantur cau-*

Digitized by Google

causæ IV. Ecclesiæ sæculo judicatæ. 96.
De causis Meletii, & Arii. ibid.
De causa Athanasii, Marcelli, Eustathii Antiocheni, Pauli, Lucii, & aliorum. ibid.
De Euphratæ, Saturnini, & aliorum in Occidente depositione. 99.
De Eustathii Sebasteni ad Liberium confugio. 10.
De causa Maximi, Nectarii, & Gregorii Nazianzeni; itemque de Meletii, Paulini, ac Cyrilli causis. ibid.
De causa Bonosi. 101.
De Causa Joannis Chrysostomi. 102.
§. III. *Referuntur, & examinantur exempla appellationum, quæ vulgo proferuntur in judiciis quinto, & sexto sæculo latis.* 105.
De causa Cælestii. ibid.
De causa Apiarii, & dissentione Episcoporum Africanorum cum Zozimo, Bonifacio, & Cælestino, circa Episcoporum appellationes ad Romanam Sedem. 106.
De causis Gallicanorum Episcoporum a Zozimi Pontificatu usque ad Leonis, & Hilarii Arelatensis contentionem. 123.
De causa Celidonii, & Hilarii Arelatensis. 125.
De nonnullis causis Illyrici. 129.
De causa Eutychis. 131.
De causa Flaviani. 134.
De causa Theodoreti. 136.
De Eutherii Thyanensis, & Helladii Tarsensis Epistola ad Xistum, necnon de Eutychianæ appellationis libello ad Leonem, quæ monumenta Lupo obstetricante prodeunt in lucem. 138.
De causa Joannis Talaiæ; necnon de exemplis judiciorum Ecclesiasticorum apud Græcos, usque ad divisionem Orientalis Ecclesiæ. 140.
§. ULTIMUS. *Nonnulla judiciorum Ecclesiasticorum in Occidente exempla cursim perstringuntur.* 143.
Epilogus. 145.

DISSERTATIO III.

De antiqua infligendæ excommunicationis ratione. 148.
Præloquium. ibid.
CAP. I. *A quibus, & quomodo inferretur excommunicatio.* 150.
CAP. II. *In quos, & propter quid ferri posset excommunicatio.* 158.
CAP. III. *De effectibus excommunicationis.* 179.

DISSERTATIO IV.

De Primatu Romani Pontificis. 185.
Præloquium. ibid.
CAP. I. *De Primatu beati Petri inter Apostolos.* 186.
§. I. *Utrum, & quomodo Primatus sancti Petri possit ex scripturis demonstrari.* ibid.
§. II. *Petri Primatus ex veterum testimoniis asseritur.* 192.
§. III. *Ostenditur nihil obstare Petri Primatui Apostolorum inter se æqualitatem, ubi recentior de Petri, & Pauli individuo Primatu sententia refellitur.* 194.
CAP. II. *De Romanæ Ecclesiæ primatu.* 196.
§. I. *Demonstratur Primatus Ecclesiæ Romanæ supra ceteras orbis Ecclesias.* ibid.
§. II. *De Primatu, quem ambiit Constantinopolitana Ecclesia; necnon de Græcorum recentiorum ea de re sententia.* 200.
§. III. *Sententia Wiclefistarum, Lutheranorum, & Calvinianorum de Ecclesiæ Romanæ Primatu refertur: huic subjicitur opposita Curialium Theologorum opinio; ac demum refertur, ac probatur aliorum Theologorum, & præsertim Gallorum doctrina inter utramque media.* 202.

DISSERTATIO V.

In qua probatur Romani Pontificis judicium non esse irreformabile. 207.
Præloquium. ibid.
CAP. I. *In quo ostenditur Romanos Pontifices non esse in judicando infallibiles.* 209.
§. I. *Docetur id ex scripturis.* ibid.
§. II. *Idem probatur ex veteris Ecclesiæ disciplina.* 210.
§. III. *Idem probatur exemplis Romanorum Pontificum, qui de facto a veritate deviarunt.* 211.
§. IV. *Ex recentiorum Pontificum pugnantibus*

Digitized by Google

tibus inter se definitionibus rejicitur infallibilitas. 216.
§. V. *Ex Romanorum Pontificum confessione probatur, eos non habere indeficientis judicii privilegium.* 219.
§. VI. *Rejicitur infallibilitas Pontificis ex Decretis Conciliorum.* 220.
§. VII. *Adducuntur Academiarum, ac præsertim Parisiensis adversus infallibilitatem Pontificiam Decreta.* 221.
§. ULTIMUS. *Ex Theologis idem docetur.* 222.
CAP. II. *In quo respondetur argumentis, quibus adversarii Romani Pontificis infallibilitatem suadere conantur.* 223.

DISSERTATIO VI.

De Concilii generalis supra Romanum Pontificem auctoritate. 231.
Præloquium. ibid.
§. I. *Potestatis Ecclesiasticæ immediatum subiectum esse universalem Ecclesiam.* 232.
§. II. *Majorem esse Concilii generalis, quam Romani Pontificis auctoritatem.* 236.
§. III. *Pontificem Romanum Concilii legibus teneri, nec posse illas pro libito irritare, immutare, quamvis possit ab iis sapienter dispensare in eo casu, quo Concilium dispensaret.* 240.
§. IV. *In quo probatur, Pontificem Romanum a Concilio judicari, & deponi posse.* 243.
§. V. *In quo Conciliorum Pisani, Constantiensis, & Basileensis circa propositam quæstionem definitiones referuntur, & ab adversariorum objectionibus vindicantur.* 247.
§. VI. *Respondetur iis, quæ a nupero quodam Scriptore ad elevanda, & eludenda Concilii Constantiensis Decreta objecta sunt, simulque Patres Constantiensis Concilii, necnon Basileensis, & Cleri Gallicani nuperrime congregati ab hujus calumniis vindicantur.* 249
§. VII. *Academiarum, & Theologorum asseritur auctoritas.* 257.
§. ULTIMUS. *Respondetur adversariorum objectionibus.* 258.

DISSERTATIO VII.

In qua probatur, Pontificem, aut Ecclesiam nullam habere in Reges, eorumque bona auctoritatem directam, vel indirectam, nec posse Reges ab ipsis ullatenus deponi, aut eorum subditos a fide, & obedientia eximi. 265.
Præloquium. ibid.
CAP. I. *In quo demonstratur, potestatem Ecclesiæ totam esse spiritualem, & in temporalia nullatenus extendi.* 266.
§. I. *In quo exponitur prima ratio, Christum scilicet, ut Ecclesiæ Caput nullam habuisse, aut exercuisse in temporalia potestatem.* ibid.
§. II. *Continens rationem secundam propositionis, potestatem scilicet a Christo Ecclesiæ collatam totam esse spiritualem.* 269.
§. III. *In quo tertia ratio exponitur, Christum nempe, & Apostolos omnem potestatem, & jurisdictionem temporalem ab Ecclesia amandare.* 270.
§. IV. *Seu quartum argumentum petitum ex testimoniis Romanorum Episcoporum, sanctorumque Patrum, quibus efficitur Ecclesiam in spiritualia tantum habere potestatem, non secus ac Reges in sola temporalia; ita ut neutra potestas a se invicem dependeat.* 272.
§. V. *In quo quinto argumento evincitur, Ecclesiam in temporalia nullam habere auctoritatem, eo quod per vim, gladiumque materialem homines cogere minime possit.* 274.
CAP. II. *In quo demonstratur, civilem potestatem de se, & ex natura sua independentem esse a spirituali.* 279.
§. I. *In quo probatur, potestatem regiam immediate esse a Deo, & ab illius potestate pendere.* ibid.
§. II. *Reges peccantes a nemine, præterquam a Deo temporali pœna plecti posse.* 283.
§. III. *In quo ostenditur, Ecclesiam non posse vi & armis resistere Regibus potestate sua abutentibus, sed teneri eos patienter ferre.* 285.
§. IV. *Principibus in rebus civilibus, & temporalibus omnes esse subjectos.* 289.
§. ULTIMUS. *In quo refellitur adversariorum*


Digitized by Google

rum opinio ex novitate. 291.
CAP. III. *In quo respondetur objectionibus.* 293.
§. I. *Respondetur auctoritatibus, & exemplis, quæ ex sacris litteris desumuntur.* ibid.
§. II. *In quo refutantur rationes, & inductiones Bellarmini.* 297.
§. III. *Respondetur rationibus ab exemplis sive a factis ad jus concludentibus.* 304.
De excommunicatione Theodosii. 305.
De privilegio Sammedardensi, aliisque similibus. 307.
De depositione Vambæ Regis Hispaniarum. 309.
De Gregorii II. encommunicatione adversus Leonem Isaurum. 311.
De depositione Childerici Galliarum Regis. 314.
De translatione Imperii a Græcis ad Gallos. 318.
De Ludovici Pii, & Lotharii exauctorationibus. 320.
De septem Electorum institutione. 323.
De tentata a Gregorio VII. Henrici IV. depositione. 327.
De Othonis IV. depositione. 332.
De Friderici II. depositione. 333.
De Ludovici Imperatoris exauctoratione. 337.
De tentatis in Reges Francorum depositionibus. 340.
De gestis Pontificum adversus Anglorum Reges. 346.
§. IV. *De Concilii Lateranensis IV. Canone 4.* 349.
§. V. *De Concilii Constantiensis in præsenti negotio sententiis.* 352.
§. VI. *Respondetur auctoritatibus Theologorum, & Canonistarum recentium.* 354.
§. VII. *De Decreto sacræ Facultatis Parisiensis adversus Henricum III.* ibid.
§. VIII. *De censura in libros libertatum Gallicanæ Ecclesiæ.* 355.
§. ULTIMUS. *De immunitate Clericorum.* 356.
Epilogus. 362.

Finis Tabulæ Titulorum, Dissertationum, Paragraphorum, & Capitum.

DE

Digitized by Google



DE
ANTIQUA ECCLESIÆ
DISCIPLINA
DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO PRIMA.

De forma & distributione Ecclesiarum, præsertim quarto Ecclesiæ sæculo, ubi de Patriarchis & Metropolitis, illorumque jure ac prærogativis agitur.

PRÆLOQUIUM.

OMNIS hominum societas, ut sit firma & stabilis, debet aliqua regiminis forma temperari; nam si sine ullis legibus homines inter se coïrent, si nulla certa ratione regerentur, si cuilibet, prout lubitum est, suis moribus vivere liceret, necesse foret societatem primum innumeris turbis belliſque confundi, ac deinde penitus dissolvi. Cum ergo Ecclesia sit societas hominum fidem Christi profitentium, necesse fuit aliquam formam regiminis in ea constitui, quæ licet pro varia temporum ratione non parum immutata fuerit, suas semper leges habuit, quæ primam per consuetudinem inolitæ, dein communi consensu receptæ, ac demum Synodorum decretis confirmatæ sunt. Istud porro præsertim quarto Ecclesiæ sæculo factum est. Nam Ecclesiæ Nascentis

Digitized by Google

initio, in illud tantum incumbebant Apoſtoli, ut fidem Chriſti per totum orbem ſpargerent, eamque docuiſſe, & ſingulis Eccleſiis Epiſcopos, qui eas regerent, præfeciſſe, contenti, nondum de exteriori Eccleſiæ πολιτείᾳ ſolliciti erant. At poſt diſſeminatam per totum orbem Chriſti fidem, de Eccleſiarum inter ſe invicem communione ac ſocietate, necnon de exteriori regiminis forma cogitari cœptum. Sic Joannes jam ſenior aliquam Eccleſiarum Aſiæ formam videtur conſtituiſſe. Hujus exemplum ſecuti Apoſtolici viri hanc ſpartam mirum in modum exornarunt: res deinde in conſuetudinem abiit, quæ pro lege tum erat: ac demum cum Religio Chriſtiana ſub Conſtantino externum ſplendorem accepit, tum veteres conſuetudines Synodorum Decretis confirmatæ, tum etiam nonnullæ novæ leges ſancitæ ſunt. Sed iis deinceps pro varia temporum ratione additum, vel detractum eſt, donec longa ſæculorum ſucceſſione ita immutatæ ſunt, ut vix agnoſci queant. Verum illud pro certo habendum, optimam ac convenientiſſimam fuiſſe diſciplinam quæ quarto Eccleſiæ ſæculo ſancita eſt, ac ſemper Eccleſiæ mentem fuiſſe, ut illa, quantum fieri poſſet, obſervaretur.

II. Immerito itaque nonnulli arbitrantur deſipere eos qui veterem iſtam diſciplinam ſtudioſe inquirunt, quaſi nihil ad nos pertineat, qui aliis moribus vivimus: namque licet antiqua illa diſciplina penitus reſtitui non poſſit, conandum tamen eſt ad eam, quantum permittunt mores hodierni, quam proxime accedere: deinde etiamſi nullus nunc eſſet ejus uſus, ejus tamen cognitio non omnino foret inutilis, tum quia ſine ea perfecta veteris Hiſtoriæ notitia nequit haberi; tum quia noſtra plurimum intereſt noſſe quam bene res noſtras olim geſſerimus; tum denique quia vetus illa diſciplina fundamentum eſt libertatis Eccleſiarum, cum ex ea perſpicere cuncti poſſint, quæ fuerint Romani Pontificis, quæ Patriarchæ, quæ Metropolitani, quæ Epiſcopi jura & Privilegia. Itaque in hac prima Diſſertatione veterem Eccleſiarum formam ac diſtributionem inveſtigamus, ut hoc veluti fundamento poſito, quæ deinceps de forma judiciorum, & Pontificis Romani poteſtate dicturi ſumus, ex iſta Diſſertatione lucem maximam accipiant.

III. In hac porro primum de nominibus Metropolitani, Archiepiſcopi, Primatis, Exarchi, & Patriarchæ, & de varia illarum vocum acceptione diſſeremus. Deinde de inſtitutione Metropolitanorum tractabimus. 3. Diſtributionem antiquam Eccleſiarum exponemus. 4. Patriarcharum inſtitutionem, numerum, & limites Diœceſeos illorum inquiremus. 5. Jura Metropolitanorum, & Patriarcharum, ſeu Exarchorum & Primatuum percurremus. Denique ſextum Canonem Nicænum eruditorum concertationibus celebrem explicabimus, & Eccleſiarum ſuburbicariarum limites figemus.

§. I.

De nomine Metropoleos & Metropolitani.

VOcabulum hoc μητρόπολις a quibuſdam derivatur ἀπὸ τῆ μήτρας καὶ πόλεως, hoc eſt a *vulva & urbe*, quaſi illa ſit, *urbs matrix*, ex qua coloniæ deductæ ſunt; atque hoc ſenſu uſurpatur a Thucydide *lib. 3. hiſt.* Iſidorus & Gratianus Metropolim dictam eſſe putant a menſura, quod omni veriſimilitudine caret. Ceteris igitur melius μητρόπολις eſt quaſi μήτηρ πόλις, *urbs mater*, prima & præcipua reliquarum veluti mater. Hoc ſenſu Athanaſius *in Ep. ad ſolit.* urbem Romam totius Romaniæ, hoc eſt imperii metropolim vocat, μητρόπολις ἡ ῥώμη τῆ ῥωμανίας, id eſt urbs prima ac præcipua totius imperii caput; ita etiam Euſebius *lib. 4. hiſt. cap. 1.* Lugdunum & Viennam urbes Galliæ metropoles appellat, id eſt urbes, ut ipſe ait, præſtantes & præ ceteris inſignes. Quoniam vero in unaquaque Provincia urbs eſt aliqua, quæ inter ceteras eminet, hæc dicta eſt Metropolis τῆ ἐπαρχίας, ſeu ſimpliciter Metropolis.

II. Hinc μητροπολίτης ſeu Metropolitanus proprie is eſt, qui μητροπόλεως civis eſt. Uſus tamen obtinuit, ut Metropolites tantum is dicatur, qui primariæ urbi præeſt; & idcirco totius Provinciæ curam aliquam gerit. Epiſcopus ergo Metropolitanus is dicitur, qui primæ urbi alicujus Provinciæ præ-

Digitized by Google

præpositus est, ac propterea quibusdam præ ceteris & in ceteras privilegiis ac juribus fruitur. Hac voce isto sensu usa est Synodus Nicæna *can.* 4. Post eam vero eodem sensu frequentissime occurrit, tum in Synodorum Decretis, tum in Scriptorum Ecclesiasticorum operibus; at ante Concilium Nicænum nullibi, ut puto, hoc sensu repetitur.

III. Præterea animadversione dignum est, quasdam fuisse Metropoles nomine tantum, quæ nullum jus Metropoliticum habebant, sed solum honorem: sic Nicænus Episcopus act. 13. Conc. Chalcedonensis tom. 4. Conc. col. 716. nomen Metropolitani obtinet, & præponitur ceteris Episcopis Provinciæ honore solummodo, ita ut subjaceat sicut & ceteri Antistiti Nicomediensi: ita etiam Chalcedonensis, & Berytensis Episcopi honorem tantum nomenque Metropolicum obtinebant.

§. II.

De nomine Primatis.

PRimas is dicitur, qui primum ac præcipuum locum alicubi obtinet, sicque tum in Republica, tum in variis hominum collegiis fuere quidam olim Primates; ita etiam Synodi Christianorum suos habuere πρωτεύοντας, id est Præsidentes ac Primates: verum Primates perpetui iidem olim fuerunt ac Metropolitani.

II. Sic Canone Apostolico 34. sancitur, ut Episcopi uniuscujusque gentis agnoscant eum, qui *in eis primus est*, & *existiment ut caput*. Hunc Canonem de Metropolitanis intellexit Antiochena Synodus.

III. In Concilio Carth. 2. Can. 12. *Placuit omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocumque loco sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare*. Hic absque dubio qui Metropolitanus est, Primas appellatur, non secus ac Canone 7. & 10. Concilii Chartag. 5. Eadem vox sæpius eadem significatione occurrit in Cod. Can. Ecclesiæ Africanæ Can. 17. 28. 86. 100. 120. 121. 125. & 127. Item in Concilio Taurinensi Canone 2. Metropolitica dignitas Primatus appellatur. *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a sancta Synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit civitatem suam esse Metropolim, is totius Provinciæ primatum obtineat*. Ita etiam S. Leo Ep. 53. quæ in edit. Quenellii est 80. *non convellantur*, inquit, *Provincialium jura Primatuum*, id est Metropolitanorum; statim enim subdit, *nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites*. Hæc autem profert eo quod Anatolius in locis Patriarchatui suo subditis Metropolitanos Episcopos proprio jure spoliasset. Idem Ep. 91. Theodorum reprehendit quod cum Metropolitano suo primitus de quæstione sibi proposita non contulisset, *quia*, inquit, *in causis quæ ad generalem observantiam pertinent, nihil sine Primatibus oportet inquiri*.

IV. Concil. Tolet. ann. 610. tom. 5. Concil. col. 1624. Toletanum Metropolitanum Primatem appellat. Denique Nicolaus I. in appendice Ep. Epist. 5. t. 8. Conc. col. 419. Metropolitanum appellat Primatem Provinciæ.

V. Hæc est vocis illius antiqua significatio, quæ postea mutata est, sæculis namque posterioribus Primas a Metropolitano distingui cœpit, huncque titulum arrogarunt sibi præcipuarum quarumdam sedium Episcopi, quo sensu vox ista sæpius legitur in Pseudo-epistolis primorum Pontificum, & in genuinis posteriorum. Atque hunc titulum habuerunt plures in Occidente magnarum urbium Episcopi, quibus quædam supra ceteras Ecclesias prærogativæ sunt attributæ. Sic apud nos Lugdunensis Galliæ Primas dicitur, & hoc honore nunc fruitur.

§. III.

De nomine Archiepiscopi.

VOx græca Ἀρχιεπίσκοπος aliquem inter Episcopos primarium sonat, quemadmodum Archidiaconus primum significat Diaconorum, & Archimandrita primum Monachorum: quapropter vocabulum istud

Digitized by Google

olim non passim, ut nunc fieri solet, usurpabatur, sed eximiis tantum ac primis Episcopis, & quidem rarissime tribuebatur. Nullibi ante quartum sæculum legitur; occurrit semel apud Athanasium in catalogo, quem Meletius Alexandro Episcopo dedit, in quo sic habetur: *Joannes jussus ab Imperatore, ut una esset cum Archiepiscopo,* μετὰ τῷ Ἀρχιεπισκόπῳ.

II. Denique Epiph. hæresi 68. quæ est Meletianorum, Archiepiscopi nomen sæpius Alexandro Alexandrino tribuit. *Meletius quidam*, inquit, *in carcere detentus erat . . . . . Petro Alexandrino Archiepiscopo . . . . . videbatur autem & Meletius præminere inter Episcopos Ægypti, ut qui secundum locum habeat in Archiepiscopatu post Petrum.* Et infra, *quando enim videret Petrus Archiepiscopus.* Et post alia, *pauci ad Petrum diverterunt Archiepiscopum.* Et hæresi 69. *quotquot enim in Ecclesia Alexandrina Catholicæ Ecclesiæ sunt, sub uno Archiepiscopo sunt.* Et infra, *Meletius etiam Archiepiscopus ex Thebaïde;* Item, *Archiepiscopus Meletius in Ægypto, verum subditus Alexandro.* Porro licet in rebus Meletii enarrandis graviter hic aberret Epiphanius, ex iis tamen colligere est vocem Archiepiscopi hoc tempore in usu fuisse, eoque significari insignem quemdam inter alios; Episcopum, qui ceteris quodammodo præesset. Denique eodem sæculo Marcellinus & Faustinus Presbyteri in libello precum ad Imperatores, Damasum vocant Archiepiscopum, *Eodem*, inquiunt, *tempore gravis adversus nos inhorruerat persecutio, incitante Damaso egregio Archiepiscopo.*

III. Verum usitatior postea fuit quinto sæculo vox ista, & paullo latius extendi cœpit, sic Act. 1. 2. & 6. Concilii Ephesini non semel *Archiepiscopus* appellatur *Cœlestinus* Romanus Episcopus, & sæpissime Cyrillus Alexandrinus, qui hunc titulum fere semper Epistolis suis præfigit. Eumdem quoque Joanni Antiocheno tribuunt Orientales in Pseudo-Synodo Ephesina. Et Soz. lib. 2. Cap. 7. Simeonem Ctesiphontis & Seleuciæ nobilissimarum Persidis Urbium Antistitem Archiepiscopi nomine insignit.

IV. Idem titulus Leoni sæpius tribuitur in inscriptionibus Epistolarum, quæ Concilii Chalcedonensis actis præmittuntur. Sed ibi videtur additus, cum ipse Leo nomen tantum Episcopi in posterioribus Epistolarum inscriptionibus assumat. In Concilio Constantinopolitano adversus Eutychem sæpissime Flavianus Archiepiscopus appellatur. In Chalcedonensi idem titulus tribuitur Leoni, Anatolio, Dioscoro, Cyrillo, Maximo Antiocheno, Juvenali Hieros., Proclo, & præter hos Thalassio Cæsareensi in Ep. Imperatoris ad Dioscor. col. 110. tom. 4. Conc. *Anastasio Thessalonicensi*. Act. 3. Conc. denique Act. 10. col. 677. Maximus Paschasinum & Lucentium Leonis legatos Archiepiscopos vocat. *Sicut*, inquit, *visum est sanctissimis Archiepiscopis qui locum sanctissimi Archiepiscopi Leonis retinent.*

V. Apud Evagrium & in Novellis sæpius Archiepiscopi nomen occurrit: sed vix aliis tribuitur quam Romano, Antiocheno, Alexandrino, Constantinopolitano, atque etiam interdum Hierosolymitano, Ephesino, & Thessalonicensi.

VI. In Concilio Constantinopolitano, ann. 536. non modo hoc nomine Leo & Mennas insigniuntur, sed & Act. 5. Epiphanius Tyri, & Isaacus Apameæ eodem epitheto non raro decorantur.

VII. Liberatus in Breviario Cap. 5. Capreolum Carthaginiensem, Joannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem, Juvenalem Hierosolymorum, & Flavianum Philippi Archiepiscopos appellat; quin etiam Cap. 17. generatim, ait Petrum Moggum ea conditione in sede permansisse, *ut susciperet Henoticon principis, & litteras mitteret Acacio, & Simplicio Romano, & ceteris Archiepiscopis.*

VIII. Item in Conc. 5. œcum. Archiepiscopi nomen Episcopis Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, Hierosolymitano, & collat. 2. tom. 5. Conc. col. 431. & sequentibus, Benenato Justinianeæ Episcopo tribuitur.

IX. Gregorius Magnus Archiepiscopi titulo insignit Anastasium Corinthi lib. 1. Ep. 26. Januarium Calaritanum lib. 1. Ep. 62. & 81. & lib. 2. Ep. 34. Marimanum Ravennensem lib. 7. initio, &. Ep. 50. Indict.

Digitized by Google

dict. 2. Eusebium Thessalon. lib. 1. Indict. 2. Ep. 6.

X. In sequentibus Conciliis usque ad sæculum octavum iisdem & aliis tantum insignibus Metropolitis tribuitur, ut Tyrio Nicopolitano, Corinthio, Ravennensi, Salonitano, Aquileiensi, Carthaginiensi, &c.

XI. At post hæc tempora promiscue usurpari cœpit de omnibus Metropolitis, atque etiam aliquando datus est nonnullis Episcopis, qui Metropolitico jure minime fruebantur. Unde factum est, ut apud Græcos recentiores longe plures essent Archiepiscopi quam Metropolitani: quia scilicet simplicibus Episcopis speciosum Archiepiscopi nomen sibi vindicare haud difficile fuit: at subjectas aliis Ecclesias sibi subdere non ita facile. Hac de causa occurrunt etiam in Italia nonnulli Archiepiscopi, ut in tractu Neapolitano, Rossanensis, Lancianensis, & Nazarenus, itemque in Sardinia Arborensis, quibus nulli subsunt Episcopi.

§. IV.

De nomine Exarchi.

Ἔξαρχος a Græcis dicitur Inceptor, Dux, & Princeps alicujus rei, hinc apud Homerum, & alios prophanos Præcentor dicitur ἔξαρχος, & Philo eum qui inter Therapeutas præcinebat ἡγέμονα καὶ ἔξαρχον vocat circa finem lib. de vita contemplativa pag. 902. Sic Exodi 15. v. 2. ubi habetur in vulgata, *præcinebat autem Maria*. 70. habent ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν μαριάμ, quæ propterea dicitur a Philone in vita Moysis mulierum ἔξαρχη: in eundem sensum recidit quod is, qui chorum ducit, dicitur ἔξαρχος, verum hæc acceptio omnino aliena est a proposito.

II. Propius ad illud accedit quod Plutarchus in Numa summum Pontificem ἔξαρχον ἱερέων appellat. Ab hoc sensu non multum abludit vulgata vocis hujus acceptio, secundum quam Exarchus dicitur is qui Diœcesi, hoc est pluribus Provinciis præest. Hoc sensu Ibas Edessenus in Concilio Berytensi, cujus acta referuntur act. 10. Conc. Chalcedonensis, ait se cum Cyrillum anathematizavit, secutum esse Exarchum suum Joannem Antiochenum, τῷ ἐξάρχῳ μου ἐξηκολουθήσα, & postea, *ego cum meo Exarcho & orientali Concilio abnegabam*. Item in Concilio Antiocheno, cujus acta referuntur ibidem act. 14. col. 745. dicit Stephanus Epiphaniæ, Athanasium Episcopum Perrhæ vocatum ab ἐξάρχῳ orientalis Diœcesis non venisse.

III. In Canonibus Concilii Chalcedonensis aperte ἔξαρχος distinguitur a Metropolitano, & ille præesse dicitur Diœcesi Can. 9. *Si quis Episcopus vel Clericus controversiam habeat Diœcesis Exarchum adeat*, & Can. 17. *Si quis injuria afficiatur a proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœcesis, vel Constantinopolitanam sedem litiget.*

IV. Posthac eodem plane sensu occurrit in Concilio 6. œcum. tom 6. Concil. col. 1029. ubi Philatlethes Cæsareæ, & Theodorus Ephesi Exarchi nomen assumunt, hic Asianæ, ille Ponticæ Diœceseos.

V. Itaque ἔξαρχος proprie is est, qui Diœcesi, hoc est pluribus provinciis præest. Aliquando tamen nomen istud simplicibus Metropolitanis tributum legitur, sic pro Metropolitano sumitur. in Græco Canone 6. Conc. Sardicensis, & Evagrius lib. 4. c. 11. ἔξάρχους vocat Metropolitanos, quos a Patriarchis Diœceseos, hoc est veri nominis Exarchis distinguit, *uniuscujusque*, inquit, *Diœceseos Patriarchæ inter se consenserunt, & singularum urbium Episcopi Exarchos suos secuti sunt*. At apud Græcos recentiores titulus Exarchi pluribus Metropolitanis tribuitur, ut Ancyrano, Ciziceno, Sardensi, Nicæno, Nicomediensi, Chalcedonensi, Lariseno, & similibus, ut videre est in notitia Andronici; quin etiam in Concilio Constantinopolitano sub Menna, Dalmatius Abbatum Primicerius Exarchus dicitur Monachorum urbis regiæ, quem titulum adhuc retinet is, cui cura Monachorum est commissa, a Patriarcha Constantinopolitano demandatur. Eumdem titulum sibi vindicavit Thomas Episcopus in Conc. Constantin. adversus Photium anno 869. Mitto quod Conciliorum Præsides ἔξάρχοι dicebantur, ut videre est in Conc. Ephesino act. 6. relat. ad Imperatorem tom. 3. Conc. col. 766.

Digitized by Google

766. Theodorit. lib. 2. cap. 22. Evagr. lib. 1. cap. 10.

§. V.

De nomine Patriarchæ.

PAtriarchæ vox quoque Græca eſt, quæ primum Patrum denotat, ſeu aliquem inter Patres inſignem : reperitur apud Tobiam, c. 6. v. 20. *Secunda nocte in copulatione ſanctorum Patriarcharum admitteris :* nihil tamen ſimile legitur in Græco. Exſtat eadem vox Paralip. 8. v. 28. *hi Patriarchæ & cognationum principes*, apud Septuaginta ἔτοι πατρίων ἀρχόντες, id eſt *primæ ac præcipuæ familiarum capita*. Eodem ſenſu reperitur apud 70. Numer. cap. 8. v. 2. cap. 31. v. 16. & cap. 32. v. 28. nec non 36. v. 1. 1. Paralip. cap. 7. v. 40. &c. 9. v. 9. Eſdræ 3. v. 12. ubi ſic deſcribuntur ἀρχόντες τ πατρίων οἱ πρεσβύτεροι οἱ εἶδοσαν τ οἶκον τ πρότον ἐν θιμελιώσει αὐτ. In novo Teſtamento eadem voce Judæorum Primores denotantur. Sic Act. 2. v. 29. David Patriarcha dicitur, & cap. 7. v. 10. de filiis Jacob idem dicitur. Heb. 7. v. 4. de Abraham. Eodem denique ſenſu vox iſta ſæpiſſime apud SS. Patres & Eccleſiaſticos Scriptores occurrit.

II. At Patriarchæ nomen prout dignitatem aliquam ſignificat, primum in uſu fuit apud Judæos, qui poſt everſam Hieroſolymam aliquos habuere Principes, quos Patriarchas appellare ſolebant. Nominat quemdam ejuſmodi Patriarcham Hellelum nomine Origenes, teſte Hier. in lib. 1. adverſus Ruffinum c. 3. tom. 2. De his ſic loquitur Epiphan. hæreſi 30. *ſunt autem hi poſt Patriarcham Apoſtoli appellati*, & infra, *Patriarcha autem illo tempore Hellel erat*. Et mox, *ex genere vero Gamaliel erat, qui apud ipſos* (Judæos) *Patriarcha fuit*. In Codice Theodoſ. lib. 16. tit. 8. non raro fit mentio Patriarcharum illorum, qui primum inter Judæos locum obtinuerunt.

III. Ejuſmodi Patriarchas poſtea ſublatos innuere videtur Theodoritus in Dialogo 1. *Judæorum*, inquit, *Patriarchæ, qui ex Herode alienigena derivantur, ipſi quoque omnino interierunt, & tempus præteriit, in quo eorum principatus finem cepit*. Quanquam hic fortaſſe per Patriarchas intelligit Archelaum, Philippum, Agrippam, & alios qui Herodi ſucceſſerant ante urbis Hieroſolymitanæ excidium.

IV. Ab iiſdem Judæis hoc nomen mutuati ſunt Montaniſtæ, ſi fides habeatur Hier. Ep. 54. ad Marcellam, *apud nos* (Catholicos) *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos* (Montaniſtas) *Epiſcopus eſt tertius, habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundos quos appellant Cenones, atque ita in tertium ac pene ultimum locum Epiſcopi devolvuntur, quaſi exinde ambitioſior Religio fiat, ſi quod, apud nos primum eſt, apud illos noviſſimum ſit.* Inde non modo colligere licet, fuiſſe quoſdam Patriarchas inter Montani diſcipulos, ſed etiam nondum per id temporis Patriarchas in Eccleſia ab Epiſcopis fuiſſe diſtinctos, nullumque hujus nominis inter Chriſtianos Antiſtitem exſtitiſſe : nihilominus tamen ante hæc tempora Patriarchæ vox, in Eccleſia cœpit uſurpari, ſed primum omnibus paſſim Epiſcopis accommodata eſt ; deinde vero Exarchorum fuit propria, ac poſtremo ſolis tribus aut quinque primarum orbis Romani urbium Epiſcopis reſervata fuit, quod in ſequentibus demonſtraturi ſumus.

V. S. Gregorius Nazianzenus bis Patrem ſuum Nazianzi modicæ urbis Epiſcopum, Patriarcham vocat, orat. 20. & 41. itemque in orat. 72. ad Patres 150. Concil. Conſt. *an non*, inquit, *publicas Presbyterorum, Epiſcoporum, aut ut aptiore verbo utar, πατριαρχῶν cædes*. Epiſcoporum & Patriarcharum nomen hic ſynonymum eſt, nullus enim ex iis qui poſtea dicti ſunt Patriarchæ, occiſus fuerat in perſecutione Conſtantii, de qua loquitur hoc in loco Nazianzenus.

VI. Gregorius Nyſſenus orat. de magno Epiſcopo tom. 3. pag. 589. Epiſcopos alloquens, *Videte*, inquit, *iſtos Patriarchas, omnes iſti filii noſtri Jacobi ſunt*. Ceterum hic tantum videtur nomen Patriarchæ, Jacobi filiis proprium, Epiſcopis per comparationem accommodare. Eodem quoque modo Nazianz. in fine carminis de Epiſco-

Digitized by Google

ſcopis ad diviſionem terræ ſanctæ alludere videtur, cum ait Epiſcopis: *Inſolentes eſtote, Patriarchias inter vos diſtribuite, magnus hic mundus vobis cedat*. Fortaſſe etiam alludit ad diviſionem Diœceſeon a Concilio Conſtantinopolitano primo, cujus hic Epiſcopos ſugillat, ſancitam, quamvis Concilium Patriarchatus voce non ſit uſum.

VII. Diverſo prorſus modo nomen Patriarchæ uſurpat Baſilius, reprehendit enim Ep. 412. & ſequentibus quemdam Glycerium Diaconum, *quod is neglecto Diaconatus officio virginibus ad ſe adductis Patriarchæ habitum & nomen aſſumſiſſet, non ex aliqua ſucceſſione aut pietatis ſtudio ad id inductus, ſed hanc vitæ rationem victus gratia ut alii aliam artem amplectens*. Enimvero Patriarchica illa dignitas, quam ambiebat iſte Diaconus, nihil aliud erat quam quoddam imperium in iſtas mulieres, quas ſibi ille ſociabat, cum Monaſticæ vitæ inſtituto conjunctum. Hinc idem Baſil. Ep. 414. *eumdem Glycerium reprehendit quod Monachorum cœtum infamia & dedecore afficeret*, minaturque ſe illum de gradu Diaconi dejecturum, *una cum choreis & ſtola quibus Juvenculas ducebat, non ad Deum, ſed ad perniciem*. Itaque Patriarchæ ejuſmodi erant aliqui Monaſticam vitam profitentes, qui mulieres quaſdam ſibi devinciebant, variaque illis ad vitam ſpiritualem præcepta tradebant, ut & nunc quoque facere ſolent non pauci Monachi, quos non inepte Patriarchas dixeris. Sic etiam Palladius in vit. Chryſoſt. Theophilum per deriſum Patriarcham appellat.

VIII. Primus igitur Patriarcharum nomine Exarchos videtur intellexiſſe Socrates *lib. 5. cap. 8.* ubi explicans Concilii Conſtantinopolitani 1. de diviſione Diœceſeon Canonem 2. hæc ait: *Patriarchas conſtituerunt Provinciarum diviſione facta*: & infra, *Ac Nectarius quidem urbem regiam & Thraciæ Provincias ſortitus eſt. Helladius vero qui Cæſareæ Cappadociæ poſt Baſilium erat Epiſcopus, Ponticæ Diœceſis Patriarchatum obtinuit, & una cum illo Baſilii frater Gregorius Epiſcopus Nyſſæ, quæ ipſa urbs eſt Cappadociæ, & Otreïus Epiſcopus Melitinæ in Armenia. Aſianæ autem Patriarchatum ſortitur Amphilochius Iconii, & Antiochus Antiochiæ Piſidiæ Epiſcopus. Ægypti Eccleſiarum adminiſtratio Timotheo Alexandrino Epiſcopo attributa eſt. Orientis autem regimen Epiſcopis illius regionis commiſerunt, Pelagio ſcilicet Laodiceæ & Diodoro Tarſi Epiſcopo, ſervata tamen prærogativa* (ſive privilegiis τὰ πρεσβεῖα) *Antiochenſi Eccleſiæ, quam quidem prærogativam Meletio præſenti tradiderunt: porro decreverunt ut ſi neceſſitas poſceret, Provinciæ cujuſque negotia Provincialis Synodus dijudicaret, quæ quidem Imperator conſenſu ſuo comprobavit*. Hanc poſtea Canonis 2. Conſtantinopolitani expoſitionem a Socrate traditam vindicabimus; interim advertiſſe ſufficiat eum nomine Patriarchæ & Patriarchatus non intelligere tantum tres præcipuas Romani Imperii ſedes, aut illarum Epiſcopos, ſed illos omnes qui Diœceſeon curam habebant. Idem lib. 7. cap. 31. ait: *Antonium quemdam Epiſcopum Germæ, in Macedonianos ſæviiſſe, mandatum Patriarchæ Neſtorii defenſionis loco prætexentem*. Verum non ſolus Socrates Patriarchæ nomen pro Diœceſeos Præſide uſurpavit, ſed eodem ſenſu in Conc. Chalcedonenſi legitur; at tom. 4. Con. col. 337. Glorioſiſſimi Judices & ampliſſimus Senatus dixerunt: *Si placet veſtræ reverentiæ ſanctiſſimi Patriarchæ ſingularum Provinciarum eligentes ſingulos, aut binos ſuæ quiſque Provinciæ in medium tranſeuntes & communiter de fide tractantes*. Nemo autem *neſcit fuiſſe in Orientali Imperio quinque Diœceſes quarum præcipui Epiſcopi Patriarchæ hic appellantur*. Quapropter actione 5. col. 560. nomine Imperatoris præcipitur, ut ex ſingulis quibuſque Diœceſibus Orientali, Aſiana, Pontica & Thracenſi (omittitur Ægyptiaca, quia illius Patriarcha fuerat depoſitus) necnon ex Illyrico Epiſcopi conveniant, & de fide cum Anatolio Legatiſque Romanis tractent. Unde ſequitur, Patriarchas illos, quos in unum primo convenire juſſerant Judices iſtarum Diœceſeon, Exarchos fuiſſe.

IX. At non orientalibus modo Patriarchæ nomen tributum hoc in Concilio legitur, verum etiam Leoni Romano Pontifici, tum ab Imperatore in Epiſtolis ad Valentinianum, & Placidiam col. 58. tum ab Epi-

Digitized by Google

Episcopis act. 1. ejusdem Concilii; quod refertur quoque ab Evagrio lib. 2. c. 18. Item act. 3. col. 405. & 412. ab Ischyrione, Athanasio, & Sophronio, idem beatus Leo vocatur Archiepiscopus & Patriarcha Oecumenicus. Denique Martianus in Epistola post Concilium part. 3. col. 861. Leonem appellat *Patriarcham sedis Apostolicæ maximæ Romæ*. Ita primum a Græcis Patriarcha dictus est Romanus Pontifex; nam inter Latinos nullum invenio, qui circa illud tempus Romanum Pontificem Patriarcham dixerit, nec ullum Antistitem Romanum, qui hunc sibi titulum arrogarit.

X. Evagrius lib. 3. cap. 6. ait a Timotheo restitutum fuisse *Ephesinæ Ecclesiæ jus Patriarchicum*, *quod illi ademtum fuerat a Chalcedonensi Synodo*, & lib. 4. cap. 4. ait, Justinum Imperatorem litteras misisse de Severo ad singulos Patriarchas. Ex quibus constat Evagrii tempore Patriarcharum nomen illorum omnium fuisse commune qui Diœcesibus præerant: quod etiam clarius fiet ex lib. 4. cap. 7. ubi ait, *uniuscujusque Diœceseos Patriarchæ inter se consenserunt, & singularum urbium Episcopi Exarchos suos secuti sunt*, id est Metropolitanos, ut observavimus antea, & cap. 7. lib. 6. ait, omnes, qui *ubique sunt*, *Patriarchas*, *partim per se*, *partim per Legatos adfuisse quæstioni* de absolutione Gregorii Antiocheni.

XI. In Africa primus Wandalorum Episcopus Patriarchæ nomen assumsit, quæ vox a Catholicis Episcopis in collatione Carthaginiensi cum risu excepta fuit, ut testis est Victor de persecutione Wandalica lib. 2.

XII. In Codice, & Novellis Justiniani sæpius nomen Patriarchæ tribuitur Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, aliquando tamen generalius de Diœceseon Exarchis intelligitur, ut Novell. 3. c. 2. Cod. lib. 1. tit. 3. cap. 47. tit. 46. c. 34. Novella 6. c. 3. Epilog. Novell. 7. & Epilogo Novellæ 123. c. 22. 23.

XIII. Athalaricus Ep. ad Joannem 2. apud Cassiodorum lib. 9. Epist. Ep. 15. vetat, ne pro ordinatione Pontificis Romani, plusquam tria millia solidorum exigantur. *Alios vero Patriarchas .... intra duo millia solidorum jubet expendere, in civitatibus autem suis tenuissimæ plebi non amplius quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant .... vos autem*, inquit, *qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis &c. quapropter si quis Apostolicæ Præsulem Ecclesiæ vel Patriarcharum Episcopum &c.* Athalaricum per Patriarchæ vocem universos Episcopos intelligere luce clarius est, horum autem Episcopum dicit Romanum Pontificem, quia ceteris Italiæ Episcopis præerat; atque hinc in fine Epistolæ, hæc ait: *vos quoque hoc universis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate.*

XIV. In Concilio Constantinopolitano anni 536. tribuitur Patriarchæ nomen Episcopis Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, & Hierosolymitano, nec non Epiphanio Tyri Episcopo actione quinta.

XV. In Concilio 5. œcumenico tribuitur Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino in 1. & 2. collatione: nam hic in ceteris vulgo Archiepiscopi nomine insignitur. Item actione 8. Hierosolymitano idem titulus tribuitur.

XVI. Post hæc in oriente vix nomen Patriarchæ aliis, quam quinque tributum leges. Romano nempe, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano.

XVII. At in Galliis nomen Patriarchæ præcipuis Metropolitanis alias Primatibus aliquando concessum legitur. Gregorius Turonensis lib. 3. hist. cap. 20. Nicetium Lugdunensem Patriarcham vocat. Itemque Concilium Matisconense anni 585. Priscum ejusdem sedis Episcopum t. 5. Concil. col. 980. *cum omnibus consacerdotibus eorum*, *Priscus Episcopus Patriarcha dixit*. Item Desiderius Cadurcensis Sulpitium Bituricensem, & Paullus Diaconus Callistum Aquileiensem Patriarchas nominant. Hincmarus Rhemensis in lib. Capit. 55. cap. 17. Patriarchas & Primates non distinguit.

XVIII. Notandum insuper, apud varias gentes illum Episcopum dictum esse Patriarcham, qui primum inter hujus gentis Episcopos locum obtinet, quapropter Nicolaus in responsis ad consulta Bulgarorum resp.

Digitized by Google

resp. 72. de ordinatione Patriarchæ Bulgari hæc ait: *requisistis*, inquit, *si liceat in vobis Patriarcham ordinari . . . cum incremento divinæ gratiæ fuerit ibi Christianitas dilatata, & Episcopi per singulas Ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non Patriarcha, certe Archiepiscopus appellandus sit.* Et respons. 73. a quo *sit Patriarcha ordinandus quæritis* &c. *vos tamen sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis &c.*

XIX. Ejusmodi Patriarchas habent qui sunt in oriente Christiani, in quo præter eos qui proprie dicuntur Græci, qui quatuor Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum retinuerunt, singulæ hæreses suos numerant Patriarchas.

XX. Suum habent Jacobitæ; suum Maronitæ; uterque Antiocheni nomen assumit. Cophtorum Patriarcha Alexandrinus dicitur, & Alexandriæ sedet; Abyssini Patriarcham habent, qui toti Æthiopiæ præest, licet Cophtensi Patriarchæ sit quodammodo subjectus. Præter hos Georgii Archiepiscopum habent ἀυτοκέφαλον & nulli subjectum. Armenii duos habent œcumenicos Patriarchas. Prioris sedes est Arard urbs Armeniæ: alterius Cis urbs Caramaniæ: sed de his plura dicendi non est locus.

§. VI.

An Metropolitica, aut Patriarchica dignitas fuerit a Christo, vel Apostolis instituta.

PRæmissis iis, quæ ad elucidationem vocum necessaria erant, sine quibus obscura fuisset tota nostra disputatio; ad eas quæstiones veniendum est, in quibus de rebus ipsis controvertitur. Inter eas illa primum tenet locum, quæ de origine & institutione Metropolitanorum, & Patriarcharum moveri solet. Sunt enim nonnulli qui Metropoliticam, & Patriarchicam dignitatem velint a Christo institutam fuisse; alii ab Apostolis id factum esse suspicantur; quam sententiam tuetur Petrus de Marca, utramque nos opinionem parum verisimilem esse censemus.

II. Et primum Metropoliticam aut Patriarchicam dignitatem a Christo institutam fuisse merum commentum est, quod ne verisimilitudinis quidem umbram habet. Christus enim non extra Judæam prædicavit, nec ullas gentilium urbes, quamdiu vixit, vel per se, vel per suos ad fidem convertit: dici ergo non potest, eum de facto Metropoles, & Patriarchias instituisse. Dici quidem posset, eum Apostolis præcepisse, ut post conversionem gentium Metropolitanos, & Patriarchas instituerent, sed hoc gratis fingitur, nec exstat ullum ejusmodi præceptum, sive in sacris Litteris, sive in antiquorum Patrum monumentis. Et sane, ut a prima Ecclesiæ institutione exordiar, Apostoli præcipuas orbis partes peragrarunt, nulli aut urbi aut loco addicti. Apostolis plures accessere comites, ejusdem laboris ac ministerii participes, quales Paullus, Barnabas, Crescens, Timotheus: illi innumeras pœne Ecclesias fundarunt, & ut inquit Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios, tam eorum qui crediderunt, quam qui crediturі erant, *Episcopos & Diaconos constituerunt.* Ubi vero illi e vivis excessere, qui, ab ipsis Apostolis constituti erant, in defunctorum locum *ab aliis celebribus viris cum consensu totius Ecclesiæ*, novi tum Episcopi, tum ministri constituti sunt.

III. Fatendum est quidem, Apostolos in aliquibus locis diutius esse demoratos, vel quia ita poscebat Ecclesiarum illarum, in quibus degebant, status; vel quia senio confecti multas Ecclesias jam fundarunt. Sic Joannes extremo suæ vitæ tempore Ephesi substitit, unde Ecclesias Asiæ regebat, ceteris Episcopis Apostolica dignitate superior; vel denique quia Ecclesias quasdam præ ceteris elegerant, in quibus mori voluerunt, ut Petrus, & Paullus Romanam. Negari quoque non potest, quin Apostoli ceteris, quos constituerant, Episcopis quodammodo superiores fuerint, ut de Paullo videre est, qui Corinthios tanta auctoritate reprehendit; sed de his non est quæstio: hoc unum controvertitur, utrum Apostoli aliquibus Ecclesiis a se fundatis, illarumque Episcopis peculiaria quædam jura aut privilegia præ ceteris, & in ceteras conces-

Digitized by Google

ſerint, illamque Patriarchatuum, Exarchatuum, & Provinciarum diviſionem inſtituerint, quæ poſtea in uſu fuit, vel aliam certe ſimilem: ut autem conſtet, num iſtud aliqua ratione probari queat, examinanda ſunt argumenta, quibus id adſtruit Petrus de Marca; cum enim nihil ille præterierit eorum, quæ in hujus ſententiæ gratiam dici poſſunt, ſi omnia ejus argumenta parum firma eſſe oſtenderimus, nemini dubium erit, quin gratis omnino id dicatur.

IV. Duo dicit Pariſienſis iſte Præſul c. 1. lib. 6. de concordia; unum eſt, *Apoſtolos orbem Eccleſiaſticum in provincias diſtribuiſſe ad exemplum diſpoſitionis civilis*: alterum vero, *Apoſtolos cum Eccleſias diſtribuerent in provincias, in animo habuiſſe, ut in iis corpus Epiſcoporum ſtatueretur ſub præſidentia Epiſcopi Metropoleos*.

V. Propoſitionem probat auctoritate Sanctorum Petri, & Paulli, quorum primus ſcribens ad novos Chriſtianos Ep. 1. cap. 1. compellat eos per Provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, & Aſiæ: alter vero diſtinguit Eccleſias Macedoniæ, & Aſiæ. Verum hæc ratio non probat Eccleſiarum in Provincias diſtributionem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe, ſed tantum diſtinctas fuiſſe Eccleſias, propter diſtinctionem urbium, & provinciarum. Eccleſiæ quippe nihil aliud ſunt, quam fideles (*): cum ergo fideles in variis provinciis degerent, non poterat melius deſignare Petrus illos, ad quos ſcribebat, quam provinciarum iſtarum nominibus. Alteram propoſitionem probat Marca ex illo Paulli Ep. ad Tit. c. 1. *reliquite Cretæ, ut conſtituas Presbyteros. Ecce*, inquit Marca, *Metropolitani inſtitutionem*: hæc eſt præcipua hujus ſcriptoris ratio, quæ tamen admodum levis. Si quid enim valeret, probaret, Apoſtolos Metropolitanos fuiſſe illarum omnium provinciarum, in quibus Epiſcopos ordinabant. Deinde libenter agnoſco, Titum toti Inſulæ præfuiſſe; ſed inde inferri nequit, Metropoliticam dignitatem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe; hoc enim privilegium erat Tito peculiare, nec ulli ſedi aut urbi alligatum. Denique Presbyteros illos a Tito inſtitutos Epiſcopos fuiſſe non omnino certum eſt: ſorte unus erat in Creta Titus Epiſcopus, ceteri omnes Presbyteri tantum. Nec refert, quod ſtatim Presbyteros iſtos Epiſcopos dicat Paullus: nomen enim Epiſcopi tam poteſt convenire Presbytero curam animarum habenti, quam nomen Presbyteri Epiſcopo. Secundo idem oſtendere conatur Marca ex eo, quod in Aſia quodlam fuerit corpus Epiſcoporum in modum Provinciæ, ut colligitur ex Apocalypſeos c. 1. ubi litteræ ſcriptæ ſunt ſeptem Angelis, ſeu ſeptem Epiſcopis Aſiæ, quorum unus erat Epheſinus. At quid iſtud ad propoſitum faciat vix perſpicio. Inter omnes Epiſcopos Aſiæ ſeptem compellat Joannes in Apocalypſi, ergo inſtituta tum erat Metropolitica dignitas. Quomodo unum ex altero ſequatur ego prorſus ignoro. Ejuſdem generis eſt ſequens argumentum. Paullus inſtruens Aſianos *ſcripſit ad Epheſinæ urbis incolas, quæ Aſiæ Metropolis eſt: Apoſtolum Epheſi commoratum eſſe per triennium in Actis legimus*: ergo inſtituta eſt ab ipſo Metropolitica dignitas Eccleſiæ Epheſinæ. Hæc ego conſectaria, tarditatem meam fateor, intelligere minime poſſum. Nec plus eſt roboris in quarto argumento: *urbs*, inquit, *Corinthiorum Metropolis erat Achaïæ, ut Florus annotavit: ideo igitur Paullus Epiſtolam ſuam ad Corinthios ſcribit, non ſolum pro illis, ſed etiam pro fratribus, qui erant in Achaia: Ergo nobile argumentum Metropolitici juris a Paullo obſervati colligitur ex ejus Epiſtola ad Corinthios*. Concedamus Marcæ, Paullum Epiſtolam ad Corinthios ſcripſiſſe, tum Corinthiis, tum Achaïæ fratribus, quia Corinthus erat urbs Metropolis Achaiæ; at quo pacto inde conficiet, propoſitum fuiſſe Paullo, ut Corinthi Epiſcopus Metropolitica jura in omnem Achaïam obtineret? Quippe Epiſtolam, quam univerſis Achaïæ civibus ſcribebat, inſcripſit ad Corinthios, quia urbs illa notior erat, & facile poterat Corinthiorum opera ad Achæorum omnium notitiam pervenire. Idem eſto

(*) *Intellige nomine fidelium non ſolum populum, ſed cum eo Epiſcopum, & Clerum; Eccleſia enim, ut inquit egregie Cyprianus, eſt* plebs Sacerdoti adunata.

Digitized by Google

esto responsum ad simile exemplum ex Epistola ad Thessalonicenses petitum, in qua Paullus simul ad omnes Macedoniæ fratres scribit. Hæc etenim, & alia ejusmodi probant tantum illas urbes, in quibus erant sitæ Ecclesiæ, Metropoles fuisse, necnon primas ac maximas totius Provinciæ, at Ecclesias ipsas Metropoliticas fuisse minime demonstrant. Ex dictis intelligere est, quam leves sint eæ rationes, quibus impulsus Marca, Metropoliticam dignitatem ab Apostolis institutam esse, seu potius ex illis fluxisse opinatus est.

VI. Nec magis probabilem Patriarchatuum institutionem asserunt ii, qui volunt eas sedes esse Patriarchicas, quas Petrus fundarat, atque hac de caussa Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ Ecclesiis jura Patriarchica concessa esse volunt. Nam si inde repetenda esset Patriarchatuum dignitas, innumeræ forent Patriarchales sedes, quia innumeras Petrus fundavit & rexit Ecclesias; latum ergo discrimen est inter Apostolicam sedem, & Patriarchalem: multæ etenim Ecclesiæ, quas Apostoli instituerunt & rexerunt, dici possunt, & olim dictæ sunt Apostolicæ, Patriarchicæ non item. Sic Tertullianus in lib. de Præscriptionibus: *percurre*, inquit, *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur*; atque inter eas nominat Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, quæ sedes Patriarchales nec sunt, nec unquam fuerunt. Quin etiam Hierosolymitana, in qua Christus tamdiu habitavit, in qua non modo Petrus, sed & ceteri Apostoli primis Ecclesiæ sæculis sederunt, Patriarchalis non fuit. Hanc tamen Aug. cont. litt. Pet. lib. 2. c. 5. Apostolicam facere, & cum Romana comparare non veretur (*). Alexandrina vero, quam Marcus Petri discipulus, non ipse Petrus fundavit, & rexit, secundum habuit inter Patriarchales sedes locum, quem deinceps Constantinopolitana obtinuit: ergo Patriarchalis dignitas non repetitur a dignitate eorum, qui Ecclesiam fundaverunt, & primi rexerunt.

§. VII.

Quando, cur, & quomodo instituta fuerit Metropolitica dignitas.

NUllam inter Ecclesias & Episcopos prælationem, nullam Patriarchicam aut Metropoliticam dignitatem ab Apostolis proprie institutam fuisse jam demonstravimus. Inquirendum igitur est, unde orta fuerit; eam enim antiquissimam esse nemo diffiteri potest. Res primum videtur ardua: sed ei, qui paullo attentius antiquam Ecclesiarum distributionem consideraverit, nihil jam supererit difficultatis.

II. Nemo non novit Imperium Romanum in regiones & provincias distributum fuisse, & regionum ac provinciarum quasdam urbes Primarias fuisse, seu Metropoles, unde ceteræ totæ pendebant. Itaque cum ad eas ob civilia negotia provinciarum incolæ convenirent, & inde tum judicia, tum etiam merces, & cetera, ut fieri solet, petere solerent: simile aliquid in rebus Ecclesiasticis Christiani fecêre, & sive cum ordinandus, aut deponendus erat Episcopus, sive cum aliqua divisio erat in Ecclesia, sive cum in commune de rebus Ecclesiæ deliberandum erat, cum jam non amplius supererent Apostoli, per quos hæc antea componebantur, urbis Metropoleos Episcopum adire par fuit, idque paullatim per consuetudinem invaluit, ac tota Ecclesiarum distributio ad formam Imperii facta est, urbesque Metropoles, Metropoles quoque fuerunt Ecclesiæ; & illarum Episcopus super universam provinciam potestatem habuit, tum ad ordinandos aut deponendos reliquos Episcopos, tum ad componenda Ecclesiarum dissidia, tum ad convocandas Synodos &c. ita tamen, ut sine comprovincialium Episcoporum consilio nihil faceret. Hæc consuetudo Canonibus deinde confirmata est, totaque Ecclesia ad formam politici regiminis disposita, & distributa est.

III. Eadem ratione urbes illæ, quæ Dioe-

(*) *Non quod Ecclesia Hierosolymitana cum Romana coæquetur in Primatu & prærogativis, sed quod in antiquitate & traditæ disciplinæ observantia comparari cum Romana quodammodo possit.*

Digitized by Google

ceſeos ſeu regionis alicujus, pluriumque provinciarum erant capita, ſucceſſu temporis quædam in ceteras jura obtinuere. Demum in tribus præcipuis totius orbis Romani civitatibus, Roma in occidente (*), Antiochia in oriente, & Alexandria ad meridiem, tres præcipuæ fuerunt Eccleſiæ, quæ primum inter alias honorem obtinuere, ſucceſſuque temporis quædam in illas jura, vel ſibi vindicarunt, vel a Synodis conceſſa receperunt. His acceſſit poſtea Conſtantinopolis, quæ ſecunda mundi urbs evaſit, & Hieroſolyma quæ hunc honorem non propter magnitudinem civitatis obtinuit, ſed propter venerationem illius urbis, in qua primum a Chriſto inſtituta fuerat Eccleſia, & ex qua Evangelium ad ceteras orbis partes perlatum fuerat. Non alio pacto conſtitutas eſſe Metropoles pluribus argumentis demonſtrari poſſet, nonnulla tantum hic proferemus brevitati conſulentes.

IV. Concilii Nicæni Canone 6. ſtatuitur ut in prærogativa & privilegiis Eccleſiarum τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατεῖτο, hoc eſt ut *antiqua conſuetudo obtineat*; noverant igitur hujus Synodi Patres, hæc Eccleſiarum jura & privilegia non eſſe inſtitutionis Apoſtolorum, ſed ex conſuetudine ortum habuiſſe. Ejuſdem Concilii Canone 7. ſancitum eſt, ut Æliæ Epiſcopo honoris prærogativa concedatur, *Metropoli* (Cæſareæ) *propria dignitate ſervata*. Quæ autem alia ratio Nicænos Patres potuit impellere, ut Cæſareæ Metropoliticum jus potius, quam Æliæ conferrent; niſi quod illa erat Provinciæ Metropolis, hæc non item.

V. In concilio Taurinenſi ſtatutum eſt, illi totius Provinciæ *primatum deberi, qui ſuam civitatem demonſtraſſet eſſe Metropolim*: quia ſcilicet non aliunde Metropolitanæ Eccleſiæ dignitas repetitur, quam ex ipſius urbis dignitate.

VI. Unde factum eſt, ut Epiſcopi Metropolitica jura ambientes Imperatores adirent, a quibus obtenta Metropoleos in urbis ſuæ gratiam dignitate, Eccleſiaſtica etiam Metropoleon jura, & Provinciæ ordinationes invadebant.

VII. Sic Valens in odium Baſilii Cappadociam in duas partes diſtraxit, unde ſecuta eſt Provinciarum quoque Eccleſiaſticarum diviſio, ut teſtis Naz. orat. 20.

VIII. In Concilio Chalcedonenſi act. 4. Photius Tyri, & Euſtathius Beryti inter ſe litigant de jure Metropolitico. Hic enim ab Imperatore Theodoſio reſcriptum per ſubreptionem obtinuerat, ut Berytus fieret Metropolis: quo impetrato Provinciarum Eccleſiaſticarum diviſionem in quadam Synodo Conſtantinopolitana fieri curaverat, & ordinationes multarum Eccleſiarum, quæ prius Tyrio ſubjectæ erant, invaſerat; Photio Epiſcopo Tyri excommunicationis & depoſitionis metu ad iſtam diviſionem approbandam adacto. Rogat ergo Marcianum Photius, ut hæc in irritum mittantur, ſuaque Tyrio Epiſcopo jura reſtituantur. Judicibus, & Concilio viſum eſt, negotium iſtud non ſecundum leges aut pragmaticas, ſed ſecundum Canones examinare. Lecto igitur Concilii Nicæni Canone, quo ſtatui videtur, ut unus ſit in una Provincia Metropolitanus, in gratiam Tyri Epiſcopi judicium fertur. Unde conſtat, Provincias Eccleſiaſticas ad formam civilium fuiſſe olim diſpoſitas, quandoquidem unus Metropolitanus unicuique Provinciæ præfectus fuerat.

IX. Act. 13. in cauſſa ſimili Nicomedienſis & Nicæni Epiſcopi, Nicomedienſi jus Metropoliticum vindicatur, eo quod Nicomedia fuiſſet olim urbs Metropolis, & ab eo excidit Nicænus, quod in ſacra Valentiniani & Valentis qua Nicænæ civitati tribuerant Metropoliticum jus, proprie præciperent ab aliis civitatibus nullum jus auferri. Quapropter honorem tantum Metropolitæ illi concedunt, non autem ejus jura & privilegia. Quod quidem generatim ſancitur c. 12. de omnibus iis urbibus, quæ in poſterum Metropolis nomine honoratæ fuerint ab Imperatoribus. Atque ideo id factum eſt, ne Epiſcoporum ambitio turbas

(*) *Ibi de Romanæ Sedis Patriarchatu agitur, non autem de ejus Primatu, quem habet a Chriſto, non ex ſolius urbis amplitudine. Idem obſervandum ad finem §. 7. ejuſdem Diſſertationis.*

Digitized by Google

bus passim in Ecclesiis excitaret, & formam Ecclesiæ jam stabilitam funditus everteret. Nihilominus tamen cum non modo urbs aliqua Metropolitica dignitate honorabatur, sed & Provinciæ dividebantur, non raro Ecclesiarum quoque status mutari solebat; idque decerni videtur Canone 17. ejusdem Concilii his verbis: *sin autem etiam aliqua civitas ab Imperatoria auctoritate innovata fuerit, civiles, & publicas formas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo consequatur*. Hinc multas videre est in Provinciis, & Metropolibus Ecclesiasticis mutationes, quas referre longum foret. Unum hoc addam, in Concilio Toletano anni 610. sub Bonifacio IV. Metropoliticam dignitatem Toletanæ Ecclesiæ assertam fuisse ob ipsius urbis dignitatem. *Sed hæc*, inquit Gundemarus in Synodo tom. 5. Conc. col. 1624. *ipsa sedes* (Toletana), *sicut prædictum est, antiqua nominis sui ac nostri cultu Imperii, ita & totius Provinciæ polleat Ecclesiæ dignitate, & præcellat potestate*. Deinde vero decernit eam esse non modo Carpetaniæ, ut quidam dicebant, sed totius etiam Carthaginiensis Provinciæ Metropolim, quia sciebat *procul dubio, Carpetaniæ regionem non esse Provinciam, sed partem Carthaginiensis Provinciæ . . . . & ob hoc, quia una est eademque Provincia, statuit, ut sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis Provincia, vel reliquæ ad regni regimina pertinentes, secundum antiqua Patrum decreta singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginiensis Provincia unum eumdemque*. Itaque in Hispania ad formam civilis regiminis dispositam Ecclesiam fuisse certissimum est. Ut autem cetera mittam, hoc generatim dico, in omnibus orbis partibus, excepta Africa, de qua postea dicemus, Ecclesias semper eodem fere modo distributas fuisse, quo & Imperii Provincias; Metropoles Ecclesiasticas annexas semper aut fere semper civilibus; cum mutatæ sunt civiles Metropoles, mutatas esse ut plurimum Ecclesiasticas. Eccui igitur dubium esse possit, quin istius tum distributionis Ecclesiarum, tum dignitatis Metropoliticæ origo ex sola Imperii distributione, & urbium ipsarum dignitate repetenda sit?

§. VIII.

Provinciarum, & Diœceseon Ecclesiasticarum distributio ad formam politici regiminis summatim describitur, & præcipuæ in illa mutationes adnotantur.

IMperium Romanum a temporibus Augusti in varias Provincias distributum fuisse nemo nescit; distributio hæc ab Hadriano, & postea a Constantino paullulum mutata atque accurata ab illo Imperii facta divisio est, universusque orbis Romanus quatuor Præfectis Prætorio ab eo commissus fuit; cum antea duo tantum totius Imperii Præfecti forent, ut testis est Zosimus lib. 2.

II. Primus Orientem, secundus Illyricum, tertius Italiam, quartus Gallias sortitus est. Sub istis Præfectis varias regiones Vicarii, & in nonnullis locis Proconsules regebant, & iterum sub istis Præsides, aut Correctores Provincias administrabant.

Sub Orientis Præfecto erant Diœceses quinque.

Prima est Diœcesis orientis, cujus caput erat Antiochia.

III. In illa decem numerabantur Provinciæ, Palæstina, Syria, Phœnice, Arabia, Cilicia, Isauria, Mesopotamia, Osroëna, Euphratensis, & Cypria. Sed hic numerus postea crevit, nam Palæstina in tres divisa est, quarum Metropoles erant Cæsarea, Scythopolis, & Jerusalem; Syria in duas, quarum Metropoles erant Apamea, & Antiochia; Cilicia itidem in duas, quarum Metropoles, Tarsus, & Anazarbus. Demum Phœnicia quoque in duas, quarum Metropoles fuere Tyrus, & Damascus. Præter has Metropoles dignitatem in eadem Provincia occupare conatus est Berytensis Episcopus, sed ejus conatus ab Imperatore Martiano, & Episcopis in Concilio Chalcedonensi act. 4. repressus est.

IV. Secunda Diœcesis, quæ Præfecto orientis parebat, est Diœcesis Ægypti, cujus caput Alexandria: in ea tres primum fuere Provinciæ, Ægyptus stricte, Pentapolis, & Libya, quibus addit Ath. in apol. 2. Thebai-

Digitized by Google

baïdem, & Amm. lib. 22. Auguſtamnicam. His adjecta deinde eſt Arcadia. Epiphanius hæreſ. 68. ſeptem Ægypti Provincias enumerat, Ægyptum, Thebaïdem, Mareotidem, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim; bis Mareotæ nomen in textum Epiphanii irrepſit, & in alterutro legendum potius videtur Marmaridis. Deinde vero advertendum eſt, Epiphanium hic non enumerare Provincias Metropoli ſubjectas, ſed tantum regiones; nam Mareote, ut teſtis eſt Athanaſius, Epiſcopo & Chorepiſcopo carebat, & regebatur tantum a Presbyteris. Verum tandem tota Ægypti Diœceſis in decem Provincias, totidemque Metropoles urbes diſtributa erat, ut conſtat ex Epiſt. Imp. ad Dioſcorum act. 1. Conc. Chalcedonenſis relata Col. 99. in qua jubet Dioſcorum Epheſum *venire cum decem reverendiſſimis Metropolitis Epiſcopis ejus Diœceſeos*.

V. Tertia eſt Diœceſis Ponti, cujus Metropolis eſt Cæſarea Cappadociæ, in ſex primum diviſa Provincias, Cappadociam, Galatiam, Armeniam, Pontum, Paphlagoniam, & Bithyniam. Quæ omnes, excepta Bithynia, in duas poſtea diviſæ ſunt. Præterea fuit in eadem Diœceſi Metropolis & civilis & Eccleſiaſtica Nicæa, ſed nomine tantum & honore, ut a nobis obſervatum eſt antea.

VI. Quarta Diœceſis eſt Aſiana, in qua una erat Provincia proconſularis Aſia, cujus Metropolis totiuſque Aſianæ Diœceſeos caput eſt Epheſus. Ceteræ octo Vicario Aſiæ parebant, Helleſpontus ſcilicet, Pamphylia, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Lycia, Caria, & Phrygia: quæ deinde in Salutarem, & Pacatianam, itemque Pamphylia in duas diviſæ ſunt. Præterea unus erat in Rhodo, alter in Lesbo Inſulis Metropolitanus.

VII. Quinta Diœceſis eſt Thraciæ, cujus olim caput erat Heraclea: deinde vero Conſtantinopolis: quinque in ea fuêre Provinciæ, Thracia, Rhodope, Hæminontus, Mœſia & Scythia.

VIII. Illyrici Præfecto duæ ſubjectæ erant Diœceſes. Diœceſis Macedoniæ, in qua octo numerantur Provinciæ, Proconſularis, Achaïa, Macedonia, Theſſalia, Epirus vetus, & nova, Creta & Prævalitana Provincia, quæ poſtea Daciæ juncta eſt. Totius regionis caput erat Theſſalonica.

IX. Item Diœceſis Daciæ, in qua quatuor tantum occurrunt Provinciæ, Dacia Ripenſis, & Mediterranea, Dardania, & Mœſia prima.

X. Italiæ Præfecto parebant duo Vicariatus Romæ & Italiæ, & præter hos occidentalis Africa, quibus poſt mortem Conſtantis Illyricum occidentale adjectum, prius enim Illyrici Præfecto parebat.

XI. In Vicariatu Romæ decem erant Provinciæ, 1. Campania, 2. Hetruria & Umbria, 3. Picenum ſuburbicarium, 4. Sicilia. 5. Apulia & Calabria, 6. Lucania & Brutia, 7. Samnium, 8. Sardinia, 9. Corſica, 10. Valeria.

XII. In Vicariatu Italiæ, cujus caput Mediolanum, Provinciæ, ſeptem 1. Liguria, 2. Æmilia, 3. Flaminia ſeu Picenum Annonarium. 4. Venetia, cui juncta poſtea Iſtria, 5. Alpes Cottiæ, 6. & 7. & utraque Rhetia.

XIII. In Illyrico occidentali, cujus præcipua urbs Sirmium, Provinciæ erant Pannoniæ duæ, Noricum utrumque, Mediterraneum & Ripenſe, Dalmatia & Savia, quibus addita eſt Valeria. De Africâ ſeorſim dicemus,

XIV. Præfecto Galliarum parebant Galliæ, de quarum diviſionibus agemus poſtea.

XV. Item Hiſpaniæ tunc temporis inquinque Provincias diſtributæ, quæ a Vicario regebantur, poſt Proconſulatum a Gratiano ſublatum: eæ ſunt Bœtica, Luſitania, Gallecia, Tarraconenſis, & Carthaginenſis.

XVI. Eidem Præfecto parebant Britanniæ tres, quæ poſtea in quinque regiones diſtributæ ſunt, additis Flaviâ, & Valentiâ, ſed hæc diſtributio poſt occupatam a Saxonibus Britanniam penitus commutata eſt.

XVII. Hæc eſt ſummaria Imperii Romani delineatio, ad cujus formam Eccleſia conſtituta eſt, ſunt tamen nonnullæ in quibus forma Eccleſiaſtica a civili non parum differt.

XVIII. Et primum quidem obſervandum eſt longe exactius in oriente, & Illyrico, Eccleſiam imperio reſpondiſſe quam in occidente: illîc enim vix ulla occurrit alicu-

jus

Digitized by Google

jus momenti diversitas, hîc vero non una; nam in Africa Metropoles Ecclesiasticæ non respondebant civilibus, in Italiâ vero quatuor tantum erant Metropolitani, Romanus, cujus Provincia latissime patebat, Mediolanensis, Ravennensis, & Aquileiensis, ac præter hos in Insulis adjacentibus, Siciliâ scilicet, & Sardiniâ, Syracusanus, & Calaritanus, posterioribus vero sæculis exorta est in Italiâ magna Metropolitanorum turba.

§. IX.

Divisio tum Ecclesiastica, tum civilis Africæ.

AFrica jam a Cypriani temporibus divisa erat in tres aut quatuor partes, Africam propriam, Numidiam, & Mauritanias, Cæsareensem nempe, & Sitifensem, ut colligere licet ex hujus Epistolis 45. & 71. itemque ex actis Concilii Carthaginensis sub ipso habiti. His Provinciis adjunctæ postea fuerunt Tingitana, Bibucena, & Tripolitana.

II. Africa Provincia erat Proconsularis, cujus urbs Metropolis erat Carthago totius Africæ occidentalis caput. In cæteris Africæ Provinciis Metropolis Ecclesiastica erat sedes senioris Episcopi. Hæc propositio multis momentis demonstrari potest.

III. 1. Quia certum est Metropolitanos Provinciarum non semper ejusdem fuisse sedis Episcopos; sic Numidiæ Metropolitanus erat Cypriani tempore Novatus Thamugadensis, deinde tempore Cæciliani Secundus Tisigitanus, postea Megalius Calamensis, & alii. Item Byzacenæ Mauritaniæque Sitifensis, & Cæsareensis variarum sedium Episcopos diversis temporibus habuêre Metropolitanos, ut constat ex subscriptionibus Africanorum Conciliorum.

IV. 2. Idipsum non obscure testatur Augustinus, cum quærit a Profuturo Epistol. 149. nunc 38. quis Megalii Calamensis in Primatu successor sit. *Successorem Primatui ejus nosse volumus*, & Ep. 261. nunc 299. (si tamen ejus est hæc Epistola quam multi eruditi in dubium revocant) scribit Cælestino Prisco Provinciæ Cæsareensis Episcopo Episcopatum esse relictum, eâ tamen conditione, ut ipsi non pateret aditus ad Primatum sicut cæteris: *Clamet*, inquit, *Priscus Provinciæ Cæsareensis Episcopus, aut ad Primatum locus sicut cæteris & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit*. Unde luce clarius infertur Primatum omnibus Africanis Episcopis patuisse, nec Metropoli civili annexum fuisse, quandoquidem Cæsareensis Antistes, qui Metropoleos civilis Episcopus erat, non privatur jure Metropolitico Ecclesiastico, sed aditus ei ad jus Metropoliticum intercluditur.

V. Epistola 217. quæ nunc est 59. excusat se Augustinus, quod ad Concilium Numidiæ vocatus a Victorino non venerit, eo quod senex Xantippus Tagosensis, rectius Tagorensis, Primatum sibi vindicaret, proinde & jus convocandi Concilii. Quod si Metropolitica jura urbi fuissent annexa, de Primatu nulla potuisset inter eos esse difficultas, cum manifestum foret, quæ urbs esset Numidiæ Metropolis. Ut autem liquido constet contentionem tantum fuisse de antiquitate Episcopi, non autem de urbis dignitate, consulenda est Concilii Milevitani anni 402. definitio, cui ipse Xantippus aderat Primatûs Numidiæ jure fruens, ut videre est Can. 53. Concilii vulgo Africani: hæc autem definitio ejusmodi est c. 56. *Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anteriobus oriatur*. Ex his intelligere est totam inter Episcopos Africanos dignitatem ab antiquitate Episcopatus fuisse repetitam; nullatenus autem ab urbis magnitudine, aut dignitate. Speciatim vero de Numidiâ idem constat ex Canone 53. in quo statutum est, *ut matricula, & Archibus Numidiæ apud primam Sedem sit, & in Metropoli id est Constantinâ*. Ecce apertam distinctionem Metropoleos Civilis, & Ecclesiasticæ. Præterea auctor vitæ S. Fulgentii c. 19. testis est, Fulgentium in Concilio Vincensi, Quodvultdeo in contentione de primatu Prælatum, jus suum illi postea cessisse, quo relato subdit Auctor iste: *Ubi sunt nunc illi*

Digitized by Google

illi, quibus eminendi super ceteros dominentur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vindicantes? Ecce Beatus Fulgentius nec Primatum, quem meruit, defendere voluit: Primatus ergo apud Africanos Episcopos ipsius Fulgentii tempore prioribus debebatur, nec ulli Sedi annexus erat. Hic mos in Africâ permansit usque ad tempora Gregorii magni; nam is lib. 1. Ep. 75. ad Episcopos Numidiæ statuit: *ut illorum consuetudo de Primatibus constituendis, cæterisque capitulis immota maneat, exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatus dignitatem, etiam cum ordo Clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibet.* Itaque tempore Gregorii inter Africanos Primatus non erat sedibus annexus, sed eo antiquiores omnes Episcopi indiscriminatim fruebantur, exceptis iis qui fuerant hæretici, quos ab hoc jure excidere vult Gregorius: quemadmodum olim Augustino teste ab eo exciderat Priscus.

VI. Quinetiam in Provinciâ proconsulari summus honos habebatur antiquiori Episcopo, licet eum præcederet Carthaginensis Episcopus, totius Africæ Primas. Sic in Concilio Carthag. 2. Victor Abderitanus, & in tertio ejusdem nominis Episcopus Pupianensis cæteris, excepto Charthaginensi, præferuntur: & de hoc Victore hæc ait Epigonius c. 54. cod. Can. Eccl. Africanæ, *ætate pater & ipsâ promotione antiquissimus, vir laudabilis frater & collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.*

VI. Uno verbo in Africâ tum honor, tum dignitas, tum etiam jura & privilegia Episcoporum tribuebantur antiquitati Episcopatus, non autem Ecclesiæ cui præerant dignitati. Id constat ex dictis, præcipue vero ex Epistolâ Augustini 207. in qua queritur, se tertium nominatum, qui haud ita pridem Episcopus erat, cæterisque, qui antiquiores erant, præpositum, idque luculenter confirmatur ex can. 56. Concilii Africani supra relato.

VIII. Cæterum ab hac lege semper excipiendus Carthaginensis Antistes, qui universæ Africæ Primas erat & Exarchus, seu, ut ita loquar, Patriarcha. Diu ante ipsummet Cyprianum Agrippinus hoc jure fruebatur. Is enim a Cypriano reliquorum Episcoporum Præses fuisse insinuatur, *quod quidem*, inquit, *& Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coepiscopis, qui illo tempore in Provinciâ Africâ, & Numidiâ Ecclesiam Dei gubernabant statuit.*

IX. Maxima quoque hujus sedis privilegia & jura in Epistolis Cypriani elucent: sic Ep. 45. totam Africam Provinciam suam vocat: *quoniam*, inquit, *latius fusa est nostra Provincia, habet Numidiam, & duas Mauritanias sibi cohærentes.* Hinc ex universis Africæ Provinciis consulitur, & respondet veluti magnam auctoritatem habens; ut videre est Ep. 59. 61. 70. 71. 73. & præsertim 65.

X. Post hæc tempora illa Carthaginensis Episcopi dignitas non est imminuta, ut videre est in omnibus Conciliis Africanis, in quibus Carthaginensis Antistes ceteris licet junior præfertur & præsidet: hinc forte Aurelius Episcopus c. 55. codicis. Afric. ait, se *multarum Ecclesiarum, & ordinandorum curam sustinere . . . & postea cunctarum se Ecclesiarum, dignatione Dei sollicitudinem sustinere*, quapropter conceditur ei ibidem, *ut unde vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinaret Episcopum.* Hinc etiam illius erat Paschæ diem cæteris Episcopis nuntiare, ut constat ex Canone 51. ejusdem collectionis.

XI. Hìc fortasse alicui veniet in mentem hæc quæstio, utrum melius & convenientius Metropolitica dignitas antiquitati, quam urbi fuerit affixa, de qua quid sentiam hic mihi videtur aperiendum. Censeo ergo, salvo aliorum judicio, longe satius, esse, ut Metropolitica dignitas urbi annexa sit, quam antiquitati sacerdotii, cum enim alicui sedi affixa est, is ad eam eligitur, qui huic dignitati sustinendæ par esse possit. At ubi ad omnes passim antiquitatis jure defertur, tunc ad minus idoneos pervenire potest. Præterquam quod senectus minus apta est ferendis laboribus, & illo caret animi ac corporis vigore qui in Metropolitano maxime desideratur. Itaque prudenter omnino Gregorius lib. 1. Epist. Ep.

Digitized by Google

Ep. 72. ſcribit ad Gennadium Patricium, & Patriarcham Africæ, ut *concilium Catholicorum* admoneat, *ut Primatem non ex ordine loci poſtpoſitis vitæ meritis faciat. Quoniam apud Deum non gradus elegantior, ſed vitæ melioris actio comprobatur: ipſe vero Primas non paſſim, ſicut moris eſt per villas, ſed in unâ juxta eorum electionem civitate reſideat.* Idem tamen Africanis Ep. 75. *conſuetudinem, quæ nihil contra fidem Catholicam uſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedit, ſive de Primatibus conſtituendis*, &c.

§. X.

De Provinciarum Galliæ diſtributione, & præcipuis in eâ Primatibus.

NUlla eſt regio, quæ tam varias ſortita fuerit diviſiones, ac Gallia. Nota eſt omnibus antiqua illa Galliæ diviſio in Comatam, & Bracatam; quam excepit altera in Belgicam, Celticam, & Aquitanicam. Hæc eleganter a Cæſare exponitur in Commentariorum præloquio. Nec prætermittenda eſt, licet minus celebris, Galliæ tum temporis diviſio in ſexaginta civitates ſeu populos, & 400. aut circiter Pagos, quam ex Strabone lib. 4. Tacit. lib. 3. Annalium, Vopiſco, Ptolemæo, Cæſare, Joſepho, & Appiano colligere licet, ut ſagaciter animadvertit eruditus Geographus Nicolaus Sanſon in notis ad tabellam antiquæ Galliæ. Auguſtus vero Galliam in quatuor partes diſtinxit, Belgicam, Celticam, Aquitanicam, & Narbonenſem.

II. Verum omnium diviſionum Galliæ exactiſſima, & celeberrima eſt in quatuordecim provincias: hanc tradit Rufus in Breviario, quod Valenti dicavit circa annum 365. Hæ Provinciæ ſunt in Narbonenſi, Narbonenſis, Viennenſis, Alpes maritimæ, & Alpes Graiæ: In Aquitania, Aquitanicæ duæ, & Novempopulania: In Celtica, Lugdunenſes duæ, & Maxima Sequanorum: Demum in Belgica, duæ ejuſdem nominis, & duæ Germaniæ, una ſuperior, altera inferior dicta. Ammianus eaſdem Provincias enumerat lib. 15. prætermiſſis duabus, Alpibus nempe maritimis, & Aquitaniâ 2. Paulo poſt Narbonenſis altera a Viennenſi avulſa eſt, & Lugdunenſes ſingulæ in duas diviſæ ſunt, ac univerſæ Galliæ Provinciæ ſeptemdecim numero fuerunt. Hoc ordine,

Belgica prima.	quarum Metropoles	Auguſta Trevirorum.
Belgica ſecunda.		Rhemi.
Germania prima.		Moguntiacum.
Germania ſecunda.		Colonia Agrippina.
Lugdunenſis prima.		Lugdunum.
Lugdunenſis ſecunda.		Rhotomagus.
Lugdunenſis tertia.		Turones.
Lugdunenſis quarta.		Senones.
Lugdunenſis quinta, quæ & maxima Sequanorum.		Veſontio.
Alpes Graïæ, & Penninæ.		Tarentaſia.
Viennenſis prima.		Vienna aut Arelatum.
Viennenſis tertia.		Aquæſextiæ.
Alpes maritimæ.		Ebredunum.
Narbonenſis, quæ & Viennenſis ſecunda.		Narbo.
Aquitania prima.		Bituricæ.
Aquitania ſecunda.		Burdigala.
Novempopulania.		Auſci.

III. Hæc eſt Galliæ diviſio, ad cujus formam olim Eccleſia Gallicana conſtituta fuit, ita ut ſingularum Provinciarum Metropoles civiles, eſſent etiam Eccleſiaſticæ

Metropoles. At in Narbonenſi magna fuit & diuturna de jure Primatus contentio inter Viennenſem, & Arelatenſem Antiſtites. Hìc etenim Metropoliticum jus in Viennenſem, & Narbonenſem Provincias, itemque in utraſque Alpes Graïas ac Maritimas ſibi aſſeruit, quâ in re aliquando faventes habuit Romanos Pontifices, aliquando adverſos.

IV. Primum de iſta contentione judicium a Synodo Taurinenſi latum eſt. Can. 2. his verbis: *illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis, & Viennenſis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a ſancta Synodo definitum eſt, ut qui ex eis approbaverit ſuam civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipſe juxta Canonum præceptum ordinationum habeat poteſtatem. Certe ad pacis vinculum conſervandum hoc conſilio utiliore decretum eſt, ut ſi placet, memoratarum urbium Epiſcopi unuſquiſque de his viciniores ſibi intra Provinciam vindicet civitates, atque eas Eccleſias viſitet, quas oppidis ſuis magis vicinas eſſe conſtiterit: ita ut memores unanimitatis atque concordiæ non alter alterum longius ſibi uſurpando, quod eſt alii propius, inquietet.*

V. Hæc Concilii ſententia duo continet; alterum ſummi juris, ut Primatum is obtineat, qui probaverit civitatem ſuam eſſe Metropolim: alterum διοροτικὸν, ut Provinciam inter ſe partiantur, & unuſquiſque illorum vicinas ſibi ſubjiciat Eccleſias, quod ab Epiſcopis factum eſt, ut hac viâ facilius utramque ad concordiam revocarent. Intelligebant enim demonſtrationem Metropolitici juris haud ita facile fieri poſſe. Vienna quippe jus illud Metropoliticum olim obtinuerat, ut ex Euſebio colligere eſt, qui urbem iſtam, & Lugdunum Galliæ Metropoles vocat. Sed ſucceſſu temporis eamdem dignitatem Arelatenſis civitas ambiebat a Conſtantino multis aucta privilegiis. Cum igitur de jure urbis Metropolitico contentionem non mediocrem fore cernerent, prudenter omnino conſuluerunt, ut unuſquiſque Eccleſiarum ſibi viciniorum curam gereret.

VI. Verum hanc ſopiendæ controverſiæ viam non admiſêre illarum Eccleſiarum Epiſcopi, præſertim vero Arelatenſis Eccleſia, quæ Primatum totius Narbonenſis tractus, & ſeptem, quæ in eâ erant, Provinciarum ambire non deſtitit. Extat apud Sirmondum in notis ad Sidonium pag. 147. edictum Honorii ad Petronium anno 418. latum, in quo Arelatenſis civitas ſeptem Provinciarum Galliæ Metropolis eſſe dicitur. Idem Arelatenſi Epiſcopo privilegium tribuerat Zozimus Epiſt. 5. ad univerſos Epiſcopos per Gallias & ſeptem Provincias. At Bonifacius in Ep. 3. ad Hilarium Narbonenſem queritur in Eccleſiâ Lutevenſi, quæ ſita eſt in primâ Narbonenſi Provinciâ, conſtitutum eſſe Epiſcopum a Patroclo Arelatenſi inconſulto Metropolitano. Quâ quidem ſententiâ reſcidit Zozimi Decretum. Huc alludit Leo Ep. 89. cum dicit, *privilegium illud, quod a ſede Apoſtolicâ Patroclo videbatur eſſe conceſſum, poſtea meliore ſententiâ ſublatum eſſe.*

VII. Poſt Patroclum hæc contentio ſub Hilario Arelatenſi recruduit, qui Projectum, & Celidonium Epiſcopos Narbonenſis, ut probabilius eſt, regionis, Epiſcopatu ſpoliavit, & in hujus locum alium ordinavit Epiſcopum, *ordinationes omnium per Gallias*, id eſt per ſeptem Narbonenſis regionis Provincias, *Eccleſiarum ſibi vindicans*, ut inquit S. Leo Ep. 89. ad quem hæc cauſa delata eſt. Is Hilario infenſus hæc ejus acta reprehendit, & acrem in ipſum Epiſtolam ad Viennenſes ſcripſit, impetravitque a Valentiniano Imperatore conſtitutionem ad Ætium Magiſtrum militiæ in Galliis, quâ jubet, ut Leonis Papæ in Hilarium lata ſententia executioni mandetur.

VIII. Hilario mortuo Ravennius in ejus locum ordinatus eſt: ad hunc primum litteras congratulatorias, & benevolentiæ plenas miſit S. Leo. Verum paulo poſt cum Vaſenſis in Provinciâ Viennenſi Epiſcopus e vivis exceſſiſſet, in ejus locum Ravennius alium ordinare tentavit Antiſtitem: hanc ordinationem ægre tulit Viennenſis Epiſcopus, & litteris ad Leonem miſſis de injuriâ ſibi factâ conqueſtus eſt. Epiſcopi vero diverſæ partis ad Leonem pro Arelatenſis Eccleſiæ dignitate libellum miſerunt. Tum S. Leo judicium ſibi ab utrâque parte delatum ultro ſuſce-

Digitized by Google

ſcepit, litemque diremit, relictis Viennenſi Epiſcopo *quatuor oppidis Valentiâ, Tarentaſiâ, Genevâ, & Gratianopoli, ut cum eis ipſa Vienna ſit conjuncta . . . . reliquas vero civitates ejuſdem Provinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate, & ordinatione conſiſtere jubet.* Hoc Beati Leonis Decretum, quod extat in ejus Ep. ad Comprovinciales Epiſcopos Metropolis Arelatenſis, confirmavit Symmachus Ep. 9. ad Galliæ Epiſcopos.

IX. Hiſce tamen Decretis nondum omnis altercatio ſublata videtur, nam in Concilio Francofordienſi cap. 8. idem Decretum renovatum eſt his verbis: *de altercatione Urſionis Viennenſis Epiſcopi, & Elifanti Arelatenſis lectæ ſunt Epiſtolæ B. Gregorii, Zozimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt, quod Viennenſis Eccleſia quatuor Suffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quintæ præmineret. De Tarentaſiâ vero, & Ebreduno ſive Aquis-ſextiis legatio facta eſt ad Sedem Apoſtolicam, & quidquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ definitum fuerit, hoc teneatur.* Ambiebant ſcilicet illarum Sedium Epiſcopi Metropoliticam dignitatem; licet enim Provinciarum eſſent capita, Tarentaſia quidem Alpium Graiarum, Ebredunum Maritimarum, & Aquæſextiæ Viennenſis tertiæ: nondum tamen ad Metropoliticam dignitatem evectæ fuerant, ſed Tarentaſia Viennenſi, & ceteræ Arelatenſi Metropolibus ſubjectæ erant. Idem quibuſdam videtur eſſe ſentiendum de Veſontione, & de Senonum ac Turonenſium urbibus in Galliâ Lugdunenſi, itemque Moguntiaco, & Coloniâ in Belgicâ, quas nonniſi progreſſu temporis Metropoles Eccleſiaſticas factas eſſe arbitrantur: ſed de his plura dicendi non eſt locus.

X. Ad illas Eccleſias venio, quæ primatum inter ceteras ambierunt, & a Pontificibus Romanis illum ſibi concedi poſtularunt. Ante omnia vero advertendum mihi videtur, primis Eccleſiæ ſæculis vix ulla Primatus inter Metropoles Gallicanas extare veſtigia, nec ullam præ ceteris eminentem ſedem deprehendi, ſeu, quod idem eſt, nullum fuiſſe olim in Galliis Exarchum, & Patriarcham, ſed ſingulos Epiſcopos cum Metropolitanis ſuis Eccleſiam in commune rexiſſe, quod ideo factum eſſe arbitror, quod nulla eſſet urbs in Galliis a quâ ceteræ omnes penderent, ut in aliis orbis partibus. Nonnullæ tamen Eccleſiæ privilegia quædam a Romanis Pontificibus obtinuerunt, quales Primatus, & Vicariatus dignitas.

XI. Primus omnium Arelatenſis Epiſcopus in Gallia Sedis Apoſtolicæ Vicarius a Zoſimo conſtitutus eſſe legitur. Ep. 5. hujus Pontificis ad Galliæ Epiſcopos, in qua tria concedit Arelatenſi ſedi. 1. ut qui Romam e Galliâ veniunt, litteras accipiant ab Epiſcopo Arelatenſi Patroclo 2. ut per Viennenſem, & Narbonenſem utramque ordinationes perficiat. 3. ut eas Parochias retineat, quas antiquitus habuit, etiam extra territoria ſua. Ex iis privilegiis poſteriora duo a Pontificis Vicariatu minime repetuntur, ſed a dignitate Sedis Arelatenſis; primum vero, quod *contemplatione meritorum* Patroclo conceditur, nullam illi tribuit in Gallias juriſdictionem, ſed iis legem ſatis incommodam imponit, qui Romanum Pontificem adire vellent, quam quidem locum non habuiſſe veriſimillimum eſt.

XII. Vicariatus hujus jura videtur latius extendere Symmachus Ep. 10. ad Cæſarium Arelat. t. Conc. 4. col. 1310. in quâ manentibus ſingularum Eccleſiarum privilegiis, decernit, *ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam in Hiſpaniæ Provinciis de causâ religionis emerſerint, ſolertia fraternitatis ejus invigilet: & ſi ratio popoſcerit præſentiam ſacerdotum, ſervatâ conſuetudine, unuſquiſque ejus auctoritate admonitus conveniat, &c.* Eumdem Vicariatum in Galliis confirmat Auxanio Vigilius Ep. 8. t. 5. Conc. col. 321. & Pelagius Epiſt. 12. Sabaudo ſimul Vicariatum in Galliis, & Pallium tribuit. Gregorius item magnus vices ſuas in regno Childeberti, uſumque Pallii Vigilio Arelatenſi concedit lib. 4. Ep. 40. ac demum Joannes VIII. ſuas in Galliâ vices Roſtagno Epiſcopo Arelatenſi commiſit. Poſt Arelatenſem idem titulus a Zachariâ Bonifacio Moguntino Epiſcopo delatus eſt. Epiſt. 5. tom. Conc. 6. p. 1504. id contigit circa annum Chriſti 750.

XIII. Rhemenſi Metropolitæ Primatum ſuæ Diœceſeos conceſſit Hadrianus primus Epiſt. 15. ad Tilpinum Rhemenſem Archiepiſco-

piſcopum tom. 6. Conc. col. 1789. anno Chriſti 772. Hadriani Decretum confirmarunt Benedictus III. Ep. 1. t. 8. col. 232. anno 855. & Nicolaus I. anno 863. ut videre eſt in Ep. 5. append. t. 8. Conc. col. 489.

XIV. Anno 844. Sergius Drogoni Metenſium Epiſcopo ſuum Vicariatum tribuit, tum quia avunculus erat Imperatoris, & Regum, tum etiam quia doctrinâ & ſanctitate conſpicuus habebatur. Hujus Pontificis Epiſtola extat t. 7. Conc. col. 1799. At Epiſcopi Gallicani hanc in eo dignitatem agnoſcere noluerunt, ejuſque privilegiis minime fruitus eſt, ut teſtis eſt Hincmarus cap. 30. adverſus Anſegiſum Senonenſem.

XV. Anſegiſus porro iſte Senonenſium Epiſcopus a Carolo Calvo Legatus ad Joannem miſſus, Legatione ſuâ defunctus a Joanne VIII. anno Chriſti 876. Vicariatum in Galliæ, & Germaniæ Provincias obtinuit per litteras Joannis ad Epiſcopos Galliæ, quæ extant Concil. tom. 9. p. 221. inter Joannis Epiſtolas numero 313. At Epiſcopi Gallicani in Concilio Pontigonenſi primatum Senonenſi Epiſcopo conceſſum abſolute admittere noluerunt, ſed tantum *ſervato ſingulis Metropolitanis jure privilegii ſecundum ſacros Canones, & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex iiſdem ſacris Canonibus promulgata*. Hæc habentur in actis Concilii ex Aimoino t. 9. Conc. col. 281. quapropter ſequentibus ſæculis nihil aliud juris in Gallias, aut Germanias habuere Senonenſes Antiſtites præter honoris nomen. Ceterum ipſe Joannes videtur iſtud qualecumque fuerit privilegii Anſegiſi perſonæ tribuiſſe, non ſedi Senonenſi, cum in reſcripto ſcribat, id ſe illi conceſſiſſe ob devotionem, & fidem erga Sedem Apoſtolicam.

XVI. Denique Gregorius VII. anno 1079. in Gebuini Lugdunenſis gratiam primatum Eccleſiæ Lugdunenſi conceſſit ſuper quatuor Provincias, Lugdunenſem, Rhotomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem; id ex ejus Epiſtolis diſcimus, quarum una eſt ad ipſum Gebuinum, altera ad Rhotomangenſem, Turonenſem, & Senonenſem Antiſtites. Extant t. 10. Conc. col. 220. & 221. in poſteriori Epiſtolâ diſtinctionem Diœceſeon, Provinciarum, Primatuum, Metropolitanorum, & Epiſcoporum ab Apoſtolis factam eſſe ex Pſeudo-Clementis Epiſtolâ ſuadet, jubetque ſupra memoratis Archiepiſcopis, ut Lugdunenſi Metropolitæ pareant. In primâ vero Epiſtolâ ſupponit Gregorius dignitatem primatus ab anteceſſoribus ſuis Lugdunenſi Eccleſiæ conceſſam fuiſſe, quod tamen probari minime poterat. Nullum quippe extat antiquius iſto in gratiam Lugdunenſis Antiſtitis Romanorum Pontificum Decretum, & ſi quod extitiſſet, haud dubie illius expreſſe mentionem feciſſent Gebuinus, & Gregorius. Itaque hæc hujus conſtitutio duobus fundamentis nititur, quorum utrumque parum habet firmitatis ac roboris. Quidquid ſit, illa varie a Gallis excepta eſt. Rodulphus Turonenſis Archiepiſcopus eam amplexus eſt: Richerius vero Senonenſis injuriam iſtam ferre minime potuit, Rothomagenſis item Decreto Pontificis parere noluit, quâ de causâ Urbanus II. Concilio Claromontano anni 1095. Richerio Senonenſi, Concilio adeſſe, & Lugdunenſi Epiſcopo parere *renuenti Pallii uſum, & ſuffraganeorum obedientiam interdixit*: eademque in Rhotomangenſem ſententiam tulit, niſi intra tres menſes ſubjectionem polliceretur. Id Decretum extat tom. Conc. 10. col. 517. & 518. a Marcâ primum editum, Richerius nihilominus a propoſito deterreri minime potuit, ſed ejus ſucceſſor Daimbertus Lugdunenſi Epiſcopo obedientiam pollicitus eſt, ut narrat Urbanus ep. ad Hugonem, edita a Petro de Marcâ in diſſertatione ad Conc. Claromont. & inſerta tomis Conciliorum, vid. t. 10. col. 565. Poſtea tamen Senonenſis Antiſtes Lugdunenſi parere reſpuit, ut colligere eſt ex Epiſtolâ Humberti Lugdunenſis, quam eodem in loco citat Petrus de Marcâ.

XVII. Porro ſi quæ fuerint Vicariis aut Primatibus conceſſa a Romanis Pontificibus jura noſſe velis, præſto ſunt ipſæ Pontificum litteræ, quæ id te nullo negotio docebunt. Illud autem advertas velim, hæc ſemper tempore creviſſe. Primum enim Zo-

Digitized by Google

Zozimus Arelatenſi Epiſcopo nihil aliud juris pro Vicariatu contulit, niſi ut omnes Clerici Romam aut ad alias regiones non irent ſine formatis ejus litteris. Quod quidem privilegium ei conceditur, ut aliquod documentum formatarum extet, quo confutari poſſent ii, qui Eccleſiaſticum gradum falſo ſimularent. Utrum autem æquum fuerit Zozimo legem iſtam Gallis imponere, quæ in ceteris regionibus non erat in uſu, & utrum poſtea locum habuerit, hîc inquirere nolo. At Symmachus tribuit ei poteſtatem Concilii ex Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopis, ſi cauſa religionis emerſerit, congregandi. Pallii honorem addidit Vigilius Epiſt. 6. & Epiſt. 7. Ubi vero jus congregandi Concilii confirmat, de Galliis tantum loquitur, non de Hiſpania, & ea lege illud concedit, ut ſi qua ſit gravior cauſa, quæ terminari minime poſſit a Concilio, ad Sedem ejus Apoſtolicam relatio fiat.

XVIII. Pelagius autem generalius Arelatenſi Epiſcopo concedit, ut ad inſtar in *Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineat, & quidquid ad gubernationem vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſervatis Patrum Regulis, & Sedis Apoſtolicæ conſtitutis faciat*. Præterea Pallium illi concedit, & renovat Zozimi de formatis Decretum. Denique Gregorius omiſsâ formatarum dandarum poteſtate Virgilio Arelatenſi Vicariatus in Regno Childeberti, jura ad tria revocat. 1. Ut fidem, Canoneſque ſervari in eo procuret. 2. Ut Synodum, ſi ſit opus, convocet. 3. Ut de controverſiis fidei, & rebus majoribus ad Sedem Apoſtolicam referat.

XIX. Moguntino Archiepiſcopo nihil aliud juris concedit Zacharias, quam ut ſuâ vice *prædicationem per univerſas Gallias* accipiat, ut ſi *repererit aliquem contra religionem Chriſtianam ſentire vel Canonum inſtituta, ſpiritaliter ad normam ſtudeat rectitudinis reformari*.

XX. Rhemenſi Primati jus ordinationum in totâ Diœceſi concedunt Hadrianus, Benedictus, & Nicolaus, ac præterea ut nulli ſit ſubditus, præterquam Sedi Apoſtolicæ.

XXI. Sergius Drogoni concedit, ut vice ſua ubique ceterorum Epiſcoporum neceſſitatibus miniſter exiſtat, eique in congregandis generalibus Conciliis ſuam commodat auctoritatem: præterea jubet, ut ad eum Synodorum Provincialium Decreta referantur, & appellationes ad Sedem Apoſtolicam primum audiat, & ut in Abbatum, & Epiſcoporum vitam inquirat.

XXII. Joannes VIII. Anſegiſo vices ſuas tribuit in convocandâ Synodo, & aliis negotiis exercendis per Gallias, & Germanias, utque Decreta Apoſtolica per eum in ceterorum notitiam veniant, ipſeque de majoribus negotiis ad eum referat.

XXIII. Demum Gregorius VII. Gebuino Primatum concedens jura Primatuum ſic deſcribit: eos dicit Metropolitanos eſſe ſuperiores, & ad eos *poſt Sedem Apoſtolicam negotia præcipua convenire, ut ibidem quibus neceſſe eſt clementer, & juſte reſtituantur, & ut hi, qui injuſte opprimuntur, juſte reformentur, atque ſulciantur: Epiſcoporumque cauſæ, & ſummorum negotiorum judicia, ſalvâ Apoſtolicæ Sedis auctoritate, juſtiſſime terminentur*.

XXIV. Itaque tota Primatus aut Vicariatus poteſtas a Romanis Pontificibus Epiſcopis Gallicanis conceſſa ad quatuor aut quinque capita revocatur. 1. Eſt Formatarum tribuendarum. 2. Convocandi Concilii Diœceſani. 3. Referendi ad Pontificem de majoribus cauſis. 4. Cavendi, ut Canones obſervarentur, fideſque illibata maneret. Quibus 5. additum eſt poſterioribus ſæculis jus appellationum a Metropolitanorum judiciis; quod ſolum obtinere videtur Lugdunenſis Antiſtes. At jus ordinationum Metropolitanorum Primatibus aut Vicariis numquam in Gallia conceſſum eſt, ſicut Theſſalonicenſi Vicario; quia Romanis Pontificibus non erat in votis eam Patriarchatui ſuo addere, ſed tantum in illam Primatui ſuo debitam auctoritatem exercere.

XXV. Præter hos Galliæ Primatus nonnullis in variis Diœceſibus Epiſcopi Primatum ambierunt; ſic Bituricenſis Primatum in Aquitaniam obtinebat, ut diſcimus ex Nicolao primo Epiſt. 19. ad Rodulphum Bituricenſem tom. 8. Conc. col. 504. Hanc ei dignitatem conſervare ſtuduit anno 1211. Philippus Auguſtus Epiſt. ad Innocen-

Digitized by Google

nocentium III. in quâ rogat eum, ut Biturícensi Ecclesiæ jus Primatus conservet: *cum sola*, inquit, *Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro Primatiæ obtineat dignitatem.*

XXVI. Multa etiamnum dicenda supereſſent, sed hæc dicta sufficiant, ut istarum rerum rudibus generalis antiquæ Galliæ notitia proponatur, cujus ope cetera peritis in memoriam revocari possint.

§. XI.

De institutione, & limitibus Patriarchatuum.

PAtriarchæ, ut jam observavimus, iidem olim fuerunt, ac Exarchi, seu Primates Provinciarum, atque hoc sensu antiquissima est illorum institutio. De his loquitur Concilium Nicænum cap. 6. ut fusius ostendemus postea, cum statuit, ut Alexandrinus Præsul *habeat Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est, similiter autem & apud Antiochiam, ceteraque Provincias privilegia serventur Ecclesiis.* Ubi tres præcipuos orbis Patriarchas nominat Concilium, ceteris vero non nominatis sua privilegia confirmat.

II. At Concilium Constantinopolitanum II. singulas orientis Diœceses sive Patriarchas distinguit Can. 2. *Qui sunt super Diœcesim Episcopi nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant, nec eas hac præsumptione confundant; sed juxta Canones Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto, regat solummodo, & orientis Episcopi orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asianâ Diœcesi, dispensent, necnon & Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis gubernent: non vocati autem Episcopi ultra suam Diœcesim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas . . . . . Ecclesias autem in Barbaricis Gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem, quæ est a Patribus observata.*

III. In primâ Canonis hujus parte quinque distinguuntur orientis Diœceses, & unaquæque Episcoporum suorum regimini committitur, ne scilicet alicujus Diœceseos Patriarcha, aut alii Episcopi, in alterius Diœcesim quidquam juris sibi vindicarent. Itaque licet clare & aperte non dicat, singulos in istis Diœcesibus Exarchos seu Patriarchas Diœcesi præfuturos, id tamen satis innuit. Nec multum a Canonis sensu aberravit Socrates, cum ait singulas Diœceses suis Patriarchis esse commissas, Thraciam Nectario, Helladio Ponticam Diœcesim, &c. Nonnullos equidem nominat, quos non modo Patriarchas, sed ne Metropolitanos quidem fuisse constat, quibus tamen Patriarchatum concessum esse scribit, quia administrationis hujus Diœceseos participes erant. Quod vero dicit Socrates, institutas esse ab hujus Concilii Patribus Patriarchias, exacte verum non est; hæ etenim Diœceses distinctæ erant antea, & per consuetudinem quædam jura ac privilegia Diœceseon Exarchis erant attributa, sed nondum ullo Canone tam exacta Diœceseon distributio sancita erat. Atque hoc sensu dici possunt ab hoc Concilio constituti Patriarchæ. Ex eo sane Canone constat, nullum jus fuisse Episcopo Alexandriæ, aut Antiochiæ in alias Diœceses, Asianam scilicet, Ponticam, & Thracicam. Ac proinde tum Alexandrinum, tum Antiochenum Patriarchatum Diœceseon Ægypti, & orientis limites non excessisse. Sua equidem servat Antiochenæ Ecclesiæ privilegia, sed in orientis tantummodo Diœceſi, prout ab Asianâ, Ponticâ, Ægyptiâ, & Thracicâ distincta est. Illud tamen animadversione dignum, quod in Canone soli nominentur Antiochenus, & Alexandrinus Præsules, quibus aliqua specialia privilegia reservantur, cum ceterarum Diœceseon administratio generatim omnibus Episcopis tribuatur, quod duplici, ni fallor, de causâ factum est. 1. Quia hi solum duo in Concilio Nicæno nominati fuerant præter Romanum, de quo non agit Concilium Constantinopolitanum. 2. Quia hi Patriarchæ ceteris eminebant, & longe majora jura ac privilegia obtinebant.

IV. Certum tamen est, Ephesinum, & Cæ-

Cæsareensem Episcopos aliquid præ ceteris Metropolitis habuisse privilegii, & Diœceseon suarum Exarchos ac Patriarchas fuisse. Et primum quidem Ephesinus Episcopus in Concilio Ephesino Asianorum omnium caput habitus est. Act. 5. Concilii tom. 3. Concil. p. 666. Alexandrini, & Ephesini Episcoporum *Sedes vocantur majores Throni, in quos nihil juris habebant Orientales*, & col. 655. Cyrillus, & Memnon appellantur caput Concilii, & Orientales in Ep. ad Imper. per Palladium missa col. 707. queruntur quinquaginta esse Ægyptios, & quadraginta Asianos sub Memnone *tyrannidis duce, & duodecim ex Pamphylia hæreticos, Messalianitarum nomine appellatos, præter alios eidem Metropoli adhærentes*. Deinde ordinatio Ephesini Episcopi pertinebat ad omnes Asianæ Diœceseos Episcopos, quod majoris sedis argumentum est: narrat enim Palladius, Chrysostomum, ut Heraclidem in locum Antonini Ephesinæ præficeret Ecclesiæ 70. Episcopos ex Lydiâ, Asiâ, & Carià convocasse. Idem etiam constare potest ex act. 11. Chalcedon. Concilii, in quâ Stephanus ait, se a 40. Episcopis ordinatum, ibidem Ephesus dicitur maxima, & illustris Metropolis. Hinc intelligere est, Ephesinum Episcopum universæ Diœceseos Asianæ curam habuisse, cum ad eum ordinandam ex omnibus Provinciis ejus Diœceseos Episcopi convenirent: quapropter hi in fine ejusdem actionis supplicant, ut Episcopus Ephesinus ordinetur in Provinciâ, secundum Canones. Aliter autem visum est Concilii Patribus, qui hoc privilegium Constantinopolitano Episcopo vindicaverunt. Demum Evagrius lib. 3. cap. 6. testis est, restitutam fuisse Ephesinæ sedi a Timotheo Æluro Patriarchicam dignitatem, a qua in Chalcedonensi Concilio exciderat.

V. Ut id intelligatur, adverte, jus ordinandi Metropolitanos omnes fuisse primum Exarchi Provinciæ, pariterque jus ordinandi Exarchi fuisse omnium Episcoporum Diœceseos. At Concilium Chalcedonense utrumque jus Exarchis Asiæ, & Ponti abstulit, hoc quidem act. 11. in qua misere deprecantibus Episcopis Asianis, ut Ephesinus Episcopus in Provinciâ ordinaretur, jus istud primum a Chrysostomo contra Canones, speciatim vero contra Concilii Constantinopolitani definitionem Constantinopolitano vindicavit Episcopo. Illud vero jus ordinandorum, tum in Asiâ, tum in Ponto Metropolitanorum, quod Exarchi, Episcoporumque Diœceseos proprium erat act. 15. c. 28. Constantinopolitano Episcopo attribuit, sicque Episcopum Ephesinum omni jure Patriarchico spoliavit; verum hoc illi postea restituisse dicitur Timotheus Ælurus Paulo Episcopo Ephesino *in Archiepiscopali sede collocato, qui jam prius ab Episcopis Provinciæ juxta antiquiorem consuetudinem ordinatus fuerat*, relictaque illi ordinandorum potestate.

VI. Cæsarea Cappadociæ eodem jure Exarchatus seu Patriarchatus in Diœcesi Ponti fruebatur. Hujus urbis Ecclesiam vocat Gregor. Nazianz. orat. 20. & Ep. 33. ceterarum matrem. Ipse Basilius hujus suæ in universam Ponti Diœcesim potestatis multa dedit indicia. Satalis in Armenia ad preces Satalanorum ordinavit Episcopum, ut videre est Ep. 183. & 187. idem Episcopum quemdam Frontonem Nicopolitanis contra jus ordinatum Episcopum, ut videre est Epist. 10. sententiâ suâ Episcopatu dejiciendum esse pronuntiat, jubetque Nicopolitanis Presbyteris, si quam secum partem habere velint, ut idem sentiant; quibus verbis indicat Basilius, se in Nicopolitanos habuisse potestatem. Idem Basilius totius Diœceseos Ponti Concilia indixit, quod est Primatis seu Exarchi, ut videre est Epist. 291. Sozemenus lib. 6. cap. 12. narrat Concilium Ponticæ Diœceseos Tyanis celebratum tempore Valentiniani sub Eusebio Cæsareæ Episcopo. Demum ut cetera mittam, Cæsareensis Antistes in Conciliis cæteris Metropolitanis prælatus est, ex quo satis colligitur eum Exarchi dignitate fuisse insignitum.

VII. Ceterum, ut ad Canonem Constantinopolitanum redeamus, constat ipsum diserte vetare, ne aut Alexandrinus, aut Antiochenus, aut ullus alius quidquam juris in Diœcesibus Ponti, Orientis, & Thraciæ sibi vindicet: sed ut illæ a Provinciarum suarum Episcopis regantur. Hanc, ut observavimus, sanctionem pessumdedit Concilium

Digitized by Google

cilium Chalcedonense, cum Constantinopolitano Episcopo Exarchorum, tum etiam Metropolitanorum omnium ordinandorum jus detulit, quod jam in pluribus locis invaserat.

VIII. Hæc de primis Patriarchis, qui iidem erant ac Exarchi, nunc de iis, quibus postea Patriarchæ nomen reservatum est, pauca dicemus. Porro si Patriarchæ nomine illos Episcopos intelligas, qui honore ceteros anteïbant, haud dubium est, quin antiquitus tres fuerint ii Patriarchæ, qui tribus præcipuis orbis Romani civitatibus præerant, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ: cum enim istæ urbes omnium primæ forent, non mirum est, si illorum Episcopi primum honorem, & locum occuparent. Eumdem postea honorem Constantinopolitanæ Ecclesiæ detulit Constantinopolitana Synodus, cum Constantinopolis secunda Imperii urbs effecta est. Similem forte honorem Æliæ seu Hierusalem concesserat Nicæna Synodus. Verum si Patriarchalem ita dignitatem spectes, nulla adjuncta habet præterquam honoris & præeminentiæ jura aut privilegia: inde tamen occasionem arripuêre istæ sedes peculiaria sibi in cæteras jura vindicandi, ceterosque tum Metropolitanos, tum etiam Exarchos subijciendi.

IX. Primum inter Patriarchas locum semper obtinuit Romanus Pontifex, qui præter Primatum, quo præ cæteris omnibus eminet, primum Provinciarum omnium, quæ Vicario Romæ parebant, potestatem habuit, ut infra demonstrabimus. Deinde vero in ceteras quoque Ecclesias, potestatem eamdem habere tentavit; atque hac de cau â Vicarios variis in locis instituit, atque inter alios Thessalonicensem Vicarium constituit, ut videre est in Epist. Innocent. I. ad Rufum Thessalonicensem, Bonifacii primi. item Cœlestini primi ad eumdem, Xisti ad Anastasium, & Leonis ad eumdem.

X. Hoc enim valde observandum est, potestatem illam, quam committunt Thessalonicensi Episcopo, non esse aliam, quam Patriarchicam seu Exarchicam in Illyricum potestatem.

XI. Verum in nullas allias Ecclesias, præterquam in Vicariatus Ecclesias ordinario jure Romanum Pontificem olim habuisse potestatem vere Patriarchicam, ex eo demonstratur, quod in nullas alias Provincias, ordinario jure per se Patriarchicis juribus usus est. Inter illa quippe jura præcipua est Metropolitanorum ordinatio, at Pontificem Romanum alibi quam in Vicariatu Romæ Metropolitanos aut Episcopos non ordinasse demonstrabimus. Quod vel ex eo solo patet, quod Vicarios in Galliis instituens, de ordinandis illarum Provinciarum Matropolitanis ne verbum quidem facit.

XII. Itaque Patriarchatus Romani limites non videntur excessisse Provincias eas, quæ Vicario urbis parebant, dicunturque a Ruffino suburbicariæ. Nam extra istas Provincias etiam in Italia Metropolitani Episcopos omnes ordinabant, & ipsi ab Episcopis Provinciæ ordinabantur. At in Sicilia, & Sardiniâ, & Provinciis suburbicariis non modo Metropolitanorum, sed & omnium Episcoporum ordinationes a Romano Pontifice fiebant, & nihil in iis Provinciis alicujus momenti sine ejus auctoritate regebatur. Hoc autem non solum in Provinciis suburbicariis Italiæ, ubi nullus erat Metropolitanus, sed & in Siciliâ ipsâ locum habuisse colligimus ex B. Leonis Epistola olim 4. nunc 16. ad Episcopos Siciliæ, ubi eos alloquitur his verbis: *quam culpam nullomodo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis*. Idemque confirmatur ex Gregorio primo lib. 5. Ep. 13. ad Rectorem Siciliæ de Lilybætano Clero petente licentiam a Romano Pontifice, ut sibi Episcopum eligeret. Itaque istarum Provinciarum non modo Patriarcha fuit summus Pontifex, sed & Patriarchicam auctoritatem peculiari quadam ratione exercuit. Nam Patriarchæ ceteri solos ordinabant Metropolitanos, ceteros vero Episcopos a Metropolitanis, saltem ex suo consensu ordinari sinebant. At vero Romanus Pontifex in Provinciis suburbicariis omnium Episcoporum ordinationes sibi vindicabat, & nullas in iis partes Metropolitanis relinquebat. Sed cum uniuscujusque civitatis Clerus, & populus aliquem elegerant, re-

fe-

Digitized by Google

ferebatur ad Romanum Pontificem, qui vel ordinandum Romam accerſebat, ut a ſe ordinaretur, vel aliquem ad ejus ordinationem delegabat. At in aliis Provinciis minime ſuburbicariis jus ordinationum Pontificem Romanum habuiſſe probari non poteſt. Imo conſtat non tantum Epiſcopos omnes a Metropolitanis, ſed & Metropolitanos ipſos ab Epiſcopis cujuſque Provinciæ fuiſſe ordinatos: ergo extra controverſiam eſſe debet, Romanum Pontificem in ſolis Provinciis ſuburbicariis primum ac præcipuum Patriarcharum jus habuiſſe. Quod vero ſpectat ad alterum jus Patriarcharum, convocandi ſcilicet Concilii Diœceſani, non reperietur Romanum Pontificem jure Patriarchatus ex toto occidente Synodum convocaſſe. Et ſiquando numeroſas Synodos, imo & generales convocavit, fecit id non Patriarchatus, ſed primatus jure & auctoritate, & ideo non poteſt dici Patriarchatum in totum occidentem habuiſſe. Nihilominus tamen ſucceſſu temporis Romanus Pontifex Patriarchatus ſui limites, quantum potuit, extendit: ac primo Illyricum ditioni ſuæ per Vicarios adjicere conatus eſt: deinde vero non modo totam Italiam, ſed & Gallias, atque Hiſpaniam Patriarchatus ſui limitibus comprehendi voluit.

XIII. Hic autem valde miror nonnullos eſſe, qui licet fateantur Romanum Pontificem non habuiſſe jus Metropolitanorum in toto occidente ordinandorum, contendant tamen eum fuiſſe totius occidentis Patriarcham. Cum enim Patriarchæ auctoritas, & Juriſdictio in eo præcipue jureconſiſtat, ſtatim atque illud Pontifici Romano in totum Occidentem non competiiſſe fatentur, neceſſe eſt ut agnoſcant, eum non fuiſſe proprie totius Occidentis Patriarcham. Quod ſi nihil aliud volunt, quam Romanum Pontificem fuiſſe inter Occidentis Epiſcopos primum ac præcipuum, atque hac de cauſa certam quamdam in totum Occidentem ſuperinſpectionem habuiſſe, non video cur iſtud juris intra Occidentem coercere velint, quod & in ipſum Orientem habebat. Nam vi Primatus ſui Romanus Pontifex non ſolam Occidentalium, ſed & Orientalium Eccleſiarum certam quandam curam habere debet, atque invigilare, ut ubique Canones obſerventur, fideſque illibata cuſtodiatur: quod jus ſi Patriarchicum dixeris, neceſſe eſt ut dicas Romanum Pontificem non Occidentis modo, ſed & totius orbis Patriarcham fuiſſe.

XIV. At quoniam adverſarii nonnulla proferunt teſtimonia, quibus ſuadere contendunt Diœceſim Romani Pontificis fuiſſe totum Occidentem, breviter ea nobis percurrenda ſunt, & quam parum roboris habeant oſtendendum.

XV. Primum argumentum petunt ex Epiſtola Synodica Concilii Arelatenſis primi ad Sylveſtrum, in qua Synodi Patres dicunt ipſum *majores tenere Diœceſes*, ergo, inquiunt, Occidentis Diœceſes tenebat, non autem unam tantum, ut nos arbitramur, Diœceſim Romæ cæteris omnibus minorem.

XVI. Verum nemo non deprehendit quam parum recte procedat argumentum, quis enim ferret iſtud ratiocinium: Pontifex Romanus majores Occidentis Diœceſes tenet, ergo omnes tenet? Deinde vero Diœceſeos nomen hic ſtricte non ſumitur pro Imperii Diœceſibus, ſed potius pro ſingulis iis Provinciis, quas Romanus Pontifex regebat, ut ſenſus ſit: tu, qui majoribus præes Occidentis Eccleſiis, ceteris Paſchæ diem per litteras ſignificabis.

XVII. *Secundo*, iidem adducunt, *Sancti Baſilii teſtimonium ex Epiſtola* 10. *in qua Romanum Epiſcopum vocat, Occidentalium Coryphæum*, id eſt Occidentalis Eccleſiæ Principem. Sed nihilo magis iſte locus ad propoſitum pertinet: nam ſi per vocem illam Occidentalis Eccleſiæ Principem intelligant eum, qui inter Occidentales primus eſt, & honore ceteros antecellit, (*) quod proprie per nomen χορυφαῖος deſigna-

D tur,

(*) *Non adeo acri ſtylo in Romanum Pontificem uſus eſt Baſilius, ut ipſum, nonniſi in vituperium, Occidentalium Coryphæum adpellaſſe dicendus ſit. Huc faciunt, quæ in Baſilii epiſtolam commentatur Clariſſ. Fleuri* Hiſt. Eccleſ. XVII. 31. *ſcilicet*. Ce que S. Baſile dit ici, que les Occidentaux affermiſſent l' here-

tur, hoc ſenſu Romanum Pontificem, tunc Occidentalis Eccleſiæ Principem fuiſſe quis dubitet? Verum ſi per Principem Occidentis eum intelligant, qui totum Occidentem regit Exarchatus, ſeu quod idem olim fuit, Patriarchatus jure, Romanum Pontificem hoc ſenſu Principem fuiſſe inficior, idque Baſilium exiſtimaſſe nego. κορυφαῖον enim appellat hoc in loco Romanum Epiſcopum non in laudem, ſed potius in vituperium, (*) Occidentalium faſtum incuſans: *Sin autem*, inquit, *ira Dei permanſerit, quale nobis auxilium ab Occidentalium ſuperbia, & faſtu aderit? qui veritatem neque norunt, neque dicere ſuſtinent, verum falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ in Marcello patrarunt. Nempe cum iis, qui veritatem ipſis annuntiant contendentes, hæreſim autem per ſeipſos ſtabilientes. Ego ſane volebam ad eorum anteſignanum* κορυφαῖον *ſcribere*. De Patriarchia & Juriſdictione Romani Pontificis ne quidem cogitat Baſilius. Sed eum vocat κορυφαῖον ceterorum, quia inter ceteros ejuſdem ſententiæ eminebat, quod recte reddidit interpres per vocem Anteſignanum.

XVIII. Tertio proferunt Auguſtinum, qui lib. 1. contr. Jul. c. 4. vocat Innocentium Eccleſiæ Occidentalis Præſidentem. Sed nihil inde aliud concludi poteſt, quam Pontificem Romanum inter Occidentis Epiſcopos primum eſſe: nam Africani nullam Juriſdictionem Patriarchicam Pontificis Romani in Provinciam ſuam agnoſcebant, ut colligere eſt ex geſtis in cauſſa Apiarii, de quibus alibi.

XIX. Demum objiciunt Hieronymum, qui in lib. adverſus Vigilantium, ſcribit *quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? his*, inquiunt, *verbis trium Patriarchatuum diſtinctos limites habemus. Orientis Eccleſiæ Antiocheni Patriarchæ ſacræ ditioni ſubditæ ſunt, vel potius tota ſunt illius ditio. Si tamen tres Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam exceperis. Ægypti finitimæque Eccleſiæ parent Alexandrino Patriarchæ. Quæcumque ſuperſunt Eccleſiæ id eſt Occidentales, ſunt Sedis Apoſtolicæ, Romanumque Epiſcopum ut Patriarcham agnoſcunt, & venerantur.*

XX. Reſpondeo Hieronymum diſtinctos Patriarchatuum limites hoc loco minime tradidiſſe, nec quidquam hic ſcripſiſſe, unde poſſint colligi. Tres præcipuas orbis Diœceſes nominat, ut illarum auctoritate impugnatam a Vigilantio diſciplinam defendat. At quam late pateant iſtæ, nullatenus dicit. Adverſarii vero illarum limites ita aſſignant, ut omnem argumenti ſui vim infringant, nam ſi Eccleſiarum Orientis nomine una tantum intelligitur Diœceſis, exceptis aliis tribus, cur non pariter *Sedis Apoſtolicæ* nomine intelligatur ſola Diœceſis Sedi Apoſtolicæ peculiaris ſeu Vicariatus Romæ?

XXI. Denique Sirmondus Patriarchatum Romani Pontificis per totum Occidentem porrigi probat Græcorum recentiorum teſtimonio & confeſſione, qui ad Canonem ſextum Nicænum ultro agnoſcunt totum Occidentem ad Patriarchatum Romani Pontificis pertinere, ut Zonaras qui ad hunc Canonem hæc habet: *Alexandrinum*, igitur, *Epiſcopum iis, qui in Ægypto, Lybia, Pentapoli ſunt, præſidere jubet, Antiochenum, ſubjectis ſibi Provinciis nimirum Cœleſyriæ, Ciliciæ utrique, Meſopotamiæ; at alios Epiſcopos ſuis quemque regionibus præeſſe; quemadmodum & Eccleſiæ Romanæ Antiſtes ut Occidentales Provincias regeret, mos obtinuit*. Adjungit huic Balſamonem & alios

---

l'hereſie, ne peut marquer aucun ſoupçon de leur doctrine: il a ſouvent rendu temoignage a la purité de leur foi: il veut dire ſeulement, que leurs preventions contre les defenſeurs de la Foi catholique, comme S. Melece, &c. S. Euſebe, donnoient un grand avantage aux heretiques; e l'ignorance, dont il les accuſe, n'eſt que l'ignorance des faits; & de ce que ſe paſſoit en Orient. Ce qu'il dit de dur contre le pape, ne reguarde que la perſonne de S. Damaſe, qu'il ne connoiſſoit que de loin: pour l'autorité du S. Siege, &c. *la neceſſite d'y avoir recours*, il la marque aſſez dans ſes lettres a S. Athanaſe. & aux Occidentaux.

(*) *Non honore duntaxat, verum & auctoritate ceteros antecellit Romanus Pontifex; ſi minus jure Patriarchico, ſaltem jure Primatus, quod & Auctor agnoſcit, ut infra videbimus. Id hoc loco pro reliquis monitum velim.*

Digitized by Google

& alios Græcos recentiores qui fatentur Patriarchatum Romanum extendi per totum Occidentem. Unde Theſſalonicenſem, Corinthium, Nicopolitanum, Athenienſem, Patrenſem Metropolitanos a Diœceſi Romani Pontificis avulſos, & ſedi Conſtantinopolitanæ ſubjectos eſſe conſtat, tum ex notitia Græcorum, tum ex Romanorum Pontificum Epiſtolis, Hadriani ſcilicet, & Nicolai, qui Provincias iſtas tanquam ſuas repetunt. Confirmat iſtud Sirmondus ex veteri Hieronymi dicto, qui in Epiſtola ad Marcum, hæc ait, *Hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo, Petroque condemnent*. Supponens tam Occidentem Damaſi Diœceſim fuiſſe, quam Egyptum Petri.

XXII. Verum hæc omnino levia ſunt; nam primo Græcorum iſtorum recentiorum auctoritatem majoris non facio, imo minoris, quam ipſius Sirmondi teſtimonium: illi enim de rebus iſtis loquuntur ex præjudicatis opinionibus, veterumque diſciplinam ex eâ, quæ ſuâ ætate vigebat, metiri ſolent. Cumque eo tempore, quo hæc ſcribebant, Romani Pontificis Diœceſis ad multas Occidentis Provincias eſſet progreſſa, non examinarunt, utrum Synodi Nicænæ tempore eoſdem habuiſſet limites. Imo totum illi Occidentem ultro conceſſerunt, ut facilius illum ab Oriente arcerent: ſuum tantummodo curantes & de alieno nihil ſolliciti. Ad ejuſdem ævi diſciplinam pertinet, quod Pontifices Romani Macedoniam, & Græciam ſibi avulſas queruntur, quia ſcilicet, ut obſervavimus, aliquam in hæc loca auctoritatem ſibi vindicarunt Pontifices, & Diœceſim ſuam iſtuc extendere conati erant Theſſalonicenſi Epiſcopo vices ſuas committentes.

XXIII. Quod ſpectat ad Hieronymi locum, nihil prorſus ad rem pertinet: nec enim ibi agit de Diœceſibus, ſed de fide Ægypti, & Occidentis. Quippe cum Hieronymus in Syria degens a nonnullis accuſaretur, ut fidem ſuam in tuto collocet, cum in Oriente de Religione diſſenſiones forent; Occidentis autem & Ægypti Epiſcopi unum ſentirent, viſum eſt illi fidem ſuam utriuſque teſtimonio rectam oſtendere. Nominat autem Petrum Alexandrinum & Damaſum, quoniam cum iſto totus Occidens, cum illo Ægypti Diœceſis integra fide, ac communione jungebantur, non quod iſte Occidentis totius, ille Ægypti Patriarcha foret. Eadem de cauſa Theodoſius Eccleſias tradi juſſit iis, qui cum Damaſo, Petro, & aliis, quos in lege ſua nominat, communicarent, quia ſcilicet cum illi fidem Nicænam aperte profiterentur, neceſſe erat eos, qui cum illis communicabant & ſentiebant, eamdem fidem profiteri, cum ergo omnes Occidentales cum Damaſo communicarent, atque, ut inquit Optatus, *commercio formatarum, in una communionis* ſocietate concordarent, non ſecus ac Ægypti Eccleſiæ cum Petro Alexandrino, merito Hieronymus ad Occidentis, & Ægypti fidem cognoſcendam Petri, ac Damaſi fidem in medium producit. Atque hæc de Patriarchatus Romani limitibus, nunc de aliis agendum eſt.

XXIV. Secundus inter Patriarchas locus olim Alexandrino Epiſcopo conceſſus eſt. Cur autem Antiochenum præceſſerit, haud facile eſt dicere: hic valde deſudant, qui Patriarchicam dignitatem a Petri fundatione repetunt, nam Alexandrinam Eccleſiam a Petro fundatam non fuiſſe certum eſt. Rectius illi meo quidem judicio loquuntur, qui ſecundum locum Alexandrino Præſuli conceſſum eſſe ſcribunt, eo quod Alexandria foret ſecunda orbis civitas, quanquam id non ita liquido demonſtrari poteſt.

XXV. Huic Patriarchæ Concilii Nicæni Canone 6. jus in Libyam, Ægyptum, & Pentapolim ex antiqua conſuetudine vindicatur. Harum Provinciarum nomine comprehenduntur eæ omnes Provinciæ, quas in Diœceſi Ægypti ſuperius enumeravimus, quæ Præfecto Auguſtali parebat.

XXVI. Latius hunc poſtea Patriarchatus ſui limites extendiſſe nullibi legimus, immo conſtat eum nihil quidquam in Africam Occidentalem juris habuiſſe, nec eorum quæ in ea gerebantur, fuiſſe participem. Somniant igitur illi, qui totam Africam, prout tertia orbis pars eſt, Patriarchatui Alexandrino attribuunt.

XXVII. Tertium Patriarchatus honorem ſortitus eſt Antiochenus Epiſcopus, cujus Patriarchia Orientis Diœceſi finitur, nec enim unquam, ut fingunt nonnulli, vel in

Digitized by Google

universam Asiam, vel in ceteras Imperii Diœceses, Asianam scilicet, Ponticam, & Thracicam jus Patriarchicum obtinuit. Id quippe expresse vetatur in Concilio Constantinopolitano & Diœceseon Asiæ, Ponti, & Thraciæ cura illarum Episcopis committitur. Nec unquam leges, Antiochenum Episcopum jus Patriarchicum in eas Diœceses usurpasse, aut cum Constantinopolitano Episcopo illas invadente tanquam pro suis dimicasse. De ceteris autem Asiæ magnæ partibus haud difficile est demonstrare Antiochenum Episcopum nullum sibi jus in illas vindicasse. Nam verbi gratia, Frumentius licet Tyrius Indorum, quos ad fidem converterat, Episcopus, non ab Antiocheno, sed ab Athanasio Alexandrino ordinatus est, ut testis est Ruff. lib. 10. c. 9.

XXVIII. Idem Ruffinus lib. 11. c. 6. narrat Moysem Saracenorum Episcopum ordinatum fuisse ab Episcopis orthodoxis Ægypti, quoniam deductus Alexandriam passus non erat se a Lucio Ariano Episcopo Alexandriæ ordinari. Qui mos Asiaticorum perseveravit ad Justiniani tempora: sub eo etenim Indi Episcopum ab Alexandrino Præsule petiere, ut refert Elmacin. hist. Sarac. lib. 1. c. 12.

XXIX. His tribus Patriarchis duo postea juncti fuere, Constantinopolitanus scilicet & Hierosolymitanus, de quorum institutione, & jurisdictione paulo latius differendum est.

XXX. Bizantinus Episcopus Heracleensi primum Episcopo suffragabatur, ut ait Gelas. Epist. 2. At postquam illa urbs a Constantino secunda orbis urbs facta est, ejusque nomine donata, altius se extollere cœpit ejus Antistes, ac propriæ Metropoleos jugum excutere, in tantum, ut in Concilio Constantinopolitano primus ei honoris post Romanum locus concederetur c. 3. *Constantinopolitanus habeat priores honoris partes πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma.* Sed circa Canonem istum multa quæri solent, quæ nobis currentibus moram faciunt. Primo hujus γνησιότης revocatur in dubium a Baronio & aliis, qui Canonem hunc commentitium & suppositum esse arbitrantur his rationibus moti. 1. Quod Anatolius a Leone per Epistolam 56. exagitatus, nequaquam se auctoritate alicujus Canonis a Constantinopolitano Concilio constituti, defenderit. 2. Quod Episcopi Concilii Constantinopolitani II. seu potius III. in Epistola sua ad Damasum definitionis hujus non meminerunt. 3. Quod Timotheum Alexandrinum, in cujus præjudicium Decretum istud latum fuerat, id tulisse non sit probabile. 4. Quod superiori Canoni, in quo Diœceses distinguuntur, contrarius esse videatur.

XXXI. Verum hæ rationes levissimæ sunt, nec quemquam movere debent, cum aliunde canonis hujus γνησιότης gravissimis testimoniis fulciatur. Primo enim Canonem hunc a Concilio isto editum testes sunt Socrates, & Sozomenus, ille lib. 5. c. 8. hic lib. 7. c. 9. Deinde in Concilio Chalcedonensi, tum Can. 28. tum sess. 16. col. 812. hic Canon adducitur. Atque ipse Lucentius Sedis Apostolicæ legatus agnoscit hunc Canonem centum quinquaginta Patrum esse, queritur enim col. 809. *quod* 318. *Constitutionibus postpositis*, 150. *qui in Synodicis Canonibus non habentur mentionem tantum fecisse noscuntur*. Non negat hanc fuisse Patrum 150. definitionem, sed illius Concilii sanctiones in suo codice minime reperiri testatur. Similiter S. Leo Ep. 55. ad Anatolium, & Ep. 53. ad Pulcheriam queritur Concilii Nicæni sanctionibus alias ante 60. aut. 70. annos a quibusdam Episcopis editas præferri. Quod de alio quam de Concilii Constantinopolitani Canone 3. intelligi non potest. Præterea licet propter hunc, ceteros ejusdem Concilii Canones minime receperit Ecclesia Romana, ut constat ex jam citatis locis; itemque ex Greg. lib. 6. Ep. 31. & Nicolao I. Gelas. Ep. 4. eos tamen suppositos esse numquam dixit, sed a 150. Patribus conditos agnovit, ut constare potest ex locis modo citatis. Demum in collectione Dionysii Exigui, ceterisque omnibus Canonum collectionibus reperiuntur. Ad rationes allatas respondere facillimum est.

XXXII. Ad primam ex ipsomet S. Leone Anatolium Concilii Constantinopolitani Canone honorem suum defendisse constat, ut jam a nobis animadversum est.

XXXIII. Ad secundam respondeo secundi

Digitized by Google

di seu potius tertii Constantinopolitani Concilii Episcopos Canones a se conditos non enumerare: sed rationem reddere Pontifici, tum suæ fidei, tum etiam administrationis Ecclesiarum, ordinationis scilicet Nectarii, & Flaviani: unde ne verbum quidem dicunt de Maximi Cynici, eorumque, qui ab ipso ordinati fuerant, depositione, de qua tamen unus editus erat Canon.

XXXIV. Ad tertiam respondeo forte Alexandrinum intercessisse, & intercessionis ejus nullam esse memoriam, forsan etiam non intercessisse, vel quia ita æquum esse judicabat, vel quia obstitit Imperator, vel quia non magnum sibi præjudicium hoc Canone fieri existimavit. Unde nec in Concilio Chalcedonensi ipsum, aut Antiochenum Præsulem intercessisse legimus. Forsan etiam hic Canon ante adventum Ægyptiorum editus est in primo Concilio Constantinopolitano, cujus Præses erat Meletius.

XXXV. Ad ultimam respondeo hunc Canonem priori non esse contrarium, quia secundum tantum honoris locum Constantinopolitano tribuit Episcopo, servatis singularum Diœceseon privilegiis, quæ nullatenus lædit hic Canon. Nec enim Episcopo Constantinopolitano jus tribuit in Asianam aut Ponticam Diœcesim, quod nobis deinceps probandum est.

XXXVI. Concilii Constantinopolitani Canone meram tantum honoris prærogativam Constantinopolitano Episcopo concessam esse, non autem, ut quidam arbitrantur, in Thracicam, Ponticam, & Asianam Diœceses auctoritatem, verba ipsa Canonis aperte demonstrant: ita enim se habet. *Constantinopolitanus Episcopus habeat πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, hoc est privilegia honoris post Romanum.* Quis autem non videat hæc verba nihil aliud sonare, quam meram honoris prærogativam, quemadmodum & in Nicæno Concilio ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, quæ Hierosolymitano tribuitur Episcopo, nihil aliud est, quam honoris privilegium; quis, inquam, somniet hujusmodi verbis Constantinopolitano Antistiti tribui Jurisdictionem in tres Diœceses, de quibus nulla ibi fit mentio? Nonne hoc est affingere Concilio sententiam, quæ ex ejus verbis exsculpi minime potest? Quid quod Concilium diserte significat se noluisse quidquam Constantinopolitano Episcopo concedere in Diœceses Asianam & Ponticam. Nam Canone præcedenti, in quo limites istarum Diœceseon assignantur, nulla conceditur in eas potestas ulli externo Episcopo, imo tota illarum administratio Episcopis suis tribuitur, & diserte vetatur, ne non *vocati Episcopi ad alienas Diœceses accedant* ordinationis, vel alicujus Ecclesiasticæ administrationis gratia, quæ prohibitio generalis est, & æque Constantinopolitanum Episcopum Thracicæ Diœceseos Exarchum complectitur, ac Ephesinum Asianæ, aut Cæsareensem Ponticæ. Confirmat istud lex Theodosii statim post Concilium lata, qua jubet Imperator Ecclesias Ponti, & Asiæ tradi, non iis, qui Nectario, sed qui nonnullis harum Provinciarum Episcopis communicarent.

XXXVII. Ceterum etiamsi Constantinopolitano Episcopo nulla omnino jurisdictio Patriarchica tribuatur Canone Concilii Constantinopolitani in Diœceses Asianam, & Ponticam, imo nec ulla ibi mentio fiat ejus in Thraciam Jurisdictionis: verisimile tamen est eum tum hujus postremæ Diœceseos Patriarcham fuisse, idque juris a Constantini temporibus obtinuisse. Notum certe est quanta tum temporis fuerit Constantinopolitani Episcopi dignitas, ad quem Alexander Alexandrinus litteras de Ario scripsit, cujus communionem ipse Arius adeo expetiit, cujus sedem Eusebius, & Eudoxius tam avide arripuere, hic relicta Antiochia Patriarchali sede, ille vero Nicomediensi, quæ Metropolitica est; cujus denique tanta fuit tunc temporis dignitas & auctoritas. Itaque verisimile omnino videtur Constantinopolim a Constantini temporibus sicut erat totius civilis, etiam Ecclesiasticæ Diœceseos in Thracia caput fuisse. Confirmant id quæcumque a Concilii Nicæni temporibus, in variis Conciliis gesta sunt, in quibus videmus Episcopi Constantinopolitani semper primas fuisse partes: confirmat etiam subsequens Episcoporum Constantinopolitanorum in Thraciam potestas, quam nullo repugnante habuerunt, & de qua cum nemine contenderunt. Itaque

vix

vix dubito, quin Bizantinus Episcopus a temporibus Constantini Diœceseos Thracicæ fuerit Exarchus.

XXXVIII. Postquam vero hanc dignitatem adeptus est, eximium inter reliquos honorem ambiit, quem sibi Canone tertio Concilii Constantinopolitani deferri curavit, nec his contentus, occasione honoris sibi concessi in vicinas Asiæ, & Ponti Diœceses aliquid juris sibi arrogare cœpit, easque demum Imperatorum auctoritate fretus penitus invasit, suoque Patriarchatui adjecit: sed quibus id gradibus fecerit, exponendum est.

XXXIX. Primum igitur haud ita multo post Concilium Constantinopolitanum, Constantinopolitani Episcopi variarum se Diœceseon ordinationibus immiscuerunt, idque nonnumquam ultro concedentibus Metropolitis, nonnunquam etiam invitis.

XL. Primum Patriarchicæ in alias Diœceses Jurisdictionis exemplum adduci potest judicium Nectarii in caussa Bagadii & Agapii Bostrensis Episcopi: sed istud exemplum nullatenus est ad propositum: nam controversiæ istius judicium non tulit Nectarius Patriarchico jure, sed in Concilio Constantinopolitano sententiam dixit, cui aderant Theophilus Alexandrinus, Flavius Antiochenus, Palladius Cæsareæ, & alii Episcopi omnium Diœceseon, a quibus illa confirmata est: ceteris equidem Episcopis præfuit Nectarius, quia primum inter eos honoris locum Concilii Constantinopolitani Canone obtinuerat: sed inde concludi non potest aliquid eum juris in orientalem Diœcesim habuisse. Concilii istius Constantinopolitani acta extant tom. 2. Conc. col. 1152. Secundum exemplum repetitur ex facto Nectarii, qui Gerontium olim Ambrosii Diaconum ab Helladio Cæsareensi Nicomediæ Episcopum ordinatum deponere licet frustra tentavit, ut narrat Soz. lib. 8. c. 6. Verum hæc ipsa narratio aperte demonstrat Metropolitanos Diœceseos Ponti ab Episcopo Cæsareensi non a Constantinopolitano ordinatos fuisse: quandoquidem hic Gerontius ab Helladio fuerat ordinatus. Nec est, quod dicant contra Canones ordinationem hanc ab eo factam fuisse, nec enim id ei objecit Sozomenus. Nectarius autem Gerontio Sacerdotium adimere conatus est ad preces Ambrosii, cujus Diaconus fuerat Gerontius. At Patriarchica in eum dignitate non est usus, alioquin in ejus locum alium ordinasset Episcopum, eumque de Episcopatu, invitis etiam Nicomediensibus, deturbasset, ut postea a Chrysostomo factum est.

XLI. Hic enim Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus cum audisset *Asiæ, finitimarumque Provinciarum Ecclesias ab indignis sacerdotibus gubernari, & alios quidem donis, alios gratia corruptos sacerdotia vendere, Ephesum perrexit. Ac tredecim Episcopis depositis, partim in Lycia, partim in Phrygia, partim in ipsa Asia, alios in eorum locum substituit. Ephesinæ autem Ecclesiæ, cujus Episcopus tunc forte mortem obierat, Heraclidem præfecit, virum origine Cyprium .... sed & Gerontium Nicomedienſi Ecclesia expulit.* Hæc refert Soz. loco supra citato lib. 8. hist. c. 6.

XLII. Rem diligentius narrat Palladius in Dialogo de vita Chrysostomi, scribit enim Antoninum ab Eusebio Valentinopolitano accusatum fuisse in Concilio, libellumque criminum ab eo prolatum, cui præfixum erat Chrysostomi, qui Concilio aderat, nomen. Inter alia objiciebat ei, *quod pro lege ac decreto haberet ordinationes Episcoporum vendere pro modo redituum.* Conatus est primum Chrysostomus utrumque conciliare. At cum Eusebius nollet ab accusatione desistere, obtestareturque Joannem, ut de hac causa judicium ferret; facinus negante Antonino, judicium perfici non potuit: missi tamen in Asiam Episcopi, ut de crimine Antonini fieret inquisitio, sed ante illorum adventum testes auro corrupti. Paulo post Antonino mortuo *continuo ex Asia partim a Clero civitatis Ephesinæ, partim ab Episcopis Decretum ad Joannem venit. Omnibus pavendo cum juramento orantibus, ut periclitanti Ecclesiæ opem ferret ... Oramus*, inquiebant, *venerationem tuam, ut descendas, & formam aliquam Ephesinæ imponas Ecclesiæ diutissime afflictæ hinc Arianis instantibus, inde nostris cupiditatis avaritiæque studentibus. Permulti enim insidiantur ut lupi graves Sacerdotalem sedem pecuniis rapere festinan-*

nantes. Ad horum itaque Episcoporum preces in Asiam venit Joannes, & congregatis Lydiæ, Asiæ, & Cariæ Episcopis 70. Heraclidem ordinavit, & sex Episcopos simoniæ reos Episcopatu dejecit, aliosque in illorum locum instituit.

XLIII. Porro hæc narratio confirmat Constantinopolitano Episcopo nullam fuisse Jurisdictionem in Asianam & Ponticam Diœceses.

XLIV. Primo enim Chrysostomus hujus causæ judicium non suscepit ex officio & quasi Patriarcha, sed quia ultro ad ejus Concilium ambæ partes causam detulerant.

XLV. 2. Non misit in Asiam Episcopos Chrysostomus alio fine, quam ut de rei crimine inquirerent, quod cuivis arbitrio licitum erat.

XLVI. 3. Post mortem Antonini non ultro ad ordinationem Ephesini Episcopi faciendam accessit Chrysostomus, sed eam Diœceseos Episcopis prout moris erat reliquit. Ubi vero tum ab iis, tum ab Ephesino populo vocatus est, ut formam aliquam Ecclesiæ Ephesinæ constitueret, non solus Heraclidem ordinavit, sed simul cum Concilio Diœceseos, cujus judicio convicti Episcopi depositi sunt. Nihil est in toto isto negotio, quod Patriarchicam Constantinopolitani Episcopi in Asiam potestatem fuisse demonstret. Immo multa occurrunt, quæ contrarium plane suadeant.

XLVII. 4. Licet nihil non secundum ordinem fuisset hac in re a Joanne gestum, propterea tamen apud omnes male audiit, & superbiæ fuit accusatus. Asiani quidem statim post ejus mortem eodem Palladio teste ordinatos ab eo Episcopos ejecerunt, & ab eo dejectos restituere. Quod equidem immerito factum esse agnosco, quia Concilium Diœceseos istis ordinationibus consenserat, verumtamen Asiani id nunquam facere fuissent ausi, nisi causati essent eos a Constantinopolitano Episcopo constitutos, cui nihil erat in Provinciam suam juris. Advertit etiam Sozom. *quod tum ii qui depositi erant tum illorum necessarii, Joannem accusare cœperunt, quod rerum novarum in Ecclesiis auctor fuisset; & contra morem institutumque majorum ordinationum jura immutasset.* Hoc autem dicere non potuissent illi, nisi primus sibi Ephesini Episcopi ordinationem arrogasset.

XLVIII. Demum in Synodo ad Quercum tom. 2. Conc. col. 1328. Chrysostomus inde sumpta occasione accusatur, *quod aliorum invadat Provincias, ordinetque ibidem Episcopos*. Quæ quidem licet ab ejus inimicis malevolo animo dicta sint, aperte tamen demonstrant nullum Canonibus fuisse datum jus ordinationum Episcopo Constantinopolitano in Asiam & Pontum. Nam si ita se res habuisset, ridicula fuisset omnino illorum accusatio.

XLIX. Post Chrysostomum vero nulli aut sane pauci Ephesini Episcopi a Constantinopolitano ordinati sunt. Dicunt enim Asiani Conc. Chalcedon. act. 11. col. 700. a Timotheo ad hunc usque Episcopum viginti septem Ephesi ordinatos esse Episcopos: excipiunt ii, qui Constantinopolitani Episcopi partes tuentur, Casirium, Memnonem, & Heraclidem, de ceteris id verum esse agnoscunt, sed eo confugiunt, ut dicant ordinatos illos fuisse cum consensu urbis suæ Archiepiscopi, quod ab iis dicitur quidem, sed minime probatur.

L. Haud tamen diffiteor, quin Chrysostomus ceteris Constantinopolitanis Episcopis occupandarum Ponti & Asiæ ordinationum viam aperuerit. Nam Atticus, qui Joanni successit, Episcopum Nicææ in Pontica Diœcesi ordinavit: Refert enim Socrates lib. 7. c. 25. eum ordinandi Episcopi causa Nicæam venisse.

LI. Idem Philippopoli in Thracia & Troade Episcopum Sylvanum præfecit, ut testis est idem ibid. cap. 37. idemque Agapeto Synnadorum Episcopo, qui Theodosium Episcopum ejusdem urbis expulerat, scribit, ut Episcopatum retineret, huicque persuadet, ut repulsam hanc patienter ferret, lege Socr. lib. 7. c. 3. Sisinnius Attici successor *mortuo Cyzicenorum Episcopo Proclum urbis illius Antistitem ordinavit. Sed dum ille eo profectionem pararet, prævertentes eum Cyziceni Dalmatium quemdam Monasticæ professionis virum Episcopum sibi constituerunt*. His verbis id factum narrat Socrates lib. 9. c. 28. addens præterea *id ab illis factum contempta lege,*

qua

qua ſancitum eſt, ne præter ſententiam Epiſcopi Conſtantinopolitani, ulla fiat Sacerdotis ordinatio. Porro legem iſtam ideo neglexerunt, quod ſolius Attici perſonæ hæc prærogativa conceſſa videretur. Hic videre eſt non modo Conſtantinopolitanos Epiſcopos jus ordinandorum Metropolitanorum in Aſia & Ponto ſibi vindicaſſe, ſed & legem obtinuiſſe ab Imperatore, ne quis ordinaretur Epiſcopus præter illorum ſententiam, qua lege freti ſimplices Epiſcopos etiam ordinare conati ſunt: ſed non paucos nacti ſunt adverſarios. A Proclo Conſtantinopolitano Thalaſſium Cæſareenſem Epiſcopum ordinatum eſſe, refert Socrates lib. 7. c. 48. cum Cæſareenſes, mortuo Firmo, Conſtantinopolim veniſſent Epiſcopum poſtulantes. Idem Proclus Ancyranum Epiſcopum ordinavit, ut habetur in Conc. Chalcedon. act. 16. col. 817. Ita paulatim Conſtatinopolitanus Antiſtes Patriarchalia in Aſiam & Pontum jura invaſit, quæ Concilio Chalcedonenſi Imperatoriiſque edictis ſibi confirmari curavit. Mirum etenim eſt quantum ei detulerint Chalcedonenſes Patres, forte ut Imperatoris voluntati morem gererent, ejuſque urbem inſignibus quibuſdam privilegiis ornarent.

LII. Act. 1. col. 115. cum recitatus fuiſſet ordo Epiſcoporum Epheſini Latrocinii, & quintus poneretur Flavianus Conſtantinopolitanus poſt Dioſcorum Alexandriæ, Julianum Romani Epiſcopi legatum, Juvenalem Hieroſolymorum & Domnum Antiochiæ *Orientales, & qui cum ipſis erant Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt . . . Flavianus quare in proprio loco non ſedit, Conſtantinopolitanum Epiſcopum quare quintum poſuerunt. Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit. Ecce nos Deo volente Dominum Anatolium primum habemus, hi quintum poſuerunt Beatum Flavianum.* Hinc videre eſt ipſos etiam Pontificis Romani legatos conceſſum a Concilio Conſtantinopolitano Epiſcopo Primatus honorem agnoviſſe.

LIII. Act. 13. Concilii col. 712. Nicomedienſis & Nicænus Epiſcopi de jure Metropolitico certantes, utrimque litteras Chryſoſtomi & Procli allegant, quibus probatur eos aliquid ſibi juris in Bithyniam arrogaſſe. Hoc autem peculiari obſervatione dignum eſt, quod cum Nicomedienſis & Nicænus de ordinatione Epiſcopi in Provincia ſua decertarent, præſertim de ordinatione Epiſcopi Baſilinopoleos, metuens Ætius Archidiaconus, ne propterea præjudicium inferretur Conſtantinopolitanæ Sedi, quæ ſibi licet immerito ordinationem Epiſcoporum aliis Metropolibus ſubjectorum vindicabat, hæc poſt agitatam inter illos controverſiam dixit. *Suggerimus veſtræ magnificentiæ rogantes, ut nullum præjudicium Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ Sedi fiat, ex his quæ nunc interlocuti ſunt ſanctiſſimi Epiſcopi, Eunomius quidem Nicomediæ, & ſanctiſſimus Anaſtaſius Nicææ, quæque de illis conſtituta ſunt, ſanctiſſimæ enim Conſtantinopolitana Sedes aut ordinationem facit Baſilinopoli cum reliquis, aut eam permittit fieri, ſicut litteris, quæ veniunt aut venerunt, oſtendere poſſumus: & petimus ut illæ proponantur.* Circa hanc Ætii interlocutionem nihil definit Concilium, ſed tantum exclamant Patres, ut Canones teneant, Canonibus ſatisfiat: judices autem ſententiæ ſuæ hæc addunt, *quæcumque autem Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ, de ordinationibus Provinciarum competunt, hæc ſuo ordine coram ſancto Concilio examinabuntur.* Nicomedienſis vero gratias agit juſtitiæ judicii, & diligere ſe profitetur Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſed *obtinentibus Canonibus* κρατούντων τῶν κανόνων.

LIV. Act. 11. col. 700. ut jam ſæpius obſervavimus, miſere deprecantur Aſiani, ut ordinatio Epheſini in Provincia ſua fiat: iis ſe opponunt Conſtantinopolitani: Concilium vero nihil aliud definit, quam ut Canones obtineant. At Clerici Conſtantinopolitani proclamant *ea, quæ ſunt ſanctorum Patrum* 150. *teneant, privilegia Conſtantinopolis ne depereant, ordinatio ſecundum morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat.* Res a judicibus in ſequentem actionem differtur. At in ea nihil circa jura Conſtantinopolitani Epiſcopi in ordinatione Epheſini pronuntiatur. Sed tantum uterque Epiſcopus Epheſinus Epiſcopatu ſpoliatur. Huc uſque in Concilio Chalcedonenſi Conſtantino-

Digitized by Google

tinopolitani Episcopi in Asiam & Pontum Jurisdictio, multos nacta fuerat adversarios, nec ullum erat in ejus gratiam Synodi judicium.

LV. At ubi Concilii finis adfuit, curavit Anatolius, ut jura sua in Asiam & Pontum Canone Synodi sancirentur. Res ita gesta est. Cum actione 15. propositum fuisset, ut ageretur de Constantinopolitanæ Ecclesiæ jurisdictione, Legati Pontificis Romani discessere, causati se talia non habere mandata. Nihilominus tamen judices jusserunt, ut Concilium hæc suspiceret. Tum Episcopi in gratiam Constantinopolitanæ Sedis Canonem 28. condiderunt, cujus hæc sunt verba: *Sanctorum Patrum Decreta ubique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum, & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum cognoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de Privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quod urbs illa imperaret, patres haud immerito privilegia tribuerunt, & eadem consideratione moti* 150. *Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli & magni fieri, secundam post illam existentem: ut & Ponticæ, & Asianæ, & Thracicæ Diœceseos Metropolitani soli: præterea Episcopi prædictarum Diœceseon, quæ sunt inter Barbaros, a prædicto Throno sanctissimæ Constantinopolitanæ ordinentur; unoquoque scilicet prædictarum Diœceseon cum Provinciæ Episcopis Episcopos ordinante: quemadmodum divinis Canonibus est traditum. Ordinari autem sicut dictum est prædictarum Diœceseon Metropolitanos a Constantinopolitano Archiepiscopo convenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis.* Ex dictis colligere est alterum tantum e duobus privilegiis, quæ Constantinopolitanus Episcopus sibi in Diœcesibus Asiæ & Ponti vindicabat, ei a Synodo concessum. Non enim modo ordinationes Metropolitanorum expetebat, sed & præterea nullos Episcopos sine consensu ac sententia sua ordinari volebat. Prius ipsi conceditur a Concilio, posterius non item, imo Metropolitanis aperte confirmatur, exceptis Episcopis Barbararum Ecclesiarum, quos a Constantinopolitano ordinari jubet. Demum ita Episcopo Constantinopolitano Metropolitanorum ordinationem concedit, ut merum ipsi honorem concedere videatur. Prohibet enim ne id ab ipso fiat, nisi præcesserit secundum morem consentiens electio, quæ ipsi referatur. Qua ratione compescit illorum Patriarcharum superbiam, qui inconsultis plebibus, aut Provinciæ Episcopis motu proprio vellent Episcopos ordinare.

LVI. De hac Concilii definitione actione sequenti conquesti sunt Legati Pontificis: expostulant aliqua Decreta post judicium, suumque discessum sancita esse præter Canones & Ecclesiasticas regulas. Respondet Ætius rogatos esse legatos ut adessent, iis autem recusantibus accepisse se mandatum a judicibus, ut id Concilium inspiceret. Jubent Judices hæc gesta relegi; Canon iisdem verbis refertur cum subscriptionibus Episcoporum.

LVII. Recitato Canone Lucentius primum quærit utrum omnes ultro subscripserint, & an aliquis coactus fuerit? Clamantibus omnibus neminem esse coactum, queruntur quod neglectis Concilii Nicæni Canonibus, 150. Patrum regulas secuti fuerint: postulante autem Ætio ut mandatum Sedis Apostolicæ proferrent, ex chartula illud recitant. Jubent Judices Canones ab utraque parte proponi. Paschasinus Canonem Nicænum 6. ex Codice suo refert, Secretarius Concilii ex Codice ab Ætio sibi tradito recitat eumdem Canonem sine additione: *ista Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Cui subjicit Canonem 3. & 4. Concilii Constantinopolitani. Iis recitatis Judices inquisiverunt, num Episcopi ultro subscripsissent; id cum plerique professi essent, Eusebius Ancyræ paululum interlocutus est. Is præfatus sibi nullum esse ordinandi desiderium, cum Gangris Episcopum licet ad Gangrensium preces ordinare noluerit, addit, *rogare se, ut civitates pro ordinationibus non solvant*. Respondet Philippus Presbyter Constantinopolitanus, *ex*

regula id ſublatum eſſe legibus & regulis hæc vetita, altaria eſſe munda. Euſebius autem regerit opinionem Anatolii apertam eſſe, ſed nullum eſſe immortalem, quaſi diceret, dum vos ordinationes Diœceſeon Conſtantinopolitano Epiſcopo vindicatis latiſſimam panditis viam ad ordinationes venales efficiendas. Licet enim Anatolius optimus Antiſtes ab illa avaritia ſit alieniſſimus: erunt tamen poſt illum nonnulli, qui maximum inde vectigal auferent. Hic ab Euſebio quæſivit Anatolius, a quo fuit ordinatus: reſpondet *ſe malo ſuo hic repertum a Proclo ordinatum eſſe*. Thalaſſius ad hæc ait, quin pergimus ad Dominum Anatolium, & ordinamus illum. His ita in utramque partem dictis Judices ita pronuntiarunt.

LVIII. *Ex his, quæ geſta ſunt & ab unoquoque depoſita, perpendimus ante omnia Primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ ſanctiſſimo Archiepiſcopo ſervari debere. Oportet autem & ſanctiſſimum Archiepiſcopum urbis regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ iiſdem honoris privilegiis frui, & ipſum habere poteſtatem ordinandi Metropolitas in Aſiana, Pontica, & Thracica Diœceſibus, ſecundum hunc modum, ut electione facta a Clericis uniuſcujuſque Metropolis, & poſſeſſoribus atque clariſſimis viris ſuper hæc, & a Reverendiſſimis Epiſcopis Provinciæ, omnibus, aut pluribus eligatur is, quem præfati dignum judicaverint. Referatur autem ab omnibus eligentibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo regiæ Conſtantinopolis, ut penes eum ſit, ſi velit, hunc qui electus eſt, advenire, & hic ordinari, aut ſecundum ejus permiſſionem in Provincia Epiſcopatum ex Decreto ſortiri. Uniuſcujuſque tamen ſanctiſſimæ civitatis Epiſcopos, ordinari ab omnibus, aut pluribus Provinciæ Reverendiſſimis Epiſcopis poteſtatem habente Metropolitano ſecundum Patrum Canonem definitum, etiam nihil comunicante illorum ordinationibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo Regiæ Conſtantinopolis: hæc nobis placent. Quæ autem videantur ſibi ſanctum & univerſale Concilium decere dignetur.* Hoc Decreto Judices Canonem Chalcedonenſem confirmant, ſed illum explicant, & arctiores poteſtatis Conſtantinopolitani Epiſcopi limites aſſignant. Primo enim diſerte vetant, ne alius ordinetur, quam is qui a Clero, populo, & Epiſcopis univerſæ Provinciæ electus fuerit, nec relinquunt liberam alterius eligendi poteſtatem 2. Expreſſe definiunt ordinationem Epiſcoporum eſſe debere Metropolitanorum & Epiſcoporum Provinciæ, nec participem ejus eſſe oportere Epiſcopum Conſtantinopoleos. 3. De Barbarorum Eccleſiis nihil definiunt. Huic Decreto omnes Epiſcopi acclamatione conſenſerunt, ſolus interceſſit Lucentius Romani Pontificis Legatus, & contradictionem geſtis inhærere petiit, attamen Judices hanc interceſſionem parvi pendentes Synodum his verbis concluſerunt: *quod interlocuti ſumus, tota Synodus approbavit.*

LIX. De Canone ipſo hoc advertendum ſupereſt in eo Concilii Conſtantinopolitani Canonem adduci non ad probandam Epiſcopi hujus urbis in Aſianam & Ponticam Diœceſim juriſdictionem, ſed tantum ad aſſerendum honoris primatum. Hoc enim unum probare poterat. Quare poſt hæc verba, *ſecundam poſt illam exiſtentem*, ſenſus perfectus eſſe debet, & punctum ibi poni, ut ſequentia contineant tantum definitionem Concilii Chalcedonenſis, non Conſtantinopolitani. Fatendum tamen eſt, utramque de induſtria non ſatis diſtinctam, ut viderentur Conſtantinopolitani Patres etiam juriſdictionem in Aſiam, & Pontum Epiſcopo Conſtantinopolitano conceſſiſſe.

LX. Verum in Epiſtola ad Leonem, qua petunt, ut Decretum hoc ſuum non ægre ferat, jus ordinandorum Metropolitanorum ex conſuetudine tantum repetunt: *eam*, inquiunt col. 837. *conſuetudinem, quæ ex longo jam tempore permanſit, quam habuit Conſtantinopolitanorum Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos Provinciarum Aſiæ, Ponticæ, & Thracicæ, & nunc Synodali Decreto confirmavimus.* Primatum vero honoris ex Conſtantinopolitani Concilii Decreto confirmant. Unde profecto liquet illis fuiſſe perſuaſum Concilii Conſtantinopolitani Canone primatum quidem probari, juriſdictionem autem in Pontum & Aſiam, non item, alioquin eo pariter ad utrumque probandum uſi forent.

LXI. Ubi

Digitized by Google

LXI. Ubi Concilii Chalcedonenſis Decretum accepit Leo, non parum commotus eſt, acrioreſque ſcripſit ad Anatolium, Martianum, & Pulcheriam litteras 53. 54. & 55. in quibus Concilii Chalcedonenſis ſanctionem incuſat veluti Nicæni Concilii regulis contrariam, non modo in eo, quod ſpectabat jus Conſtantinopolitani Epiſcopi in Pontum, & Aſiam, verum etiam & circa primatum honoris, quem immerito Conſtantinopolitano Epiſcopo conceſſum eſſe queritur. Eamdem ſedis hujus prærogativam impugnant Romani Pontifices Leonis ſucceſſores, præſertim vero Gelaſ. Ep. 4. & Ep. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ. Illis tamen repugnantibus & invitis Conſtantinopolitani Epiſcopi, tum primatum honoris, tum etiam Patriarchicam in Pontum, Aſiam, & Thraciam retinuere poteſtatem, *licet enim ſedes Apoſtolica contradiceret*, ut inquit Liberatus in Breviario c. 13. *id quod Synodo firmatum fuerat, Imperatoris permanſit quodammodo.*

LXII. Nam & Baſiliſcus in edicto apud Evagr. lib. 3. c. 7. jubet, ut Provinciæ, *quarum ordinationem ſedes hujus regiæ & glorioſæ Urbis*, (Conſtantinopoleos) *habuerat, reverendiſſimo ac ſanctiſſimo Patriarchæ & Archiepiſcopo Acacio reſtituatur, manentibus ſcilicet in ſuis ſedibus his, qui nunc ſunt, Dei amantiſſimis Epiſcopis, ita ut poſt illorum obitum, nullum ex ea re præjudicium fiat juri ordinationis, quod competit ſedi regiæ hujus atque inclytæ civitatis.*

LXIII. Zeno Baſiliſci acta reſcindens leg. decernimus 16. C. *de ſacroſancta Eccleſia: privilegia*, inquit, *& honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus & jure ante alios reſidendi, & cætera omnia, quæ ante noſtrum Imperium, vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter regiæ Urbis intuitu judicamus, & ſancimus.*

LXIV. Denique Juſtinianus Novella 131. c. 2. *Sancimus*, inquit, *ſecundum Eccleſiaſticorum Canonum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum; beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctum Apoſtolicum ſenioris Romæ; aliis autem omnibus ſedibus præponatur.*

LXV. Nec ſolum Imperatorum auctoritate ſtetit Conſtantinopolitanæ ſedis dignitas & juriſdictio, verum etiam Eccleſiæ univerſæ conſenſu. Nam Canones Synodi Conſtantinopolitanæ & Chalcedonenſis codicibus Canonum Eccleſiarum inſerti ſunt, & ſequentibus ſæculis, tum ſecundum honoris gradum, tum etiam juriſdictionem in Pontum, Aſiam, & Thraciam, nemine fere refragante, retinuit Conſtantinopolitanus Antiſtes.

LXVI. Deinde vero nondum hiſce limitibus contenta hujus ambitio, Patriarchatus ſui limites ulterius extendere voluit, adeo nullum neque finem, neque modum habere poteſt inſana dominandi libido! Itaque tempore Leonis Iſauri, hic Imperator Gregorio II. infenſus, ſimul cum patrimoniis Eccleſiæ Romanæ quidquid inter Siciliam & Thraciam terrarum eſt, id eſt Illyricum, Epirum, Achaiam, & Macedoniam Diœceſi Conſtantinopolitanæ addixit. Quas quidem Provincias fruſtra repetiit Hadrianus primus in Synodo Nicæna, quam ſeptimam Œcumenicam vocant, ut queritur ille in libello Apologet. ad Carol. Magnum tom. 7. Conc. col. 962. Huic nova ſucceſſit de Bulgaria concertatio; Bulgari enim primum circa annum 845. Evangelii lumen Græcorum opera acceperant, eorumque Rex nomine Bogaris ab Epiſcopo baptizatus Michaëlis nomen acceperat: hic poſtea circa annum 867. vel a Græcis alienatus, vel alia de cauſa Nicolaum I. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum adiit, ut ab eo de religione edoceretur. Ab iſto miſſi ſunt Epiſcopi duo Itali, Formoſus, & Paulus, qui non multo poſt, ſed defuncto Nicolao rediere, & ejus ſucceſſori Hadriano II. nuntiarunt, Bulgaros Criſtianam fidem & Romanæ Eccleſiæ jugum amplexos eſſe, miſſo inſuper Legato, qui Marinum peterent Archiepiſcopum ſibi dari. Verum cum moras necteret Hadrianus, Rex Bulgariæ illas ægerrime ferens ad Imperatorem Conſtantinopolim Legatos miſit, quæſituros cui potiſſimum parere deberet Bulgariæ tractus, an Conſtantinopolitano, an Romano. Res in Concilio Conſtantinopolitano 4. vel ſaltem poſt

Digitized by Google

Concilium agitata est. Ignatius sui juris Bulgariam esse contendit, ejusdemque sententiæ fuerunt trium sedium Patriarchalium Vicarii, repugnantibus licet Romani Pontificis Legatis. Inde Bulgari Latinos Sacerdotes expellunt, & Græcos recipiunt. Post hæc Joannes VIII. (*) multis epistolis, & duabus legationibus nihil non movet, ut Bulgaros sibi subjiciat: adeoque id ambiebat, ut Ep. 199. ad Basilium Imperatorem scripserit, se Photium excommunicatum pro consacerdote & comministro habiturum, si modo Bulgariam suo juri vindicare nullomodo præsumpserit. Basilius ad quem hæc quæstio a Concilio Constantinopoli tum temporis habito remissa fuerat, in gratiam Joannis definire visus est. Verumtamen nihil propterea lucratus est Romanus Antistes, nec enim revocati sunt Episcopi Græci; & Bulgaria, & Michaël ipse Bulgarorum Rex Joanni parere noluit, atque inde factum est, ut Joannes ob denegatam sibi Bulgariæ Diœcesim furens (**) Photium anathemate damnarit, & Ecclesiæ utriusque pacem abripuerit. Ecce quibus gradibus Constantinopolitana sedes ad tantum dignitatis fastigium pervenerit, quæ nunc a Barbaris oppressa sub sævissimi tyranni jugo vix quidquam pristini decoris obtinet. Sed de his alias; nunc pauca de Hierosolymitana Ecclesia, quæ quinta Patriarchalis sedes appellatur.

LXVII. Ecclesia Hierosolymitana apud Christianos maximo semper in honore fuit. Ejus administrationem ceteri Apostoli ante dispersionem Jacobo fratri Domini commisere, de primatu nihil contendentes, inquit Euseb. lib. 2. c. 1. quasi magnum aliquid tum temporis fuisset Ecclesiæ Hierosolymitanæ præsidere. Jacobo multi successere, quorum catalogum texit Eusebius, quod argumento est eos præ ceteris insignes fuisse. Firmilianus in Epistola ad Cyprianum apud hunc 75. Ecclesiæ Hierosolymitanæ ritus adducit, ut ostendat ea omnia, quæ Romæ observantur, non esse ab Apostolis tradita, *quod*, inquit, *circa celebrandos dies Paschæ & circa multa alia divinæ rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur*. Unde constat magni nominis & auctoritatis fuisse tunc Ecclesiam Hierosolymitanam. Inter patres Concilii contra Paulum Samosatenum celebrati, primus nominatur ab Eusebio lib. 7. c. 30. Helenus Darsi, & secundus Hymenæus Hierosolymorum, cui postponitur Theotecnus Cæsareensis. In Concilio Cæsareensi simul cum Theophilo Cæsareensi Synodo præest Narcissus Hierosolymitanus.

LXVIII. In Concilio Nicæno c. 7. statutum est, *ut quoniam obtinuit antiqua consuetudo & traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam ἀκολουθίαν τῆ τιμῆ, Metropoli propria dignitate servata*. Conceditur hoc Canone honoris tantum primatus Hierosolymorum Episcopo, sed nulla ei propterea jurisdictio tri-

(*) *Joannes VIII. Photium anathemate liberatum suæ sedi restituit de consensu ceterorum Patriarcharum, & Episcoporum Orientalium; ea tamen adjecta conditione, scilicet ut coram Synodo cogenda misericordiam peteret. En verba Joannis VIII. in Epist. germana ad Basilium, Constantinum &c.* Nunc itaque aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet, & Antiocheno, & Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis Metropolitanis, Episcopis, & Sacerdotibus, cunctoque clero Constantinopolitanæ Sedis ..... una voluntate, parique voto consentientibus, eundem Photium satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem in vera dilectione fratrem in pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo in pastorali magisterio consacerdotem pro Ecclesiæ Dei pace, & utilitate amodo Christo favente recipimus, & habemus. *Non negamus ibidem illam quoque addi conditionem scilicet, ut nullam dein in Bulgaria sibi potestatem vindicet Photius; quam tamen ea ratione R. Sedi adserit Joannes VIII. nimirum, quod Bulgariam* piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum rege petente Apostolicis doctrinis docuit, & per Venerabiles Episcopos suos sacri lavit unda baptismatis, omnique Ecclesiastica regula, & disciplina instruxit. *Videsis Petrum de Marca* Conc. Sac. & Imp. Lib. III. cap 14. *ubi Joannem VIII. in hoc capite omni prorsus culpæ immunem demonstrat: nec subinde schisma a Romana Sede, sed a Constantinopolitana ortum habuit.*

(**) Id est, excandescens, subiratus; hoc enim significat vox Latina furens: quod idcirco monui, ne quis eam in malam partem vocet. Vide de quæstione ista illustrissimum Marcam, initio operis de Concordia.

Digitized by Google

tribuitur, imo tota Metropoli ejus Cæsareæ conservatur. Hac forte de causa Macarius in Concilii Nicæni subscriptionibus Eusebio Cæsareensi præponitur. Verum occasione honoris sibi concessi nonnulla etiam sibi privilegia vindicavit Antistes Hierosolymitanus. Narrat enim Sozomenus lib. 2. c. 20. a Maximo hujus Urbis Episcopo constitutum & ordinatum esse Macarium Diospoleos Episcopum, quæ Urbs est Cæsareensi Metropoli subjecta. Idem Maximus Synodum coëgit ex Syria & Palæstina, in qua Athanasium in communionem recepit, ut testis est ipse Ath. Apol. 2. & Socr. lib. 2. c. 24.

LXIX. Cyrillus vero de primatu cum Acacio aperte certavit, ut testis est Theodoret. lib. 2. c. 26. quapropter ab illo levi de causa depositus est. Ab istius judicio ad majus judicium provocavit Cyrillus, & in Concilio Seleuciæ habito inter Episcopos consedit, ut videre est apud Theodoret. supra & Socr. lib. 2. c. 40. Iterum tamen in Concilio Acacianorum Constantinopolitano depositus est, ut refert Soz. lib. 4. c. 25. qui recte advertit causam inimicitiarum inter Acacium, & Cyrillum hanc fuisse, quod *post susceptum Hierosolymorum Episcopatum de jure Metropolitano adversus Acacium Episcopum Cæsareæ controversiam moverat tamquam Apostolicam sedem obtinens.*

LXX. Hæc in Cyrillum judicia in irritum misit Concilium Constantinopolitanum, in quo Cyrillus pro Episcopo habitus est, ut testes sunt Episcopi Costantinopolitani Concilii 3. in Ep. ad Occidentales apud Theodoretum lib. 5. c. 9. ubi Ecclesiam Hierosolymitanam omnium Ecclesiarum matrem vocant. Hyrosolymitani Episcopi usurpationem graviter reprehendit Hier. in Apol. ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani c. 15. *Tu*, inquit, *qui regulas quæris Ecclesiasticas: & Nicæni Concilii Canonibus uteris..... responde mihi ad Alexandrinum Episcopum Palæstinæ quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debueras, cui spreta communione tua communicare nos noveras, aut, si procul expetendum erat judicium, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed novi cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere, sciebas quid fugeres, quid vitares; maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.*

LXXI. In Concilio Ephesino Juvenalis inter primos sedit, & ipsi Orientales agnoscunt eum jus ordinationis in aliquibus Provinciis habuisse, aiunt enim in petitione ad Imperat. tom. 3. Conc. col. 728. quosdam e suis ab ipso olim ordinatos, nec propterea ipsum incusant, sed illius præstigias & studia per Phœnicem secundam, & Arabiam reprehendunt.

LXXII. Attamen sanctus Leo Ep. 62. c. 4. ad Maximum Juvenalem incusat, quod Palestinæ principatum occupare conatus fuerit: *sicut etiam*, inquit, *in Synodo Ephesina, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ principatum, credidit se posse sufficere & insolentes ausus per commentitia scripta firmare, quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & solicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Nescio unde habuerit sanctus Leo Juvenalem de Palestinæ principatu in Concilio Ephesino egisse; nihil enim in actis hujus Concilii de hac quæstione reperitur.

LXXIII. Ut ut sit, in eodem Concilio Act. 4. col. 642. Juvenalis ipse sic suam commendat sedem: *oportebat quidem*, Joannem Reverendissimum Antiochiæ Episcopum, *hac sancta & magna & œcumenica Synodo considerata confestim, ut de iis, quæ sibi objiciuntur se purgaret, accurrere, reveritus etiam Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum considentem, ac obedire, & honorem deferre Apostolicæ Ecclesiæ Dei Hierosolymorum, per quam maxime consuetudo est & Apostolica traditio, Thronum Antiochenæ Ecclesiæ dirigi & apud ipsam judicari.* Juvenalis in Antiochenum Episcopum sententiam ferens, arrepta occasione Hierosolymitanæ Ecclesiæ potestatem commendat. Sed nullum occurrit exemplum, quo pro-

Digitized by Google

probari queat Antiochenam Sedem ab Hierosolymitana fuisse directam, nisi forte præ oculis habuerit Apostolica tempora, cum in Ecclesia Hierosolymitana occasione Antiocheni dissidii habitum est primum Concilium, unde Epistola ad fratres in Syria consistentes missa est.

LXXIV. Demum in Concilio Chalcedonensi act. 7. tom. 4. Conc. col. 613. & sequentibus, omnes Concilii Patres atque inter alios Romanæ sedis Legati consentiunt, ut Episcopus Hierosolymitanus tres habeat Palæstinas, relictis Antiocheno Phæniciis duabus & Arabia. Eaque Patrum sententia judicum decreto confirmatur. Exinde quinque Sedes Patriarchales numerari cœperunt hoc ordine, Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana.

LXXV. Ceterum si quis omnes orbis Ecclesias quinque Patriarchis subjectas fuisse arbitraretur, is non levi errore implicaretur. Erant etenim in variis locis Episcopi αὐτοκέφαλοι, id est nulli subditi. Talis erat, ut jam diximus, Charthaginensis Primas; talis etiam fuit in oriente Constantiensis Episcopus, Cypri Metropolitanus. Cum enim Antiochenus Patriarcha per vim tentasset subjicere Provinciam Cypri, & ordinandi jus ad se rapere præter Canones & consuetudinem, quæ jam olim invaluerat: Episcopi Cyprii Concilium Ephesinum adiere, & coram eo de Antiocheni Episcopi illicita usurpatione conquesti, Synodi Decreto & Constantiensis Episcopi ordinatio, & liberrima Provinciæ administratio Episcopis Cypri commissa est: addito ut idem in aliis Diœcesibus, & in omnibus Provinciis servetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam Provinciam occupet. Hæc legere est act. 7. hujus Concilii tom. 3. Conc. col. 787. & sequentibus. Nec solum jus istud habuit Episcopus iste, quamdiu in Insula Cypri demoratus est, sed etiam cum post istud tempus in Hellespontum cum populo commigrasset ob incursiones Barbarorum, eumdem honorem idemque privilegium conservavit ei Trullana Synodus c. 39. tom. 6. Conc. col. 1166. quo statuitur, ut *illi jura a Patribus Ephesinis concessa serventur, præsitque omnibus Episcopis Hellespontiis, & a suis Episcopis ordinetur, plenaque fruantur* αὐτοκεφαλίᾳ.

LXXVI. Haud dissimili ratione in Occidente, Gallia nulli certo Patriarchæ parebat, sed ab Episcopis & Metropolitanis regebatur. Pari regimine administrabantur, Hispania, Germania, & ceteræ nationes iis remotiores. Barbarorum certe Ecclesias nulli istorum Patriarcharum subjectas fuisse haud dubium est. Has secundum *eam, quæ a Patribus obtinuit, consuetudinem gubernari*, jubet Concilium Constantinopolitanum Canone 2. id est ab iis Episcopis pendere & regi, quibus id mos & consuetudo concessit. Sic Æthiopicæ Ecclesiæ, Persicæ, Indicæ, & aliæ extra Romanum Imperium a suis regebantur Sacerdotibus, & nullius e quinque modo memoratis Patriarchis potestati subdebantur.

§. XII.

De Juribus, & Privilegiis Metropolitanorum.

PRimatis seu Metropolitani Jura, & Privilegia duplicis sunt generis; alia sunt honoris, alia potestatis, atque jurisdictionis, ut ex dictis facile colligi potest. Quod spectat ad honoris Primatum seu πρωτοκαθεδρίαν, res clarior est, quam ut ulla explicatione indigeat. De potestate ac jurisdictione magis laborandum est. Hæc autem in tribus præcipue consistit. I. in jure ordinationis Episcoporum Provinciæ. 2. In facultate convocandi Concilii Provinciæ. 3. In superinspectione super universam Provinciam, ut fides & disciplina in ea servetur.

II. Primum Metropolitani jus idque antiquissimum, est ordinandi Episcopos Provinciæ. Hoc autem sic fieri solebat. Clerus & populus urbis, cujus Episcopus modo defunctus erat, Episcopum eligebant, ut innumeris testimoniis probari posset, quia vero fieri non poterat, ut in eligendo non parum errarent, hominemque Sacerdotio indignum, ad tantam dignitatem promoverent: electiones ab Episcopis ordinatoribus examinandæ & discutiendæ erant. Quoniam vero magna fuisset orta turba, si cuivis

Digitized by Google

vis passim Episcopo licuisset Episcopum ordinare, statutum est, ut Episcopi electio confirmaretur ab Episcopis Provinciæ, præsertim vero a Metropolitano.

III. Ubi autem ille electionem secundum Canones factam, dignumque Sacerdotio electum esse intellexerat, simul cum Episcopis Provinciæ illum ordinabat. Ceterum circa istud Metropolitani jus maxime advertendum est, illud ipsi cum ceteris Episcopis fuisse quodammodo commune; nec enim illius erat solius aut electionem Episcoporum examinare, aut ipsos postea ordinare, sed omnium Provinciæ Episcoporum. Verum quia omnes simul adesse & convenire haud ita facile erat, alicui ipsorum major danda fuit auctoritas, cujus præsentia foret ad ordinationem necessaria, sine quo nemo posset Episcopum ordinare, cuique firmitas eorum quæ gererentur maxime tribueretur, hanc fuisse Metropolitani in ordinationibus auctoritatem constat ex innumeris pene Canonibus, & testimoniis.

IV. Concilium Nicænum Canone 4. *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia Episcopis ordinari, si autem hoc sit difficile, aut propter urgentem necessitatem, aut propter itineris longitudinem tribus omnino eumdem in locum convenientibus & absentibus quoque suffragium ferentibus scriptisque consentientibus tunc electionem fieri. Eorum autem quæ fiunt in unaquaque Provincia, firmitas τὸ κῦρος Metropolitano tribuatur Episcopo:* & Canone 6. *Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitani sententiam fuerit ordinatus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum.*

V. Post illud Concilium idem ferme in Synodo Arelatensi 2. hi duo Canones confirmati sunt Canone 50. *Episcopum sine Metropolitano, vel epistola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus Episcopis non liceat ordinare; ita ut alii Comprovinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent; quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat:* & Canone 6. *Illud autem ante omnia clareat, eum, qui sine conscientia Metropolitani constitutus fuerit Episcopus juxta magnam Synodum Episcopum esse non debere.*

VI. Concilium Laodicenum Canone 12. *statuit, ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circum circa sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem.* Antiochenum Canone 19. *Episcopus præter Synodum, & præsentium Metropolitani nullatenus ordinetur.* Constantinopolitanum 2. in epistola ad Occidentales apud Theodorit. lib. 5. c. 9. *De administratione autem particulari singularum Ecclesiarum, antiqua, ut probe nostis, obtinuit sanctio, & sanctorum Patrum, qui Nicææ congregati sunt, regulæ, ut in singulis Provinciis Episcopi illius Provinciæ, & si illis placuerit una cum ipsis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant.* Hanc additionem ut vicini advocentur, desumpsisse videntur illi ex Synodo Sardicensi, Canone 6. secundum Græcam editionem.

VII. Concilium Carthag. 2. c. 12. *Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocumque loco sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare; si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto Episcopum ordinent:* & Concil. Carth. 4. cap. 1. *Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque in Metropolitani præsentia vel auctoritate ordinetur Episcopus.*

VIII. Concilium Taurinense primum c. 1. jubet, *ut is, qui approbaverit suam civitatem esse Metropolim juxta præceptum Canonum ordinationum habeat potestatem,* Concilium Ephesinum act. 4. refert & confirmat Canonem 4. Concilii Nicæni.

IX. Chalcedonense Concilium Canone 25. & sess. ult. in Decreto judicum Metropolitani in ordinationibus Episcoporum jura

Digitized by Google

jura intacta ſervat, adverſus Conſtantinopolitanum Antiſtitem, decernitque Epiſcopum ſimplicem ordinari ſine conſenſu Patriarchæ, nec non Canone 25. jubet, ut intra tres menſes a Metropolitanis ordinationes fiant.

X. Eadem de Metropolitani jure ſanciunt Concil. Regienſe c. 1. Arauſ. 1. c. 21. Tarraconenſ. cap. 5. in quo ſpeciatim decernitur, ut ſi non ſit in Metropolitana civitate ordinatus, ſed per Metropolitani litteras, duobus poſt ordinationem menſibus Metropolitanum adeat. Epaonenſe Conc. c. 1. Aurelianenſe 4. c. 5. & quintum Can. 10. Turonicum 2. Canon. 9. Pariſienſe 3. Can. 8. Tolet. 4. c. 18. & alia quamplurima. His addam aliquot ſummorum Pontificum teſtimonia.

XI. Innocentius primus in Epiſt. ad Victricium c. 1. jubet, *ut nullus citra conſcientiam Metropolitani ordinare audeat Epiſcopum*.

XII. Bonifacius primus Epiſt. ad Hilarium Patroclum, *reprehendit, quod neſcio quem in aliena Provincia ordinaret, prætermiſſo Metropolitano contra regulas Patrum*. Refert poſtea Concilii Nicæni Canonem.

XIII. Leo Magnus Epiſt. 84. c. 5. decernit, ut ſi *in electione Epiſcopi partium inter ſe vota diviſerint, is alteri Metropolitani judicio præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis*. Et Ep. 89. reprehendit Hilarium, *quod ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicaret, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in ſuum jus transferret dignitatem*: & cap. 6. *ordinationem ſibi, ut jam diximus, ſinguli Metropolitani ſuarum Provinciarum cum his, quæ ceteros antiquitate Sacerdotii præveniunt, reſtituto ſibi per nos jure defendant*.

XIV. Et Ep. 53. queritur *violari ab Anatolio Provincialium jura Primatuum*, eo quod Epiſcoporum ordinationes ſibi arrogaret Ep. 93. *id ſtatuentes*, inquit, *ut ſi quis fratrum in quacumque Provincia deceſſerit, is ſibi ordinationem vindicet ſacerdotis, quem illius Provinciæ Metropolitanum eſſe conſtiterit*. Idem videre eſt Ep. 95. Hilarius Papa ad Aſcanium & Epiſcopos Tarraconenſis Provinciæ jubet, *ut nullus præter notitiam Metropolitani Aſcanii conſecretur Antiſtes*.

XV. Idem ſanciunt Gelaſ. I. in Ep. ad Natalem. Gregorius lib. 1. Ep. 14. ad Conſtantium Mediolanenſem: lib. 7. indict. 2. Ep. 8. ad Innocentium & alios Sardiniæ Epiſcopos: lib. 12. Ep. 35. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, & alii.

XVI. Sed etiamſi Epiſcoporum ordinatio ordinario jure pertineret ad Metropolitanum, nihilominus tamen ſi Epiſcopos ordinare negligeret, is a ceteris Epiſcopis ad id faciendum cogebatur, ut ſancitum eſt Canone Concilii Chalcedonenſis 25. *quoniam quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commiſſos ſibi greges, & ordinationes Epiſcoporum facere differunt, placuit ſanctæ Synodo intra tres menſes ordinationes Epiſcoporum celebrari; niſi forte neceſſitas inexcuſabilis præparet tempus dilationis extendi, quod ſi hoc minime fecerit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubjaceat*. Idem ex Canone Concilii Sardicenſis 5. ſecundum Latinam editionem colligi poteſt. In Concilio Aurelianenſi 3. anni 538. c. 1. anno integro jubetur is Metropolitanus a Miſſis celebrandis abſtinere, qui per biennium vacantem Eccleſiam reliquerit.

XVII. Ex dictis demonſtratum eſt ordinationem Epiſcoporum ordinario jure Metropolitanorum eſſe, non Patriarcharum. Hi tamen jam olim eam invadere conati ſunt: ſic Alexandrinus Præſul poſt annum 400. ordinabat Epiſcopos, non modo per Ægyptum, ſed etiam per Lybiam & Pentapolim, ut ex Syneſio, Iſidoro, & Moſco conſtat. In ceteris Patriarchatibus expetierunt primo Patriarchæ, ut ordinatio Epiſcoporum a Metropolitanis non fieret ſine illorum conſenſu, ſcientia & conſilio. Iſtud conſilii dat Romanus Patriarcha Innocentius I. Antiocheno Patriarchæ Ep. 18. ad Alex. his verbis: *itaque arbitrantur, Frater chariſſime, ut ſicut Metropolitanos, auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros Epiſcopos, non ſine permiſſu conſcientiaque tua, ſinas Epiſcopos procreari*. Hanc vindicabat in Provincias ſibi ſubditas auctoritatem Innocentius, eamdemque ab Antio-

Digitized by Google

Antiocheno usurpari arbitratur, & ex se de aliis judicat.

XVIII. Ceterum Episcopis Romanis ita persuasum erat neminem Patriarchatus sui ordinari debere citra consensum suum, ut expresse mandent Thessalonicensi Episcopo, quem Vicarium suum in Illyrico occidentali constituebant, ne his in locis ullam ordinationem *inscio se, vel invito*, fieri patiatur. Lege Epist. Siric. ad Anysium, & Sixti 3. ad Episcopos Thessalonicæ congregandos.

XIX. Idem jus arrogavit sibi Constantinopolitanus Antistes in Diœcesibus sibi subjectis, & ad illud confirmandum Imperatoriam legem obtinuit, ut ex Socrate observavimus. Sed postea repulsam tulit in Concilio Chalcedonensi, statutumque, ut Metropolitani etiam sine ejus consensu Episcopos ordinarent; & merito quidem: jus enim illud est Metropolitanorum proprium, nec Patriarchis competit, nisi cum aliqua necessitas urget, vel cum Metropolitanus ipse vacuas relinquit Ecclesias, quo tempore Patriarcharum est laborantibus Diœceseos sibi subjectæ Ecclesiis subvenire, & ne quid ipsæ detrimenti patiantur providere.

XX. Succedente vero tempore Pontifices Romani ordinandorum per universum Occidentem Episcoporum potestatem non sine multa contradictione sibi vindicavere, & omnium Metropolitanorum jura paulatim pessumdederunt.

XXI. Primum quidem Metropolitica ordinationum jura ad se trahere conati sunt per concessionem Pallii, eo enim dabatur a Pontificibus, ut possent plena auctoritate suæ Provinciæ Episcopos ordinare: unde sequebatur hanc potestatem a Pontifice Metropolitanis simul cum Pallio concedi. Hinc postea novo jure Metropolitanis interdictum est universis functionibus Episcopalibus, donec Pallium recepissent, juramentumque fidei introductum est.

XXII. Secundo, ad Pontificem Romanum devolutæ sunt appellationes judiciorum: quæ a Metropolitanis lata erant circa controversias, quæ in electionibus occurrebant.

XXIII. Tertio, si electores essent negligentes, aut si hominem minime idoneum elegissent, devolvebatur electio ad Pontificem Romanum.

XXIV. Quarto, Romano Episcopo reservatum est jus admittendi cessiones Episcopatuum, decernendique translationes, & coadjutorias cum futura successione.

XXV. Demum, confirmatio electionum omnium Episcoporum ipsi concessa; quod jus concordatis confirmatum est.

XXVI. Verumtamen ad duodecimum usque sæculum & amplius, sarta tectaque jura sua conservarunt in Gallia Metropolitani.

XXVII. Alcuinus, seu quisquis alius Auctor libri de divinis Officiis c. 36. sic eligendi Episcopi formam describit: *cum Episcopus civitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero seu populo, fitque decretum ab aliis: & veniunt ad Apostolicum*, id est Metropolitanum, *cum suo electo deferente secum suggestionem, hoc est rogatorias litteras, ut eis consecret Episcopum.*

XXVIII. In Capitulis Regum nostrorum insertus est Canon 12. Concilii Laodiceni, in quo ordinandi Episcopi jus Metropolitano & Comprovincialibus reservatur. Hunc morem tunc in Gallia viguisse constat ex formulis, quæ cum operibus Hincmari editæ sunt tom. 2. Conc. Galliæ & tom. 8. Conc. General. pag. 180. & sequentibus.

XXIX. Concilium ad Saponarias in Ep. ad Episc. Brit. tom. 8. Concil. col. 695. *statuit, neminem præter præsentiam aut consensum* Archiepiscopi Turonum Herardi, *ordinari posse* apud Britones Episcopum.

XXX. Yvo Carnotensis Epist. 61. sic pro jure ordinationis cum Hugone decertat: *verum*, inquit, *de eo quod consecrationem Nivernensis Episcopi Augustoduni facere dispositis, simpliciter dico Paternitati vestræ, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reverentiæ vestræ deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex auctoritate, nec ex consuetudine ordinem hunc consecrationis habemus, neque in consuetudinem ducere multa consideratione audemus; timentes rei fieri sponsionis, quam Metropolitanæ sedi fecimus..... cum ergo Metropolitana sedes ad præsens ab hoc officio suspensa sit, possemus nos pro sede Metropolitana confratribus nostris secundum consuetudines nostras, intra Diœcesim hoc Sacramentum*

tum consecrationis implere. Confirmata per ministerium vestræ legationis præfatæ personæ electione . . . quod si aliquando contigit penuria Catholicorum Episcoporum, vel aliqua alia necessitate cogente, aliquem Episcopum a Comprovincialibus non fuisse consecratum, non debent hæc exempla præjudicium facere legi communi, vel generali consuetudini. Attendat ergo discretio vestra, utrum hoc fieri liceat, & si liceat, utrum fieri expediat. Idem Epist. 138. *Electionis*, inquit, *Fulconis vel alterius assensum non dabimus, nisi quem aut Cleri plebisque consensus elegerit, aut Metropolitani judicium cum conniventia Suffraganeorum habita legitima discussione probaverit.* Idem confirmatur ex Romanis Pontificibus, qui ordinandorum Episcoporum jus Metropolitanis conservant: Stephanus VI. ut scribit Frodoardus lib. 4. Remensis Hist. noluit populo, & Clero Lingonensi consentire, ut Episcopum Theutboldum ordinaret, etiamsi jam electum, quia alium propria auctoritate Lugdunensis Metropolitanus eis ordinarat Episcopum; sed scripsit ad Lugdunensem, inconcussum cujusque *Ecclesiæ privilegium* servare, volens ut Theutboldo manus imponeret. Promisit ille; sed promissis non stetit: Clerus vero, & populus suum electum Romam miserunt obnixe sibi illum consecrari petentes. Sed nec tunc Stephanus id agere acquievit, *volens, ut Lugdunensi Ecclesiæ concessum privilegium immutilatum consisteret*. Ideoque Episcopo Lugdunensi iterato rescribens mandavit, ut quia concordi voto Clerus, & populus Theutboldum elegerat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescriberet; & cum neutrum Lugdunensis Antistes præstitisset, Theutboldum *lamentabilibus Lingonensium precibus inclinatus Lingonensis Ecclesiæ Episcopum consecravit*. Prudenter omnino & moderate se gessit hic Pontifex, nec enim Ecclesiæ Lingonensi periclitanti defuit, nec Metropolitani jura violavit. Nam in ejusmodi casu, cum Metropolitanus contra Canones, & sine plebis ac Cleri electione Episcopum ordinat, Patriarchæ potissimum est Ecclesiæ afflictæ subvenire, & ipsam ab iniquo Metropolitani dominio vindicare, cum præsertim admonitus in eadem contumacia perseverat.

XXXI. Gregorius VII. ad Moguntinum Metropolitanum scribit lib. 3. Ep. 2. ut in locum Herimanni Bambergensis simoniæ convicti, & idcirco in Synodo depositi, alium Pastorem Ecclesiæ Bambergensi præficiat.

XXXII. Ante hos Nicolaus primus in simili causa idem judicium tulerat. In Ep. ad Hilduinum 65. cum enim ille Cameracensem Ecclesiam invasisset; ad eum scribit, ipsum non posse Episcopum consecrari, cum Metropolitano Rhemorum Provinciæ, cui Cameracensis Ecclesia subjecta erat, nullum debeat præjudicium irrogari: jubet ergo eum quantocius abscedere, ut possit Episcopus a plebe eligi, & ab Archiepiscopo Rhemorum consecrari.

XXXIII. Joannes VIII. Ep. 243. Hieronymum Lausanensem pro Episcopo incunctanter agnoscit, eo quod ab Episcopis consecratus fuerit proprio Archiepiscopo causa infirmitatis præbente consensum. Epist. 314. Hincmarum hortatur, ut Laudunensi Ecclesiæ idoneum præficiat Episcopum.

XXXIV. Idem cum Ecclesia Genevensis esset Pastore orbata, & Oteramus Viennensis Episcopus nollet Optandum electum ordinare, ipsum ordinavit, *salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquæ propriæ Metropolis*. Hæc habentur in Epistola Joannis 281. hunc Optandum Oteramus non modo non recepit, sed & in carcerem conjici curavit; quapropter incusatur, & citatur ad Synodum a Joanne Ep. 292. addito mandato, ut Optandum emitteret e carcere, ni id faceret excommunicationem interminatus. His non motus Oteramus alium Episcopum Genevensi Ecclesiæ præficit, qua de causa graviter incusatur ab eodem Ep. 295.

XXXV. Urbanus II. in Ep. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum Yvonem se consecrasse scribit Episcopum Carnotensem, eo quod ille ad quem scribit, electo a *Carnotensibus Antistiti, cum ab eo consecrationis gratiam petivissent, manum imponere recusasset*. Pontifices illi inviti & necessitate cogente ordinationes Episcoporum facere se protestabantur, nec audebant illud jus sibi sine aliqua peculiari causa vindicare.

Digitized by Google

re. Innumera alia referri possent exempla; sed hæc abunde demonstant primam ac præcipuam Metropolitanorum potestatem in ordinatione Episcoporum Provinciæ consistere.

XXXVI. Alterum ipsorum jus in facultate convocandi Concilii Provinciæ situm est. Cum enim Ecclesiasticæ Provinciæ negotia in commune tractarentur, ita tamen, ut sine Episcopo Metropolitano nihil fieri posset: illius fuit locum & tempus Synodi indicere, & ad eam Episcopos Provinciæ convocare, quod minus recte ab alio fieri potuisset. Hoc ergo jus etiam ante Concilium Nicænum Metropolitanum ex consuetudine habuisse verisimillimum est.

XXXVII. At post Concilium Nicænum Antiochena Synodus c. 20. id aperte Metropolitano jus detulit. *Perficiatur*, inquit Synodus, *Metropolitano Provinciales Episcopos admonente secundam Synodum Idibus Octobris futuram . . . . . nec ullis liceat Synodos per se facere sine iis, quibus creditæ sunt Metropoles*. Tunc ex eodem Concilio c. 16. *perfecta dicitur ea Synodus, cui una quoque adest Metropolitanus*.

XXXVIII. Quin etiam Canonibus sancitum est, ne Episcopi a Metropolitano vocati venire recusent; & pœnæ in contumaces latæ Can. Laod. 40. *Quod non oporteat Episcopos ad Synodum vocatos contemnere; sed protinus ire, & docere, vel discere ea, quæ ad correctionem Ecclesiæ & ceterarum pertinent rerum: seipsum vero, qui contempserit, accusavit; nisi forte per agritudinem ire non possit*. Idem statuitur Canone 76. Codicis Ecclesiæ Africanæ, & Canone 19. Concilii Chalcedonensis, in quo Metropolitani judicio relinquitur, ut Synodi locum eligat. Eamdem disciplinam Gallicani Episcopi in Conciliis suis sanxerunt. Arelatensi 2. c. 18. & 19. in quo præterea cavetur, *ut is qui infirmitatis causa adesse non potuerit, personam vice sua ad Synodum dirigat*. Ac insuper excommunicatione plectitur is, qui adesse neglexerit. Item c. 29. Conc. 1. Araus. Agathensis Can. 35. Aurel. 5. c. 18. 1. Turonensis 2. c. 1. anni 567. & Meldensis anni 845. c. 2. &c.

XXXIX. Tertium Metropolitanorum jus consistit in quadam inspectione super totam Provinciam, seu generali cura, ut omnia secundum Canones, rectumque ordinem fiant, utque Provinciæ Episcopi officio suo fungantur. Qua de causa vetitum est Episcopis aliquid majoris momenti sine Metropolitanorum auctoritate & consilio gerere, canone Apostolorum 34. & Antiocheni Concilii 9. Hæc autem inspectio ad varia extenditur.

XL. Primo: Metropolitanus judex est Episcoporum suæ Provinciæ, & dissidiorum Ecclesiasticorum, quæ sunt adversus ipsum Episcopum, non quidem solus, sed simul cum Synodo Provinciæ: id habes ex Conc. Chalcedonensis c. 9. & 17. item ex Conc. Carth. 3. Can. 6. & 7. Tolet. 3. cap. 20. Aurel. 5. cap. 17. Matisconensis 2. c. 2. Innumera certe sunt exempla Episcoporum a Metropolitanis suis in Synodis Provincialibus ob varia delicta depositorum, quæ referre necesse non est.

XLI. Secundo: Metropolitanus pariter cum Synodo Judex est appellationum, quæ fiunt a sententia Episcoporum. Hanc Synodo Provinciæ, Metropolitanoque potestatem tribuit Concilium Nicænum c. 5. Antiochenum Canone 12. & 20. Sardicense Can. 17. Carthag. 2. Can. 8. quod etiam in jure novo servatum est.

XLII. Tertio: Si propter negligentiam, aut malitiam Episcopi sui Ecclesia aliqua detrimentum patiatur, Metropolitani est, vel Episcopum ad officium compellere, vel laboranti Ecclesiæ succurrere. Hinc Hilarus Papa Ep. 3. ad Ascanium Metropolitanum scribit; *tuæ sollicitudinis est, frater charissime, omnia debita tibi auctoritate tueri, & illicitis non modo non præbere assensum, sed etiam cuncta, quæ contra regulam facta repereris, coërcere*. Atque hæc Metropolitani cura ad bona etiam temporalia extenditur, ut intelligere est ex Can. 11. septima Synodi, quo statuitur, *ut si Episcopi nolint in Ecclesiis suis œconomos constituere, ii constituantur a Metropolitano*, & in Concil. Tol. 3. c. 20. *Officium, & potestatem esse*, aiunt, *Metropolitani, sicut & exactiones indebitas suorum suffraganeorum compescere & moderari: ita & Episcopum fraudatorem bonorum suæ Ecclesiæ corrigere*.

Digitized by Google

XLIII. Quarto: ſine Metropolitani ſententia & approbatione non licet Epiſcopo ab Eccleſia ſua diſcedere: hoc ſancitum eſt in Antiocheno Concilio Can. 11. & 13. & Sardicenſi c. 7. & 96. idque monet Gregorius lib. 7. Indict. 2. Ep. 8. & 61.

XLIV. Quinto: Metropolitani eſt docere Provinciam, & ſi quis erraverit, eum erroris admonere, de hoc ejus officio lege S. Leonem Epiſt. 50., & 88. Hilarum Epiſt. 3. item Conciliorum Tolet. 11. c. 2. Arelat. 4. c. 3.

XLV. Uno verbo, ut cetera Metropolitanorum munia prætermittam, tenetur in Provincia quantum poteſt boni procurare, & totis viribus quidquid in ea fit mali impedire, ſervatis tamen regulis, ſervato ordine, & intacta Epiſcopi cujuſvis in ſuam Eccleſiam poteſtate, cui ſecundum Canones ejus adminiſtratio ita concredita eſt, ut nihil in eam directe poſſit Metropolitanus, ſive in iis, quæ pertinent ad ordinationes Presbyterorum & diaconorum, ſive in iis, quæ ſpeciale Eccleſiæ regimen ſpectant.

XLVI. Præterea nihil fere poteſt Metropolitanus ſine conſenſu & conſilio Comprovincialium Epiſcoporum, niſi forte in iis, quæ admonitionis tantum ſunt, aut exhortationis, vel certe in iis, quæ moram nullam patiuntur, quo in caſu debet Metropolitanus prudenter, & ſecundum Eccleſiaſticas regulas id præſtare, quod differri non poteſt; ita tamen, ut fiduciario tantum decreto hæc ſtatuat; quod non aliter ratum ſit, quam ſi Epiſcoporum totius Provinciæ conſenſus acceſſerit.

§. XIII.

De Privilegiis Exarchorum ſeu Patriarcharum.

PAtriarchæ non ſecus ac Metropolitani jura, & privilegia duplicis ſunt generis, honoris ſcilicet, & poteſtatis. De honoris primatu nihil dicemus: ex dictis enim conſtat Patriarchas & Exarchos ceteros Epiſcopos honoris prærogativa plerumque præceſſiſſe, ſi Hieroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum Epiſcopos excipias, quibus ante acceptam Patriarchicam Juriſdictionem conceſſum eſt, ut nonnullos Patriarchas honore ſuperarent.

II. Poteſtas & Juriſdictio ad ordinationes Metropolitanorum extenditur, Synodi Diœceſeon convocandæ facultatem, & aliquam ſuper Diœceſim univerſam inſpectionem.

III. Quod ſpectat ad primum Patriarcharum jus, nec antiquiſſimum illud eſt, nec ubique obſervatum. Olim enim Metropolitani ab Epiſcopis Comprovincialibus ordinabantur; ſed quia poſt mortem Metropolitani inter Epiſcopos Comprovinciales nullus occurrebat majoris auctoritatis, a quo poſſent diſſidia, quæ inter Epiſcopos Provinciæ naſci poterant, componi, procedente tempore conſuetudo hæc invaluit, ut poſt electionem Metropolitani a Clero, & populo, itemque confirmationem ejus ab Epiſcopis Comprovincialibus, Patriarcha totius Diœceſeos adiretur, ut is Metropolitanum conſecraret; & id juris ex conſuetudine habuerunt in ſingulis ſuis Diœceſibus Patriarchæ. Et quidem in Concilio Chalcedonenſi, quod Patriarcharum privilegia exacte noverat, Epiſcopo Conſtantinopolitano ſimul cum Patriarchatu iſtud juris conceſſum eſt. Idem de Antiocheno affirmat Innocentius Papa Epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum: *ſicut Metropolitanos auctoritate*, inquit, *ordinas ſingulari*. De Alexandrino, & Romano res eſt extra dubium; advertimus enim antea illos non modo Metropolitanos, ſed & univerſos Patriachatus ſui Epiſcopos ordinaſſe. Certum quoque eſt jus ordinandi Metropolitanos intra Palæſtinas Hieroſolymitano Præſuli delatum eſſe Act. 7. Concilii Chalcedonenſis, quibus evidenter oſtenditur procedente tempore Patriarchas jus habuiſſe ordinandorum per univerſam Diœceſim Metropolitanorum.

IV. Ipſi autem Patriarchæ ordinari ſolebant ab Epiſcopis ex Diœceſi univerſa, præcipue vero ex ea Provincia, cujus Metropolis erat Patriarchalis ſedes.

V. Romanum Epiſcopum ab Oſtienſi Epiſcopo vicino, non ab aliquo Metropolitano olim ordinari conſueviſſe teſtis eſt S. Au-

Digitized by Google

Auguſtinus in Breviculo collat. 3. c. 5. Ad ejus tamen ordinationem plurimos Italiæ Epiſcopos conveniſſe, patet ex ordinatione Cornelii, quem Cyprianus Epiſt. 57. Epiſcopum dicit eſſe factum *a plurimis Collegis*. E contra vero ordinatio Novatiani traducitur, eo quod a tribus tantum Epiſcopis Italiæ ordinatus foret. Eum vero morem Romani Epiſcopi ordinandi diu viguiſſe docet nos libellus Cleri Romani, oblatus Honorio Imperatori anno 418. de Bonifacii electione, in quo hæc habentur: *poſt abſceſſum S. Zozimi Papæ Eccleſiæ Catholicæ urbis Romæ, ut fieri mos volebat, atque ipſa Religionis diſciplina, plures in unum convenimus Sacerdotes . . . . . venerabilem virum Bonifacium invitum acclamationibus totius populi ac conſenſu meliorum aſſeruimus divinæ inſtitutionis ordine conſecratum. Nam ſubſcribentibus plus minus ſeptuaginta Presbyteris aſtantibus, novem diverſarum Provinciarum Epiſcopis, benedictionem competenti tempore conſtat fuiſſe celebratam.* Ex parte vero Eulalii, qui tum Romanum ambiebat Epiſcopatum, aderant etiam nonnulli Epiſcopi, ut conſtat ex Commonitorio Honorii ad Synodum, quæ ob controverſiam iſtam congregata fuerat, quo in Commonitorio jubet, ut hi Epiſcopi, quos utriuſque ordinationibus interfuiſſe conſtabat, judices minime ſederent: ſed maxime gloriabatur Eulalius Oſtienſis Epiſcopi patrocinio, qui licet ſenex, æger ac prope moriens, fuerat accitus, ut Eulalium ordinaret. Ex his, & aliis ſimilibus exemplis conſtat olim mortuo Romano Pontifice quamplures Epiſcopos ex Vicariatu Romæ, ac præcipue vicinos in urbem veniſſe, ut electum a Clero populoque Romano Antiſtitem ordinarent, manum ordinario imponente Epiſcopo Oſtienſi.

VI. Alexandrinus quoque Patriarcha ab Epiſcopis Diœceſeon ordinatus legitur, ſic Athanaſium a ſe ſecundum vota Cleri & populi ordinatum eſſe Alexandriæ Epiſcopum, teſtes ſunt centum Patres ex Ægypto univerſa, Alexandriæ congregati in Epiſtola ſua apud Athanaſium Apol. 2. pag. 565. editionis Commelianæ, & Arianos qui ejus ordinationem clanculum a ſex aut ſeptem Epiſcopis factam eſſe criminabantur, mendacii arguunt. Julius item in Epiſtola ſua queritur, in locum Athanaſii Gregorium eſſe contra Canones conſtitutum Epiſcopum Alexandriæ, nec a plebe poſtulatum, nec ab Epiſcopis Ægypti ordinatum, ſed illuc miſſum ab extraneis Epiſcopis triginta manſionibus ab urbe Alexandria diſſitis. Mortuo Athanaſio ſucceſſit Petrus, in cujus ordinatione, teſte Theodorito lib. 4. cap. 26. vicini Epiſcopi Alexandriam confluxerunt. Poſt multos annos Proterium præſentibus Epiſcopis Ægyptiis Epiſcopum eſſe ordinatum teſtatur Liberatus in Breviario cap. 15. Similiter Joannes Talaia ordinatus dicitur ab Epiſcopis, Clericis, & Monachis Ægypti. Idem ſcriptor mentionem faciens ordinationis Theodoſii, qui Timotheo Alexandrino ſucceſſit, ſic deſcribit modum inthronizandi Archiepiſcopi Alexandrini c. 20. *Conſuetudo*, inquit, *eſt Alexandriæ illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti imponere, ut videatur manibus ſuis accipere collo ſuo B. Marci Pallium, & ſic legitime ſedere.* Quæ ſequuntur ordinationes Epiſcoporum Alexandrinorum, Pauli ſcilicet, Zoili, & Apollinarii, extra ordinem factæ ſunt, ac proinde non poſſunt in exemplum trahi.

VII. Antiochenæ Eccleſiæ Præſul ordinari ſolebat ab Epiſcopis orientis: ſic Domnus ab univerſa Synodo Epiſcoporum orientis Antiochiæ congregata, ſublato Paulo Samoſateno, Epiſcopus eſt ordinatus, ut teſtes ſunt ipſi hujus Synodi Patres in Ep. ſua Encyclica apud Euſeb. lib. 7. c. 37. Euſtathius ad eamdem ſedem evectus fuerat communi Epiſcoporum omnium ſuffragio, teſte Theodorito lib. 1. c. 7. Euſtathio dejecto ſuffragia Epiſcoporum in Euſebium inclinabant, ſed Imperator ad ejus preces id vetuit, juſſitque Epiſcopis, ut alium ordinarent, quod & fecerunt. Ad ordinandum Meletium Epiſcopos ex diverſis Provinciis vota ſua contuliſſe teſtis eſt Theodoritus lib. 2. c. 31. Nullibi vero diſertius deſcribitur, quo pacto fieri conſueviſſet ordinatio Epiſcopi Antiocheni, quam in Epiſtola Concilii Conſtantinopolitani apud Theodoritum lib. 5. c. 9. *antiquiſſimæ vero veræque Apoſtolicæ Antiochenſium in Syria*

Digitized by Google

nia Ecclesia, in qua venerandum Christianorum nomen primum innotuit, reverendissimum & religiosissimum Flavianum, tum illius Provinciæ, tum Orientalis Diœcesis Episcopi in unum congregati communi suffragio Episcopum ordinarunt, universa Ecclesia communi consensu, & quasi uno ore eum honorante.

VIII. Ubi vides Antiochenum Præsulem non solum ab Episcopis Provinciæ, sed & ab aliis Episcopis, aliarum intra illius Diœcesim Provinciarum fuisse ordinatum, qua in re elucet Patriarchalis sedis dignitas. Nam Hierosolymorum Episcopum, qui nondum erat Patriarcha, non a Diœceseos, sed tantum a Provinciæ Episcopis ordinatum fuisse statim dicunt. *Hierosolymitanæ autem*, inquiunt, *Ecclesiæ, quæ mater est omnium Ecclesiarum reverendissimum ac religiosissimum Cyrillum Episcopum esse judicamus, qui canonice ab Episcopis Provinciæ olim fuit ordinatus.* Porro laudatam a Synodo ordinandi Patriarchæ Antiocheni formam approbat Simplicius Pontifex Romanus Ep. 14. ad Zenonem, in qua laudat Imperatorem, quod scripsisset, *ut deinceps secundum ordinationem Patrum Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reservetur.* Et postea commendat ejus ea de re sponsionem, quod posthac in Antiochena *urbe, veteri reservato more a Comprovincialibus suis Episcopus ordinetur.*

IX. Bizantinæ Ecclesiæ Sacerdotem quamdiu Heracleensi Metropolitæ subjectus fuit, ab eo & ab Episcopis ordinatum fuisse dubium nullum esse potest. Ubi vero Patriarchalem honorem ista sedes ambire cœpit, hujus Episcopus non solum a Provinciæ, sed & a Diœceseos Episcopis est constitutus: ita Nectarius a Synodo Constantinopolitana ordinatus, & ante eum Gregorius Nazianzenus a Meletio totaque Synodo fuerat in Throno collocatus. Mortuo Nectario quamplures Episcopi ad ordinationem Joannis Chrysostomi Constantinopolim venerunt, a quibus ille est ordinatus invito Theophilo, qui cum primum ordinationi ejus obstitisset, tandem ei consensit. Vide Sozomenum lib. 8. c. 2. Ceteros autem deinceps Episcopos Constantinopolitanos ab Episcopis Provinciæ ac Diœceseos ordinatos esse, vix ullum potest esse dubium. Hæc enim erat generalis regula, quam Concilii Constantinopolitani tertii Patres veluti communem & ubique in oriente observatam tradunt, ut ex *singulis Provinciis Episcopi illius Provinciæ, & si illis placeret una cum ipsis finitimi, prout utile judicarent, ordinationes faciant.* Hæc autem clausula *una cum eis finitimi*, locum semper habuit in magnis illis sedibus, quæ non solum Provinciæ, sed etiam Diœceseos erant capita. Conveniens etenim erat, ut quoniam in universam Diœcesim aliquam habebant auctoritatem, ab universis ejus Episcopis, aut saltem ex eorum consensu ordinarentur. Hac de causa Episcopi Ephesini ab Asianis omnibus ordinabantur, ut jam observavimus, ubi de actione septima Chalcedonensis mentionem fecimus, in qua tantopere laborarunt Asiani, ut jus illud sibi conservaretur, quia scilicet hoc sublato Ephesinus Episcopus amittebat Patriarchatum suum, ac tum ipse, tum ceteri Asiani subjiciebantur Constantinopolitano Patriarchæ.

X. In ceteris vero totius orbis Provinciis, ubi nulli erant Patriarchæ, Metropolitani vulgo ordinabantur ab Episcopis Provinciæ, raro adjunctis finitimis. Inde in Concilio Ephesino Episcopi Cyprii obtinuere, ut secundum antiquum morem illorum Metropolitanus αὐτοκέφαλος ab Insulæ Episcopis inconsulto Antiocheno ordinaretur.

XI. In Italia Mediolanensis Antistes totius Vicariatus Italiæ Exarchus a Synodo Episcoporum Italiæ ordinabatur, ut constat ex ordinatione Ambrosii apud Theodorit. hist. lib. 4. c. 7. at temporis progressu Romani Pontifices ad Episcopi Mediolanensis ordinationem consensum suum requiri voluerunt, ut constat. ex Greg. lib. 2. Ep. 31.

XII. In Africa vero Carthaginensis Episcopus totius Diœceseos Primas ordinabatur ab Episcopis vicinis, ut constat ex Augustino in Breviculo collationis diei tertiæ c. 5. ubi objicientibus Donatistis, quod non fuisset princeps a principe, hoc est Primas Provinciæ Carthaginensis a Primate Numidiæ ordinatus, respondet Ecclesiasticam consuetudinem esse, *ut non Nu-*

Digitized by Google

Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum ordinent.

XIII. In Hiſpania, Gallia, ceteriſque Provinciis nulli proprie dicti Patriarchæ erant, atque idcirco in iis ordinationes Metropolitanorum fiebant ab Epiſcopis Provinciæ. De Hiſpania conſtat ex Concili 4. Toletani Canone 10. & Tarraconenſis Can. 5. prioris hoc eſt decretum: *Epiſcopus Comprovincialis ordinandus eſt, ubi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem nonniſi in civitate Metropoli, Comprovincialibus ibidem convenientibus.*

XIV. De Gallia idem demonſtratur ex Concilio Arelatenſi primo Can. 20. in quo generatim ſtatuitur, ut quilibet Epiſcopus a ſeptem Epiſcopis ordinetur. In Synodo Aurelianenſi ſecunda Can. 7. *antiqua hæc renovatur formula inſtitutionis, quam per incuriam videbant amiſſam*, verba ſunt Synodi, *ut ſcilicet Metropolitanus ordinetur a Comprovincialibus in unum congregatis.* At ſequens Concilium ibidem anno 538. convocatum Can. 3. novam conſuetudinem renovavit, *ut Metropolitani a Metropolitanis, omnibus, ſi fieri poteſt, Comprovincialibus præſentibus ordinentur.*

XV. Poſthæc tempora Yvo cum Lugdunenſi Præſule Pontificis ordinationes ſibi vindicante pro Comprovincialium jure fortiter decertavit: cum enim ille exigeret, ut Senonenſis Epiſcopus electus profeſſionem canonicam ſibi faceret, obſtitit hic, idque Canonibus contrarium eſſe aſſeruit. *Cum ergo*, inquit Ep. 60. *tam iſta, quam alia generalia inſtituta tam abſolute conſecrationem Metropolitanorum contineant, miramur, cur privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & conſuetudines removeri contenditis, præcipiendo ut Senonenſis electus ante conſecrationem ſuam vobis præſentetur.* Uno verbo, hæc fuit vetus Eccleſiæ forma teſte Gelaſio Papa Ep. ad Natalem, *ut obeuntes Epiſcopos, in eadem regione Metropolitanus ſuos deberet ordinare, eumdemque ipſum Metropolitanum, ſi humana morte tranſierit, Comprovinciales Epiſcopi ſtuderent ordinare.* Quod etiam novo jure non omnino ſublatum videtur, ut conſtat ex reſponſo Lucii III. de tempore ord. *ſi Archiepiſcopus*, inquit, *fuerit ordinandus, omnes Epiſcopi ejuſdem Provinciæ ad ſedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur: reliqui vero Comprovinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, ceteris conſentientibus, a tribus juſſu Archiepiſcopi poterunt ordinari.*

XVI. Ex dictis abunde, ut puto, demonſtratum eſt Romanum Pontificem, nec Epiſcopos, nec Metropolitanos extra Vicariatus Romæ limites inſtituiſſe; tantum abeſt, ut ejus juris fuerit omnes orbis Patriarchas, & cunctos Occidentis Metropolitanos ordinare. Hoc vero cum diffiteri non poſſint, qui putant divinum Romani Pontificis privilegium eſſe ubique Epiſcopos, aut ſaltem Metropolitanos ordinare, eo recurrunt, ut dicant eum orientis Patriarchas, & occidentis Epiſcopos non ordinaſſe defectu voluntatis, non autem defectu poteſtatis: quia ſcilicet uti nolebat jure, quod ſibi competebat. Quaſi vero Romani Pontifices ita dignitatis ſuæ fuiſſent immemores, ut eximium jus ſuum ab Epiſcopis per multa ſæcula invadi, & diſertis decretis impugnari paſſi forent. Deinde unde cognoſci poſſunt Romani Pontificis jura, niſi ex Canonibus, aut ex uſu & conſuetudine? ſed ex neutro capite jus ordinationum in toto Occidente Pontifici Romano delatum eſt: ergo ſine fundamento aſſeritur illud olim ipſi competiiſſe.

XVII. Nihil habent adverſarii, quod opponant, præter nonnulla Pontificum Romanorum dicta, quæ perperam illuc trahunt. Sic verbi gratia jus illud Pontificem Romanum in Illyrico habuiſſe probant ex Epiſtolis Pontificum, in quibus Vicariatum ſuum conferunt Theſſalonicenſi Epiſcopo, ad quem idcirco pertinere ſcribunt Metropolitanorum omnium hujus tractus ordinationem. Huic objectioni, quæ ſit adhibenda reſponſio, patet ex dictis. Obſervavimus enim Romanos Pontifices conatos eſſe Illyricum Patriarchatui ſuo addere & Vicario ſuo eodem fere modo hanc regionem ſubjicere, quo ſibi ſubjectæ erant Provinciæ ſuburbicariæ. Quare non mirum ſi Metropolitanos ibi non ſine auctoritate ſua ordinari voluerint, cum Illyricum occidentale poſt mortem Conſtantii ad Diœceſim ſuam pertinere exiſtimarent, illudque ſit Patriarchæ pri-

privilegium.

XVIII. In Gallia idem jus Romano Episcopo competiisse probare conantur ex Epistola 66. Cypriani de Marciano, in qua scribit ad Stephanum, *ut dirigat litteras ad plebem Arelate consistentem, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.*

XIX. Verum ex ea contrarium plane evincitur: sic enim se res habet. Marcianus Arelatensis Episcopus Novatiano se conjunxerat, & a Catholicæ Ecclesiæ unitate ac pace discesserat. Faustinus Lugdunensis ea de re certiores fecerat Cyprianum, & Stephanum, datis ad utrumque litteris. Cyprianus Stephanum forte dubium litteris suis hortatur, ut dentur ab ipso litteræ ad Episcopos in Gallia constitutos, & ad plebem Arelate consistentem, quibus abstento Marciano alius in ejus locum substituatur Episcopus electus scilicet a plebe Arelatensi & consecratus ab Episcopis Galliæ: has autem litteras ab ipso in Gallias mitti exoptat, non quod ille jus in eas Patriarchicum obtineret, *sed quia idcirco copiosum*, inquit, *corpus est sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex eorum collegio hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi Pastores utiles & misericordes, oves Dominicas in gregem colligant .... quia etsi Pastores multi sint, unum tamen gregem pascunt, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, fovere debent.*

XX. Annon aperte significat his verbis Cyprianus, se Stephanum ad id hortari, quod quilibet alius Episcopus præstare potuisset? Hujus rei insigne nobis exemplum suppeditat sequens ejus Epistola ad Hispanos scripta de Basilide, & Martiale, in qua id erga Hispaniam facit, quod Stephanum erga Gallias præstare fuerat hortatus: Basilidem, quippe & Martialem, libellorum idololatriæ reos expelli jubet, Sabinumque in Basilidis locum legitime ordinatum remanere: quamvis ille Romam pergens Stephanum fefelliisset, *ut exambiret reponi se in Episcopatum, de quo fuerat depositus.*

XXI. Itaque Cyprianus non modo nullam agnoscit in Romano Pontifice ordinandorum Episcoporum in Hispania potestatem, verum etiam ejus judicium de restitutione alicujus Episcopi jam ordinati improbat, & Hispanos litteris suis hortatur, ut ei minime pareant.

XXII. Alio deinde testimonio conantur ostendere ordinatos fuisse a Pontifice Romano in Gallia Metropolitanos, quod non minus leve est: Zozimus, inquiunt, dedit Arelatensi Episcopo jus ordinandi Episcopos in Galliis; verum Zozimus non tribuit hanc Arelatensi Episcopo potestatem: sed quia ipsum Viennensis, & Narbonensis Provinciæ Metropolitanum esse putabat, statuit, ut in ordinandis Episcopis teneat auctoritatem. Perabsurdum autem est inde inferre jus ordinandorum Metropolitanorum in Gallia ad Pontificem Romanum pertinere.

XXIII. Ceterum tantum abest, ut Romanus Pontifex ordinationes Episcoporum, aut Metropolitanorum in Gallia sui juris esse existimarit, ut S. Leo Epist. 89. ad Episcopos Viennenses Hilarium reprehendat, quod non modo ordinationes Ecclesiarum Galliæ sibi vindicaret, sed etiam mentiretur id juris Romano Pontifici competere. *Non enim*, inquit, *nobis ordinationes Provinciarum vestrarum defendimus, quod potest forsan Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis per vestram sollicitudinem vindicamus.* Quid clarius aut apertius desiderari potest? Pontifex Romanus diserte pronuntiat se sibi ordinationes Ecclesiarum in Galliis minime vindicare: annon perfrictæ frontis eos esse oportet, qui invitis & reclamantibus Pontificibus, istud juris ipsos tunc temporis obtinuisse confidenter affirmant? Non me latet Quenellium per ordinationes Ecclesiarum hic non intelligere ordinationes Episcoporum, sed Ecclesiarum administrationem, & sollicitudinem, quæ Metropolitano aut Primati competit. Verum etiamsi hæc expositio vera foret (quæ tamen parum verisimilis videtur,) subsisteret tamen argumenti nostri vis; nam si Romanus Episcopus non habet sollicitudinem Ecclesiarum Galliæ, multo minus habebit ordinationem Episcoporum & Metropolitanorum, in quo præcipua administratio seu sollicitudo & ordinatio Ecclesiarum sita est.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. De Hiſpania perſpicuum eſſe volunt jus ordinationum in Diœceſi Hiſpanienſi Epiſcopum Romanum habuiſſe ex inſtitutione Primatuum, ut conſtat ex Epiſt. 1. Simplicii. 26. Hormiſdæ, & ex Concil. Tol. 12. anni 681. c. 6. Verum ex iſtis potius perſpicuum eſt, Epiſcopum Romanum jus iſtud in Hiſpania non habuiſſe. Simplicius, & Hormiſdas Vicarios ſuos faciunt duos Epiſcopos Hiſpaniæ, hic Silvanum, ille Zenonem; ſed ne verbum quidem habent de ordinatione Metropolitanorum. Concilium vero Toletanum canone 6. concedit Toletano Pontifici hoc privilegium, *ut electos a Rege Epiſcopos probet, & omnibus Eccleſiis præficiat, ea tamen lege, ut is infra trium menſium ſpatium Metropolitani præſentiam viſurus accedat*. Hoc autem quid faciat ad jus Romani Pontificis aſſerendum aſſequi ego prorſus nequeo.

XXV. Demum de Africa Epiſcopum Carthaginenſem totius Africæ Primatem ab Epiſcopo Romano conſtitutum eſſe ex omni retro memoria confidenter aſſerunt. Unde concludunt, eum Metropolitanos ordinaſſe auctoritate ſibi a Romano Pontifice commiſſa. Verum qui ita ratiocinantur, morem Africanæ Eccleſiæ ignorant. Nam Epiſcopus Carthaginenſis non a Romano Pontifice, ſed a vicinis ordinabatur Epiſcopis, idque ex omni retro memoria. Metropolitani vero Eccleſiaſtici ad illum gradum perveniebant ex ſola antiquitate. Metropoleon vero civilium Epiſcopi nullo præ ceteris jure fruebantur.

XXVI. Itaque cum tam leves afferantur rationes ad oſtendendum Romanum Pontificem jus ordinandi Metropolitanos in toto Occidente habuiſſe, firmum manere debet & inconcuſſum, Metropolitanorum ordinandorum in Africa, Gallia, Hiſpania, ceteriſque occidentis Provinciis extra Patriarchatus Romani limites a nobis aſſignatos ſitis, poteſtatem, penes Comprovinciales Epiſcopos, non penes Romanum Pontificem fuiſſe; qui jure iſto antiquitus fruebatur tantum in Provinciis ſuburbicariis, ubi omnes Epiſcopos ordinabat, & in Illyrico, ubi Metropolitanos a ſuo Vicario Theſſalonicenſi Epiſcopo ambiebat ordinari.

XXVII. Eodem, ut obſervavimus, jure fruebantur Patriarchæ orientis, Alexandrinus, Antiochenus, Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus, ſed in ſuis tantum Diœceſibus, non extra Patriarchatus ſui limites, ubi Metropolitæ juxta antiquiſſimam formam ab Epiſcopis Provinciæ, adjunctis ſi placuiſſet finitimis, conſtituebantur. Atque hæc de primo Patriarcharum jure, quod ad ordinationes ſpectat.

XXVIII. De poſterioribus, Concilii ſcilicet convocandi poteſtate, & ſuper totam Diœceſim inſpectione, vix ulla poteſt eſſe difficultas. Nam ſtatim atque recurſus datus eſt a Synodo Provinciæ ad Synodum Diœceſeos, ut in Concilio Chalcedonenſi Canone 9. ſancitum eſt, haud dubium quin Patriarchæ jus habuerint Epiſcopos ad Concilium invitandi. Cetera vero jura inſpectionis eadem ſunt, proportione ſervata Patriarchæ ſuper Diœceſim, ac Metropolitani ſuper Provinciam.

XXIX. Nullus autem Patriarcha majorem habuit inſua Diœceſi poteſtatem, quam Alexandrinus. Nam præter omnium Epiſcoporum ordinationes adeo ab ipſo pendebant ceteri Epiſcopi, ut nihil ſine ipſo majoris momenti facere auderent. Hinc in Concilio Chalcedonenſi act. 4. Ægypti Epiſcopi adeo enixe obteſtantur Patres Concilii, ne ad ſubſcriptionem fidei ſine Archiepiſcopo adigantur, quia extra ſententiam, & juſſum ejus nihil ejuſmodi facere poterant.

§. Ultimus.

Sextus Canon Concilii Nicæni exponitur, & Provinciarum ſuburbicariarum limites inquiruntur.

QUoniam ad præſens inſtitutum imprimis ſpectat ſextus Canon Concilii Nicæni, quo quarumdam Eccleſiarum ſupra ceteras jura, & privilegia firmantur: ideo nos antequam huic diſſertationi finem imponamus, genuinum ejus ſenſum, qui multis diſputationibus involutus eſt, inveſtigabimus. Ac primum exſcripturi ſumus Canonem ex verſione Dionyſii Exigui, quæ omnium videtur optima. *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Epiſcopus horum*

Digitized by Google

omnium habeat potestatem ; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam ceteraſque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.

II. Prima circa hujus Canonis ſenſum quæſtio eſt, utrum jura illa ſeu privilegia Romanæ, Alexandrinæ, & ceterarum Eccleſiarum, de quibus loquitur Concilium, Patriarchalia ſint, an Metropolitica. Poſterius iſtud in diſſertatione ea de re confecta probare ſtuduit Launoïus Pariſienſis Theologus. Sed hanc diſſertationem refutare conatus eſt Valeſius, in alia diſſertatione, quam ad calcem Socratis, & Sozomeni inſeruit, contendens de jure Patriarchico hic agi. Nos utriuſque opinionis fundamenta referemus, prætermiſſis illis, quæ ad quæſtionem iſtam ſolvendam non pertinent ; quid in utraque opinione vitii videatur, docebimus ; ac demum noſtram expoſitionem apertam, ut puto, ac planam ſubjiciemus.

III. Launoïus cenſet hunc Canonem editum eſſe occaſione ſchiſmatis Meletii, quod ille per ſingulas Provincias Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos conſtituere auſus fuerit : cum antea conſuetudo eſſet, ut ab Epiſcopo Alexandrino ordinarentur. Vult igitur hoc Canone antiquum illud ordinationis per totam Ægyptum, Libyam, & Pentapolim jus Alexandrino Epiſcopo vindicari. Ita ut ille Canon ſit veluti exceptio quarti, in quo ſtatuitur, *ut confirmatio eorum, quæ in Provincia geruntur, Metropolitano tribuatur Epiſcopo.*

IV. Itaque Canonis hujus ex Launoïo hic ſenſus eſt, etiamſi in pleriſque Eccleſiis ordinatio Epiſcoporum cenſeatur eſſe legitima, cum a tribus Epiſcopis Provinciæ, conſentientibus ceteris ejuſdem Provinciæ, & confirmante Metropolitano facta eſt : attamen omnes, & ſingulæ ordinationes in Ægypto, Libya, & Pentapoli, pertinebunt ad Alexandrinum Metropolitanum ; ſicut ordinationes Provinciarum ſuburbicariarum ad Romanum ; quia antiquus mos ita obtinuit : ſimiliter apud Antiochiam, ceteraſque Provincias, is Metropolitanus, qui conſuevit antiquitus Epiſcopos in Eccleſiis ordinare, ſuo jure fruetur.

V. Hæc expoſitio duobus nititur fundamentis.

VI. Primum eſt, Alexandrinum Præſulem jus ordinationis Epiſcoporum, & Presbyterorum, & Miniſtrorum per Ægyptum, & Pentapolim habuiſſe.

VII. Alterum eſt, illam, quæ inſtituitur inter Romanum, & Alexandrinum Præſulem, comparationem, in iis, quæ ad ordinationem Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum pertinent, inſtitui. Hæc duo probare conatur Launoïus, primum cap. 2. alterum cap. 4. diſſertationis ſuæ.

VIII. Illud igitur probat ex Athanaſio, qui ait in Opuſculo de ſententia Dionyſii Alexandrini, ad curam ejus ſuperioris Libyæ Eccleſias pertinuiſſe ; & Sozomeno, qui dicit Meletium ordinationes ad Alexandrinum pertinentes ſibi uſurpaſſe, cui jungit Epiphanium, qui ait, ipſum Eleuteropoli, Baſæ ſeu potius Gaſæ, & Æliæ Epiſcopos conſtituiſſe.

IX. Deinde ex eodem lib. 8. cap. 19. cum refert Nilammonem Peluſii ordinatum eſſe Epiſcopum a Theophilo ; Socrates quoque Hermopoleos Epiſcopum Dioſcorum, ab eodem ordinatum eſſe ſcribit lib. 6. c. 7. Præterea Syneſius teſtis eſt Epiſt. 67. & 105. Epiſcopum Alexandrinum Palæbiſcæ, Olbiatis, & Cyrenæ Pentapoleos urbibus Epiſcopos ordinaſſe, colligiturque ex Iſidoro Peluſiota lib. 2. Epiſt. 128. Cyrillum Alexandrinum Peluſii Epiſcopum ordinaſſe. Denique Moſchus ait, Papam Alexandrinum Heliopolim, Leontopolim, & Babylonem Epiſcopos miſiſſe.

X. Alterum vero expoſitionis ſuæ fundamentum, nempe comparationem inter Alexandrinum, Romanumque Patriarcham quoad jus ordinationis inſtitui probat tantum Launoïus ex hypotheſi, quam antehac fecerat, Meletium huic Canoni occaſioni fuiſſe ob ordinatos in Libya, Ægypto, & Pentapoli Epiſcopos. Verum id gratis omnino ſupponitur, nec ullo argumento aut probatum eſt a Launoïo, aut probari poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Quod autem primo loco aſſerit Alexandrinum Præſulem jus ordinationis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum per omnes Eccleſias Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos habuiſſe, & quidem refragante Metropolitano, necnon proprio Epiſcopo, de Presbyteris, & Diaconis falſum omnino videtur; de Epiſcopis vero, qui ſunt extra ejus Provinciam ante annum 400. nullo argumento demonſtrari poteſt. Nam jura illa Dionyſii Alexandrini ad ordinationes, juſque Metropoliticum minime pertinebant: ſed tantum ad quamdam, ut ita loquar, ſuperinſpectionem, & ſuperintendentiam ſeu majorem auctoritatem, qua pollebat Alexandrinus Antiſtes ſuper Epiſcopos Libyæ, & Pentapoleos, ad quos propterea legatos miſit, ut eos ab errore Sabellii revocaret.

XI. Verum eſt quidem Meletium Epiſcopos, & Presbyteros non modo in iſtis Provinciis ordinaſſe, ſed etiam in aliis; nam Eleuteropolis, Gaza, & Ælia in Palæſtina ſunt, non in Ægypto, Libya, aut Pentapoli; ſed ex hujus facto concludi non poteſt, Alexandrinum jus ordinationis in his Provinciis habuiſſe, nec ullus id unquam dixit. Hinc videre eſt Meletium ſibi vindicaſſe non ſolum ordinationes ad Alexandrinum Præſulem pertinentes: ſed pro more eorum, qui novarum ſunt ſectarum auctores, ubique factionis ſuæ Epiſcopos ordinare tentaſſe. Denique quod Socrates ait ordinatum eſſe Epiſcopum Hermopoleos, id nihil facit ad propoſitum, cum Hermopolis ſit Ægypti urbs, cujus Præſul Alexandrinus Metropolitanus erat.

XII. Verumtamen negari non poteſt, quin poſt annum 400. nonnullos in Pentapoli Epiſcopos ordinarit Alexandrinus Præſul, ut conſtat ex relatis a Launoio Syneſii, Iſidori, & Moſchi teſtimoniis. Sed iſtud jus tempore Nicæni Concilii Alexandrino Epiſcopo competiiſſe non probatur, nec ex Concilii Canonibus colligi poteſt. Deinde etiamſi jus iſtud tunc temporis Epiſcopus Alexandrinus habuiſſet, inde concludi non poteſt de illo tantum hic Concilium loqui, non autem de jure Patriarchico.

XIII. Præterea quidvis tandem moliatur Launoius, dicere minime poteſt de jure Metropolitico hic tantum agi. Licet enim jus ordinandi Epiſcopos in ſua Provincia ſit Metropoliticum, jus tamen ordinandi Epiſcopos in aliena Provincia pluſquam Metropoliticum eſt, imo pluſquam Patriarchicum. Quare cum ultro fateatur Launoius hic agi de iſto jure, fateri quoque debet, Canonem non de ſimplici jure Metropolitico intelligendum eſſe: ut enim verbo dicam, Metropolitanus is dicitur, qui uni Provinciæ præeſt, Patriarcha vero, qui toti Diœceſi: ſed qui in tota Diœceſi Epiſcopos ordinat, non modo Provinciæ, ſed toti Diœceſi præeſt: ergo Patriarcha merito dicitur. Itaque multum vereor, ne hæc tam acris diſceptatio mera ſit λογομαχία. Patriarchæ nomen tunc in uſu non fuiſſe fatentur omnes. Metropolitani nomen pro primo unius tantum Provinciæ Epiſcopo, qui ejus curam gerit, acceptum tunc temporis certo certius eſt. Dum ergo Concilium Nicænum, quibuſdam Metropolibus in alias Metropoles, & Provincias jura concedit, jura iſta proprie non ſunt Metropolitica: ſi tamen aliquis ea Metropolitica appellare pertinaciter velit, non multum repugnabo, modo fateatur, hæc eadem dici etiam poſſe Patriarchica, quamvis nomen Patriarchæ nondum eſſet in uſu.

XIV. Alterum opinionis Launoii caput eſt, comparationem inter Eccleſiam Alexandrinam, & Romanam quoad jus ordinationis inſtitui. Hanc ex ipſomet Launoio refellimus: nam ſi Romanus Epiſcopus, ut ipſe contendit, ordinabat tantum Epiſcopos in Provinciis Metropoli ſuæ ſubjectis, non autem in Provinciis, quæ aliis Metropolitanis ſubjiciebantur, quid hoc, quæſo, ad Alexandrini Præſulis in Libyam, & Pentapolim jura confirmanda faciebat? Nulla quippe difficultas erat, quin ordinatio Epiſcoporum Ægypti ad ipſum pertineret, vel ſi qua erat, hæc Canone 4. jam ſublata fuerat, quo Metropolitanorum in ordinationibus jus confirmabatur. Sed quæſtionem hanc fuiſſe vult Launoius, num in Pentapoli, & Libya, id eſt aliis Provinciis ordinationis jus haberet Alexandrinus? hoc autem Romani Pontificis exemplo non confirmatur, ſed potius infirmatur. Nam ſi Epiſcopus Romanus non alibi ordinat,

quam in Provinciis ſuburbicariis, quarum ille ſolus Metropolitanus eſt, cur Alexandrinus ordinabit in aliis Provinciis, quarum Metropolitanus non eſt? Quod autem hic aſſerit Launoius, Romanum Epiſcopum Presbyteros ex ſua Provincia inconſultis Epiſcopis ordinaſſe, id mihi & falſum videtur, & omnibus Eccleſiaſticis regulis contrarium: ſed hoc nihil ad quæſtionem noſtram facit, quare nunc ad Valeſii expoſitionem accedimus.

XV. Valeſius duo præcipue ait hoc in Canone notanda eſſe; primum, hic agi de Patriarchis: alterum, non de ſola ordinatione, ſed de omni jure Patriarchico agi.

XVI. Poſterius illud jam probavimus, & poſtea exponemus. Alterum ipſe probat ex Athanaſio, Innocentio, & Hieronymo. Athanaſio quidem, cum ait ad curam Dionyſii Libyam pertinuiſſe. Innocentio, cum ſcribit ad Alexandrum Antiochenum, eum Concilii Nicæni Canonibus, *non ſuper unam Provinciam, ſed ſuper Diœceſim eſſe conſtitutum, ut Metropolitanos auctoritate ordinet ſingulari, & ceteros non ſine permiſſu, & conſcientia ſua ſinat Epiſcopos procreari*. Denique Hieronymus ait in Epiſt. ad Pammachium a Concilio Nicæno ſtatutum fuiſſe, *ut totius Orientis Metropolis eſſet Antiochia*.

XVII. Poſteriorem vero hujus Canonis partem: *illud autem omnino manifeſtum eſt, ut ſi quis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere*, de omnibus Epiſcopis intelligendam non eſſe putat Valeſius, ſed tantum de Metropolitanis, quorum ordinatio irrita decernitur, niſi ſit a Metropolitano Metropolitanorum, hoc eſt a Patriarcha confirmata.

XVIII. Ego autem in duobus a Valeſio diſſentio, quorum alterum eſt poſteriorem hujus Canonis partem de ſimplicibus Metropolitis intelligendam eſſe, ut ſit veluti exceptio præcedentis, qua Canon 4. confirmatur, & ſenſus ſit, propter privilegia quibuſdam ſedibus conceſſa non minui Metropolitanorum jura.

XIX. Alterum eſt, priorem Canonis partem de jure quidem, qui Metropolitano ſuperior ſit, intelligendam, ſeu de jure Exarchatus Alexandriæ, & Antiochiæ, quod olim Patriarchicum dicebatur: non autem de jure Patriarchico, prout nunc accipitur. Statim enim addit Concilium: *ſimiliter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua privilegia, ac ſuæ dignitates ſerventur Eccleſiis*. Porro ſi de hoc poſteriori jure ageretur, nullæ aliæ commemorarentur Eccleſiæ, præter Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, cum nullæ aliæ tum temporis fuerint, quibus id juris competeret. Quare ſenſus Canonis hic mihi videtur.

XX. Antiqua conſuetudo obſervetur, ut Alexandrinus Epiſcopus in Eccleſias, quæ ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, poteſtatem habeat, & curam illarum gerat, procuretque, ut cuncta in illis ſecundum Eccleſiæ leges fiant; quemadmodum Epiſcopus Romanus facit in Provinciis ſuburbicariis. Similiter & in Antiochia, & in aliis Eccleſiis, quæ ſimilia privilegia habent, iis illa ſerventur. Sed quamvis hæc privilegia quibuſdam ſedibus reſerventur, non propterea tamen Metropolitani Epiſcopi jus auferri debet, ſed Epiſcoporum ordinationes ipſius ſemper erunt, nec Patriarchæ reſervabuntur. Inſtituitur vero inter Alexandrinum, & Romanum Epiſcopum comparatio, non prout uterque Epiſcopus, aut Metropolitanus, aut prout hic Epiſcoporum primus, ſed prout ille caput eſt Diœceſeos Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos, hic vero Provinciarum ſuburbicariarum.

XXI. Hæc ratio Ruffinum impulit, ut earum mentionem faceret in ſua translatione, quæ ſic ſe habet: *& ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat*. Antiquiſſimus Juſtelli Codex Canonem hunc eodem ferme modo exhibet. Titulus eſt *de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum civitatum Epiſcopis*. Dein ſequitur Canon, his verbis conceptus: *antiqui moris eſt, ut urbis Romæ Epiſcopus habeat principatum, ut ſuburbicaria loca, & omnem Provinciam ſua ſollicitudine gubernet, &c.* In eumdem ſenſum recidit Canon Arabicus 8. *Conſtitutum eſt, ut Epi-*

Digitized by Google

Episcopus Ægypti, id est Patriarcha Alexandrinus, præsideat, & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, civitatum, & oppidorum, quæ sunt circum eam; quia sic convenit, & quia similiter Episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli potestatem habet omnium civitatum ac locorum, quæ sunt circum eam: ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha potestatem habeat Provinciæ illius totius, & in aliis item locis servari debet, quod in præterito constitutum est.

XXII. Hæ Canonis hujus paraphrases minime malæ mihi videntur. Nam licet istæ omnes interpretationes accuratæ non sint, nec ad litteram verba Canonis reddant, ejus tamen sensum optime exponunt, ut ex dictis constat.

XXIII. Ostendimus enim in Nicæno Canone 6. comparationem institui Alexandrini Episcopi cum Romano quoad jus Exarchicum, seu ut olim loquebantur, Patriarchicum, aliunde vero demonstravimus jus istud Romani Pontificis extra Provincias Vicario urbis Romæ subditas, quas suburbicarias dicit Ruffinus, non extendi. Ex quibus inferri necessario debet illos scopum attigisse, qui Canonem Nicænum exponentes jus Alexandrini Episcopi in Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, cum Romani Pontificis in Provincias suburbicarias jure compararunt. Præterquam quod Ruffini auctoritas non levis debet esse ponderis, quippe qui eodem, quo Nicænum Concilium celebratum est sæculo, vixerit, & scripserit, quo tempore ex Ecclesiarum regimine colligi poterat, qua ratione a Nicænis Patribus illud dispositum foret.

XXIV. Restat nunc inquirendum, quæ fuerint Provinciæ, & Ecclesiæ suburbicariæ, & quinam illarum limites. Hoc autem imprimis circa istam quæstionem statuendum videtur, & pro certo supponendum, Ecclesias suburbicarias Provinciis respondere suburbicariis. Quemadmodum enim Ecclesiæ Ægyptiæ, Asianæ, Illyricianæ, Orientales, eæ sunt Ecclesiæ, quæ in istis Diœcesibus erant sitæ: ita etiam Ecclesiæ suburbicariæ aliæ esse non possunt ab iis, quæ Provinciis suburbicariis continebantur. Tota ergo quæstio de Ecclesiarum suburbicariarum limitibus ex Provinciarum suburbicariarum limitibus pendet. Provinciæ autem suburbicariæ aliæ dici non possunt, quam illæ, quæ circa Romam adjacebant: quæ Urbs dicitur ἀπτονομαστικῶς. Docet id vel ipsum nomen, quod regiones ab urbe non longe positas significat, tum etiam Imperatoriarum legum auctoritas, in quibus Provinciæ suburbicariæ appellantur eæ, quæ circa Romam adjacebant. Et procul dissitis ab urbe regionibus, ut Africæ, Galliæ, & Hispaniæ opponuntur, ut modo demonstraturi sumus, patetque vel ex una lege Codicis Theodosiani lib. 8. tit. 5. l. 34. ubi statuitur, ut Decretum in gratiam Africæ Proconsularis latum, locum etiam habeat in Provinciis suburbicariis. Ferri igitur minime potest illorum opinio, qui Provinciarum suburbicariarum nomine, vel universum Imperium, vel saltem Occidentem universum designari volunt.

XXV. Verum quamvis controversum esse non debeat, quin Provinciæ suburbicariæ haud procul ab urbe fuerint positæ, non mediocris tamen est difficultas in eorum assignandis exacte limitibus, variantque hic peritissimorum in istis rebus virorum sententiæ. Sunt enim nonnulli, qui Provincias omnes suburbicarias intra centesimum ab urbe milliare positas fuisse contendant, qua in opinione fuerunt hoc sæculo viri duo eruditione præstantes, Gothofredus, & Salmasius. Ille in dissertationibus anonymis de Provinciis suburbicariis quatuor tantum Provincias seu regiones, si tamen ita dici possunt, suburbicarias dictas fuisse autumat Tusciam suburbicariam, Picenum suburbicarium, Latium vetus, & Latium novum. Alter vero Latium non dividit in duas regiones, sed quartam Provinciam addit Valeriam. Alii vero Provincias subarbicarias tam arctis limitibus haud concludunt: sed eas omnes Provincias esse volunt, quæ Vicario urbis parebant; hac in opinione versatur doctissimus Sirmondus, cujus sententiam plerique eruditi secuti sunt.

XXVI. Probatur autem illa ex variis legibus, in quibus regionum suburbicariarum, seu urbicariarum nomine illæ omnes designantur, quæ Vicario urbis parebant. Sic in

Digitized by Google

in Codice Theodoſiano lib. 11. tit. 16. c. 9. his verbis deſignantur : *non enim per Italiam tantum, ſed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium & emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus.* Ubi urbicariæ regiones ſumuntur pro illa Italiæ parte, quæ Vicariatu Italiæ non comprehenditur. Nam Italiæ nomine hic non intelligitur univerſa Italia, ſed Vicariatus Italiæ, prout diſtinguitur a Vicariatu Urbis Romæ. In eodem Codice lib. 9. tit. 30. c. 3. Valentinianus ait, a ſe vetitum fuiſſe, ne apud urbicarias regiones equis uti liceret. Lex autem, qua id vetitum fuerat, extat. c. 1. ejuſdem tituli, in eaque nominantur Picenum, Flaminia, necnon etiam Apulia, Calabria, Brutii, & Lucania, atque Samnium. Eæ igitur ſunt, quæ in poſteriori lege urbicariæ dicuntur, ſi Flaminiam excipias, quæ Italica erat. Ejuſdem Codicis lib. 11. tit. 10. Gratianus ad Probum Præfectum ſcribit, ut legem de privilegiis per obreptionem impetratis confirmet, *per omnem Italiam, tum etiam per urbicarias, Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum.* Ecce quatuor Diœceſes, quæ Præfecto Prætorii Italiæ tum temporis parebant, Vicariatus Italiæ, Vicariatus Romæ, Africa Occidentalis, & Illyricum: ex iis autem quatuor, Vicariatus Romæ integer Provinciarum ſuburbicariarum nomine comprehenditur. Singillatim vero Vicariatus hujus Provinciæ enumerantur in eodem Codice lib. 11. tit. 28. c. 7. *Campaniæ, Tuſciæ, Piceno, Samnio, Apuliæ, Calabriæ, Brutiis, & Lucaniæ .... in omni præſtationis modo, quem antiqua ſolemnitas detinebat, quatuor partes jubemus auferri.* Hæ autem omnes Provinciæ hic enumeratæ urbicariæ diſerte dicuntur ejuſdem tituli cap. 14. ubi de lege iſta hæc habentur : *quod de annonariis functionibus per urbicarias Regiones Clementiæ noſtræ conceſſit.* Prætermittuntur autem in ſuperiori enumeratione quatuor Vicariatus Romæ Provinciæ: Valeria ſcilicet, quia cum Samnio confunditur, & tres inſulæ, quia ſuos habebant peculiares magiſtratus, per quos vectigalia exigebantur.

XXVII. Denique regiones ſuburbicarias nec univerſo Imperio Romano, aut ſaltem Occidenti reſpondere, nec intra centeſimum ab urbe milliare coërceri, ſed Vicariatus Romæ Provincias eſſe evidentiſſime demonſtratur ex alio Valentiniani, Valentis, & Gratiani reſcripto ad Ampetium, quo concedunt Urſicino, qui prius in Gallias fuerat relegatus, abſcedendi copiam, ea tamen lege, *ne ad urbem Romam, vel certe ſuburbicarias regiones pedem inferat.* Idque ſe facere dicunt in ejus gratiam *naturæ ſuæ manſuetudine levigatos.* Porro ſi regiones ſuburbicariæ, vel univerſo Imperio Romano, vel ſaltem Occidenti reſponderent, quid eſſet ineptius, quam homini cuidam velut inſignem gratiam concedere, ut Gallia excedat, ea tamen lege, ne pedem in univerſum Imperium Romanum, aut ſaltem in Occidentem inferat. Ejuſmodi profecto gratia ſummi ſupplicii loco habenda eſſet. Oſtendendum jam ſupereſt Provincias illas, a quibus excluditur Urſicinus, eas eſſe, quæ Vicario urbis Romæ parebant. Hoc autem idem Imperator non obſcure indicat, cum ad Maximinum urbis Vicarium ſcribit, ut ſingularum, quibus præerat urbium civibus notum faciat, ne Urſicinum ejuſque ſocios per vetitas regiones iter facere patiantur. Itaque Provinciæ illæ ſuburbicariæ, ad quas accedere Urſicino permiſſum non erat, erant illæ omnes, quibus urbis Romæ Vicarius præerat. Hæ ſunt autem, ut ex notitia Imperii conſtat, Campania, Tuſcia, Umbria, Picenum ſuburbicarium, Sicilia, Apulia, Calabria, Brutii, Lucania, Samnium, Corſica, Valeria, quæ aliquando cum Samnio confunditur. Hæ ſunt rationes, ſeu conjecturæ, quibus probatur, Provincias ſuburbicarias eas ſolum eſſe, quæ Vicario urbis Romæ ſubjectæ erant.

XXVIII. Nunc ad eos me converto, qui Eccleſias ſuburbicarias nimis anguſtis limitibus concludunt, aſſerentes illas eo tractu contineri, qui Præfecto urbis parebat, & ultra centeſimum ab urbe milliare non protendebatur. Fundamentum hujus opinionis eſt, quod in Codice Theodoſiano lib. 12. tit. 6. l. 1. *de calcis coctoribus*, Conſtantinus Imperator jubeat ex quatuor regionibus, trecentos boves ad vehendam calcem

Digitized by Google

calcem ſubminiſtrari. Lex iſta inſcripta eſt Præfecto urbis, unde concludunt illam proprie accipiendam de iis regionibus, quæ ipſius ditioni ſubjectæ erant. Illa autem ultra centeſimum ab urbe milliare non extendebatur, ut conſtat ex Ulpiano *lib.* 1. §. 4. *de officiis Præfecti urbis*, & apud Auct. collat. leg. Moſ. *tit.* 1. *ff. de plagiariis:* lib. 2. Cod. Theodoſ. *de integri reſtitutione*, & l. 62. de hæreticis; necnon ex Caſſiodoro, & Mœcenate apud Dionem lib. 52. Unde concludunt Provincias, quæ ab ejus nomine *urbicariæ*, vel *ſuburbicariæ* dicebantur, eo quod ipſi ſubjectæ eſſent, intra centeſimum ab urbe milliare concluſas fuiſſe. Hinc volunt eas non ſolum ab Africa, & Illyrico, & a Sicilia, & regionibus, quas vocant *annonarias*, diſtinctas fuiſſe, idque probare conantur ex multis legibus, ut ex lege Cod. Theodoſ. *Si per obreptionem*, quæ ſic habet: *igitur ſinceritas tua per omnem Italiam, tum per urbicarias, Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum prælata hujus oraculi auctoritate firmabit.* Siciliam item ab urbicariis regionibus ſejungi putant lege 9. *de Extraordinariis muneribus:* ubi hæc habentur: *non enim per Italiam tantum; ſed etiam per urbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vices ſervandas eſſe cognovimus.* Porro hic Italiæ nomine putant deſignari omnem Italiæ tractum ultra centeſimum ab urbe lapidem, idque probare contendunt ex his verbis legis 2. Cod. Theodoſ. *De integri reſtitutione. Placuit poſt completum vigeſimum quintum annum ad interpretandam conteſtationem in urbe Roma; uſque ad anni trigeſimi extremum diem ſpatia prorogari intra centeſimum urbis Romæ milliarium; per omnem vero Italiam uſque ad anni vigeſimi noni finem.* Denique, inquiunt, diſtinguuntur ſuburbicariæ regiones ab annonariis, cum Picenum aliud ſit ſuburbicarium, aliud annonarium; & ita Tuſcia alia ſuburbicaria, alia annonaria; ergo quæ annonariæ erant Provinciæ, ſuburbicariæ non erant. Huc omnia ferme revocantur Salmaſii, & Gothofredi argumenta.

XXIX. Verum iſtorum opinio parum veriſimilis mihi videtur: primum enim ille tractus, qui præfecti urbis ditioni ſubjectus erat, Diœceſis minime dici poteſt, nec in eo plures Provinciæ integræ continentur, ſed tantum Provinciarum partes. Falſum enim eſt, regiones aſſignatas omnes, & intra, & extra centeſimum ab urbe lapidem contineri, ſicut e contra decem annonarias omnes extra centeſimum fuiſſe haud verum eſt. Nam ex Notitia Imperii, & ex Itinerario Antonini Picenum ſuburbicarium extra centeſimum ab urbe lapidem fuiſſe conſtat, & Umbriæ, quæ annonaria dicitur, partem maximam intra centeſimum lapidem contineri. Adde quod Latium novum inter Provincias nunquam habitum eſt, Valeria vero nonniſi ultimis temporibus, ut patet ex Notitia Italiæ, & Pauli Diaconi hiſtoria Longobardorum lib. 2. Ex his abunde diruitur, quod nobis ultimo loco objicitur, ſuburbicarias Provincias ab annonariis diſtingui. Et certe iſtas præſtationibus annonariis ſubjectas fuiſſe teſtatur lex 14. Codicis Theodoſiani *de indulgentiis debitorum*, lib. 9. tit. 28. qua Honorius Imperator, annonariarum functionum reliqua ſuburbicariis regionibus indulſit. Itaque primo falſum eſt, quod adverſarii ſumunt, regiones ſuburbicarias ab annonariis diſtinctas fuiſſe. At cur, inquiunt, in Notitia Imperii, Piceno tantum, & Tuſciæ ſuburbicariarum Provinciarum nomen imponitur, & quidem ut diſtinguantur a Piceno, & Tuſcia annonariis? Reſpondeo hæc nomina illis eſſe impoſita, ut a ſe invicem diſtinguerentur; at inde colligi nequit, nullam e Provinciis annonariis fuiſſe ſuburbicariam. Nam cum tractum Lutetiæ vicinum Franciam appello, non propterea nego alias Provincias Galliæ ad Franciam pertinere. Et certe coguntur ipſi adverſarii huic argumento reſpondere: Nam Latina regio, & Valeria, quas ſuburbicarias dicunt, in Notitia Imperii non appellantur ſuburbicariæ; cur ergo cum ſint quatuor hujuſmodi, duabus tantum id nomen imponitur? Porro non id idcirco dico, quaſi credam omnes regiones annonarias fuiſſe etiam ſuburbicarias: ſed quia ex ſuburbicariis quædam erant annonariæ, & ex annonariis quædam ſuburbicariæ, quæ-

Digitized by Google

quædam vero non; ſic Picenum annonarium, ſeu Flaminia non erat ſuburbicaria, & idcirco ab alio Piceno hoc nomine diſtinguitur.

XXX. Ex lege *de calcis coctoribus* nihil omnino colligere poſſunt, nec enim habet illa lex, quæ ſint iſtæ quatuor Provinciæ, quas vecturarios equos ſubminiſtrare oportebat, nec has tantum ſuburbicarias fuiſſe dicit. Et ſane Terracinenſes, qui in Campania ſunt l. 3. tit. eodem inter eos numerantur, qui calcem præſtabant. Ex eo vero quod lex iſta ad Præfectum urbis dirigatur, minime ſequitur, has quatuor Provincias ejus ditioni ſubjectas fuiſſe, ſed ad ſummum eum curaviſſe, ut calx Romam deferretur. Quod vero ajunt, ſuburbicarias regiones ab Italia, & Africa diſtingui, verum eſſe fatemur, ſi Italiæ nomen ſtricte ſumas, ut in Notitia Imperii pro Provinciis Italiæ Vicario ſubjectis. At eas a Sicilia diſtingui negamus; nam illa Vicario urbis Romæ parebat, ac proinde uti diximus inter ſuburbicarias erat. Cur ergo, inquies, in lege *de extraordinariis muneribus*, illa ſeorſim a ſuburbicariis enumeratur? Reſpondet Sirmondus id propterea factum, quod illa ſuum haberet rationalem privatum, cum ceteræ ſuburbicariæ haberent rationalem Romæ, ut conſtat ex Notitia Imperii ſect. 43. Et ſane ut argumentatur idem Sirmondus adverſus Salmaſium: *ſi Siciliam a ſuburbicariis lex illa penitus excludit: de lege altera, quæ unica eſt in Codice Theodoſiano*, ſi per obreptionem, *quid cenſes? Quæro enim cum Præfecto Italiæ & Illyrici præcipit Imperator*, ut per omnem Italiam, tum etiam per urbicarias Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum (*hoc eſt per omnes Præfecturæ illius Diœceſis*) *legem promulget, Siciliam ecquo putas harum partium capite contineri? Excluſam enim, opinor, non dices cum Italiæ Præfecto paruiſſe Siciliam non dubites. Quæ igitur in parte comprehenſam putas? Illyricone, an Africa, ridiculum ſit ſuſpicari: nam Italiæ Inſulam fuiſſe Siciliam quis neſcit? ſed cum Italiæ duæ fuerint Diœceſes, quæ in hac lege diſtinguuntur, Italiæ & urbicaria, ad Italiæ Diœceſim pertinuiſſe Siciliam, cum Italiæ Vicario non ſubeſſet, abſurdum eſt affirmare. Reſtat ergo, ut urbicariarum numero comprehendatur.* Hæc Sirmondus, quem conſulat, is qui plura volet de ſuburbicariis, & cum eo Salmaſii, Gothofredi, Aleandri, aliorumque lucubrationes, qui quæſtionem hanc ex profeſſo magna animorum concertatione tractarunt. Nos autem ea, quæ veriſimiliora nobis viſa ſunt, ſine ullo partium ſtudio defendimus, ac tria, ni fallor, oſtendimus. Primum eſt regiones, & Eccleſias ſuburbicarias eas minime dici poſſe, quæ longe ab urbe ſemotæ erant, nihilque abſurdius fingi quam hoc nomine omnes Imperii vel Occidentis Provincias, & Eccleſias appellari. Secundum, Provincias & Eccleſias ſuburbicarias, ultra centeſimum ab urbe milliare protendi. Tertium, veriſimillimum eſſe, eas omnes regiones, quæ Vicario urbis parebant ipſamque Siciliam, Provincias fuiſſe ſuburbicarias, & Eccleſias ſuburbicarias eas, quæ in iſtis regionibus poſitæ erant, quarum Exarchus erat, ſeu Patriarcha Romanus Epiſcopus. Hactenus de forma, & diſtributione Eccleſiarum a nobis dictum eſt, nunc de forma judiciorum Eccleſiaſticorum agendum eſt.

DE

DE
ANTIQUA ECCLESIÆ
DISCIPLINA
DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO SECUNDA.

De forma judiciorum Eccleſiaſticorum, ubi de appellationibus adverſus nuperam Chriſtiani Lupi de illis lucubrationem.

PRÆLOQUIUM.

IN omni ſocietate neceſſe eſt aliquos eſſe controverſiarum judices, necnon aliquam judicandi formam reperiri circa res illas, quæ finem, & ſalutem ſocietatis reſpiciunt. Cum ergo finis ſocietatis fidelium ſit vita æterna per fidem, & bonos mores adipiſcenda, bonumque illius commune ſit conſervatio fidei, & integritatis morum in ſingulis Eccleſiæ membris, haud dubium, quin Eccleſia ſuos habere debeat judices, qui de his ſtatuant, necnon legitimam, ac certam de his judicandi formam. Illud porro inter omnes conſtat eos eſſe in Eccleſia controverſiarum judices, qui Chriſtianos in fide, & moribus inſtituunt, quales fuerunt Apoſtoli, & poſt Apoſtolos, Epiſcopi, & Paſtores, qui ſinguli in Eccleſiis, quibus præſunt, judices dici poſſunt. Si vero aliqua gravior quæſtio ſit exorta, tunc in unum convenire debent, ut mutuo deliberent, & finem controverſiæ ſimul imponant. Sic Apoſtoli in unum convenienter cum Senioribus Hieroſolymis quæſtionem de legalibus finierunt. Poſt iſtos eadem conſuetudo manſit, & certa quædam judicandi forma ſtatuta eſt. Cum enim Epiſcopi in ſingulis Eccleſiis eſſent conſtituti, qui ſupra Presbyteros eminebant, his perſonarum, quæ in illorum Eccleſiis degerent, & controverſiarum illic ortarum judicium attributum eſt: ſed ita, ut ſimul cum Clero, hoc eſt cum aliis Presbyteris judicarint. Ab iſtorum judicio provocatio conceſſa ad Metropolitanum Epiſcopum, cum quo judicabant ceteri Epiſcopi Provinciæ. Hæc videntur eſſe extra omnem controverſiam. At illud inter multos controvertitur, utrum a Metropolitani, & Synodi Provinciæ judi-

Digitized by Google

cio ex veteri Ecclesiæ disciplina provocatio concederetur.

II. Duplex autem distingui solet causarum genus, quarum aliæ majores dicuntur, aliæ minores. Majores sunt eæ, quæ vel ad Episcopos, vel etiam ad disciplinam aliquam graviorem spectant: minores vero dicuntur eæ, in quibus agitur de Presbyterorum, & Clericorum judicio, vel de aliquo leviori disciplinæ capite, quod Ecclesiam aliquam privatam attingat. De his omnibus quæritur, utrum provocatio detur ad Romanum Pontificem? alii in omnibus, alii vero in majoribus tantum provocationem locum habere contendunt. Ceteri negant antiquitus a judiciis quibuslibet Synodorum ad Romanum Pontificem esse provocatum.

III. Scripsere porro de illa quæstione complures magni nominis viri. Nam ut Baronium, & Bellarminum mittam, quæstio ista novissime inter nostros acriter agitata est, post editionem libri de Concordia, auctore Petro de Marca Archiepisco Tolosano ad Parisiensis Ecclesiæ administrationem designato. In eo quippe negat ille appellationes ad Romanum Pontificem olim, & ex veteri jure in usu fuisse. Ejusdem sententiæ est Launoïus Parisiensis Theologus eruditione insignis. Istos aggressus est Davidius auctor libri Gallice editi, *de judiciis Episcoporum Canonicis*. Hunc confutavit Anonymus non ignobilis in libro *de antiquis, & majoribus Episcoporum causis* typis mandato Leodii. In eamdem arenam descendit eruditus Leonis operum editor Paschasius Quenellius in dissertationibus ad Leonem, quæ tom. 2. reperiuntur. Accessit his opus Gerbasii Doctoris Parisiensis, qui Davidium aggreditur, licet a sententia Petri de Marca circa præsentis temporis disciplinam dissentiat. Istorum libri, ut fieri solet, a Romanis damnati a nostris Episcopis propugnati sunt. Pro Romanis respondendi provinciam sibi sumpsit Christianus Lupus, qui opere isto vixdum absoluto e vivis excessit: vir certe bonus, ut fertur, & meliori causa dignus. In ejus tamen opere animi æquitatem, & modestiam requiro. Nam si quæstionem istam sine felle, & amice tractasset, quis eum reprehenderet? quis incusaret? At tantis probris viros insignes, & Catholicos afficit, tot in eos maledicta congerit, ut dignum mihi videatur opus ejus in perpetuum abscondi, quod succo loliginis ubique imbutum est. Inscribit illud, *adversus prophanas vocum novitates, adversus quosdam temporum novatores*. Petrum de Marca Archiepiscopum, Quenellium Oratorii Presbyterum, Gerbasium Doctorem Sorbonicum, & Garnerium Jesuitam Novatorum nomine designans, & eos indignis modis ubique proscindens, ac hæreticis semper adjungens. Parcent, ut non dubito, viri illi pissimi, & charitatis amantissimi Patris Lupi manibus, & hanc illi offensam, prout Christianos decet, condonabunt, quam utinam & illi Deus omnino condonet. Nos certe eamdem tractaturi materiam, licet non possimus non eum, sicubi, quid paulo gravius dicat, refellere, ne verbo quidem memoriam illius lædemus: sed ubi se dederit occasio, rationes ejus, ac responsa solummodo excutiemus. Ceterum duæ Dissertationis hujus partes erunt, seu capita: in primo quæstionem juris examinabimus, & Canones antiquos circa Episcoporum judicia exponemus: in secundo, facta, quæ ad appellationes ad Romanum Pontificem probandas adducuntur, examinabimus.

CAPUT PRIMUM.

In quo examinatur quæstio juris.

§. I.

De Canone Concilii Nicæni.

NUllos habemus Canones authenticos Nicænis antiquiores. Ex his Canon quintus est de judiciorum forma, ab hoc exponendo ordiemur. Sic autem se habet: *de his, qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laïco ordine ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem*

Digitized by Google

tem ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, placuit per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones, & sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur. Usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschæ, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum, secundum vero circa tempus Autumni. Hoc in Canone judicium omne definitivum Episcopis Provinciæ committitur sine ullo recursu aut provocatione.

II. Respondent vulgo, hic agi de minorum Clericorum in causis criminalibus judicio, non de Episcoporum damnationibus. Idque post alios affirmat Christianus Lupus cap. 12.

III. At responsio ista nullo negotio disjicitur. Primo enim etiamsi daretur, hic tantum nominatim mentionem fieri de judiciis Presbyterorum, & Diaconorum, quis non ex his intelligat eumdem circa Episcoporum judicia morem fuisse: nam si quæ illorum fuisset prærogativa, si quæ peculiaris ad eos judicandos forma in usu fuisset, nonne Concilium Nicænum casum hunc in suo Canone excipere debuisset? Deinde Canon non modo latus est de judicio unius Episcopi in Clericum, aut Laïcum, sed etiam generatim de judicio plurium Episcoporum in quemlibet: *de his, qui communione privantur ab Episcopis per unamquamque Provinciam*, non dicit ab Episcopo per unamquamque Paroeciam, seu, ut nunc loquuntur, Diœcesim. Additur, *ut qui abjiciuntur ab aliis, non recipiantur*, non autem *ut qui abjiciuntur ab uno Episcopo, ab aliis non recipiantur;* ac proinde loquitur Concilium de omni excommunicationis genere, sive ab uno Episcopo, sive a pluribus lata fuerit; tum adversus Clericos, tum adversus Laïcos. Episcopus autem ex Clero est, & excommunicari potest a Synodo Provinciæ. Et certe nemo dubitare potest, quin Concilium hoc Canone judicium Episcoporum, non secus ac ceterorum Clericorum judicio Synodi Provincialis permittat. Primo enim Concilio Provinciali judicium tribuit, & examen excommunicationum ab Episcopis latarum in Clericos, quod fieri non potest, quin de Episcopo judicium feratur. Secundo, si Provinciæ Synodo non committeretur hoc Canone judicium Episcoporum, esset Episcopus exlex, & a nullo judicari posset. Denique certum est ex usu, & disciplina hujus temporis, Episcoporum causas in Synodis Provinciæ tractatas, & judicatas fuisse. Itaque Canon intelligendus tam de Episcopis, quam de ceteris Clericis.

IV. Porro judicium Synodi Provinciæ, cujus in eo fit mentio, ultimum est, nec ab eo datur ulla provocatio. Jubentur enim a Synodo excommunicati tamdiu extra communionem manere, donec eisdem Episcopis visum fuerit humaniorem ferre sententiam. Jam vero si post illorum judicium aliqua fuisset concessa provocatio, non hoc dixisset Concilium, sed dummodo superior, ad quem provocatio facta fuerit, judicium confirmet. Uno verbo, supponit Concilii Nicæni definitio judicium Episcoporum Provinciæ a nullo alio judice infirmari posse, quam ab ipsis Episcopis Provinciæ, qui illud tulerant. Adversus hæc objicit Christianus Lupus, adeo verum esse hic mentionem fieri tantum Presbyterorum, & Diaconorum, ut Concilium id manifeste designet his verbis: *qui suo peccaverunt Episcopo*, vel ut habet Herveti versio: *si quos Episcopum offendisse constiterit*. Ex quibus patet mentionem hic esse Clericorum Episcopo subjectorum.

V. Respondeo, Concilium quidem specialiter loqui de Clericis Episcopo subjectis, quia illæ causæ frequentiores erant; sed præterea ex illorum verbis colligi eamdem fuisse disciplinam servatam in judiciis Episcoporum, & intentionem eorum fuisse, ut eadem servaretur.

Digitized by Google

§. II.

Noſtra Canonis Nicæni expoſitio confirmatur ex ſequentium Synodorum Decretis.

EX ſequentium Synodorum Decretis elucebit, & abunde confirmabitur noſtra Canonis Nicæni expoſitio.

II. Secunda Generalis Synodus omnem adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum Synodo Provinciæ Concilii Nicæni Decreto commiſſam eſſe affirmat Canone 2. tom. 2. Conc. col. 954. *ſervata, quæ præſcripta eſt de gubernationibus regula, manifeſtum, quod illa, quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius Synodus Provinciæ adminiſtret, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio*. At inter ea, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt, maximi momenti eſt Epiſcoporum delinquentium correctio, & depoſitio. Ergo ex ſententia Nicæni Concilii, & Conſtantinopolitani ad Synodum Provinciæ tota pertinet.

III. Reſpondet Chriſtianus Lupus hoc Canone Concilii Conſtantinopolitani non explicari quintum, ſed ſextum Nicænum. Verum ſive quintus, ſive ſextus explicetur, noſtra quid intereſt? modo hoc habeamus Conſtantinopolitanæ Synodi Patres exiſtimaſſe omnem adminiſtrationem, ac proinde judicia Epiſcoporum pertinere ad Synodum Provinciæ ſecundum regulam, & mentem Nicænorum Patrum. Verumtamen Lupus hac in re fallitur; nam licet prima Canonis hujus Conſtantinopolitani pars, ſextum Nicænum reſpiciat, ſecunda tamen reſpicit quintum: nam in ſexto nulla Synodi fit mentio, nec ei tribuitur adminiſtratio Provinciæ, ſed Epiſcoporum Alexandrini, & Antiocheni jura ſervantur. Cum igitur in hac ſecunda parte Canonis ſecundi Conſtantinopolitani fiat mentio Synodi Provinciæ, reſpicitur ad quintum Canonem, ubi de Synodi Provinciæ judiciis agitur, non ad ſextum, ubi de illis ne verbum quidem. Unde Lupus ſeipſum veluti retractans cogitur addere pag. 111. *Quintum ſi tangat, tangit admodum modice*. Nullam tamen aliam reſponſionem adhibet.

IV. Canonem quintum Nicænum eodem modo intellexerunt Africani in Concilii Ep. ad Cæleſt. ubi ſic eum alloquuntur: *præfato debitæ ſalutationis officio impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem velitis admittere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum facile advertit venerabilitas tua: nam etſi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua Provincia a communione ſuſpenſi a tua ſanctitate, vel feſtinato, vel præpropere, vel indebite videantur communioni reſtitui, quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & Decreta Nicæna, ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſime commiſerunt. Prudentiſſime enim, juſtiſſimeque providerunt, quæcumque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Chriſti Sacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur*. Ubi apertiſſime affirmant illi, Epiſcoporum, non ſecus ac Clericorum judicia in Synodo Provinciæ juxta Nicænæ Synodi regulam terminari debere. Sed quia hos controverſiæ noſtræ judices admittere recuſat Chriſtianus Lupus, audiat Innocentium primum in Epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum cap. 3. *Si quæ cauſa*, inquit, *vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris ordinis, quam inferioris ſint exortæ, ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejuſdem Provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur*. Addit equidem, *ſine præjudicio Romanæ Eccleſiæ*. Sed id de ſuo, & mihi ſatis eſt, quod agnoſcat Canonem quintum Concilii Nicæni intelligendum eſſe de majoribus Epiſcoporum cauſis. Sic quoque Chryſoſtomus Epiſt. ad Innocent. probat non potuiſſe ſe a tranſmarinis Epiſcopis judicari, quia ſecundum leges Patrum oportet in quibuſcumque Provinciis ſua negotia tractari.

V. Ante hos eadem docuit Cyprianus Epiſt. 54. *Nam*, inquit, *cum ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter*

ac

Digitized by Google

ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit aſcripta, quam regat unuſquiſque, & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus: oportet utique eos, quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint. Videtur hic Cyprianus deſignare Canonem illum vetuſtum Apoſtolicum, quo cavetur, *ne ab aliquibus ejecti ad alios accedant*. Quæ quidem regulæ generales ſunt, & omnes omnino Clericos, ac proinde Epiſcopos complectuntur. Adde, quod ratio, propter quam vetantur externa judicia, nempe quia ibi debet fieri judicium, *ubi crimen admiſſum eſt, ubi teſtes, & accuſatores ſunt*, Epiſcopos æque, ac ceteros Clericos attingit.

VI. Idem luculenter confirmatur ex Concilio Antiocheno, in quo diſerte de Epiſcoporum judiciis fit mentio. Hujus Canones, ut alias diximus, in Concilio Chalcedonenſi, & deinceps in Eccleſia univerſa ſunt in auctoritatem admiſſi. Inter hos Canon 15. ex interpretatione Dionyſii ſic habet: *ſi quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus condamnetur ab omnibus Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, cunctique conſonantes eamdem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios minime judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum Provinciæ manere auctoritatem*. Ita ſi convenirent Epiſcopi, illorum ſententia rata erat, nec a quoquam poterat diſſolvi. Si vero non convenirent, ut nonnunquam fieri ſolet, ſtatuit eadem Synodus Can. 4. *ut* (*tunc*) *Metropolitanus Epiſcopus a vicina Provincia judices alios convocet, qui controverſiam tollant, ut per eos ſimul, & Comprovinciales Epiſcopos, quod juſtum fuerit, approbetur*.

VII. Itaque omnis cauſa Epiſcoporum juxta Antiochenos Canones, vel Epiſcoporum Synodi Provinciæ judicio, ſi conveniant, vel ſi variet illorum ſententia, finitimorum, & Comprovincialium arbitrio plane terminatur, nullo poſt hæc relicto loco appellationis ad ſuperius aliquod Eccleſiaſticum tribunal.

VIII. Nihilominus tamen in eadem Synodo videtur aliquid innovatum circa Eccleſiaſtica judicia in gratiam Reſcriptorum Imperatoris, idque Canone 12. qui ſic ſe habet: *ſi quis a proprio Epiſcopo Presbyter, aut Diaconus, aut a Synodo fuerit Epiſcopus ſorte damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit, oporteat ad majus Epiſcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere juſta plurimis Epiſcopis ſuggerant, & eorum diſcuſſiones ac judicia præſtolentur*. Qui quidem Canon cum illis, quos modo protulimus, pugnare videtur: nam in illis ſuprema conſtituuntur Synodi Provinciæ ſaltem finitimis adjectis judicia; at in iſto datur recurſus ad majorem Synodum: ſed ſi res accurate ſpectetur, facile ſecum invicem conciliabuntur hi Canones. Tunc enim tantum datur recurſus ad majorem Synodum, quando quidem reſcripta obtinuit ab Imperatore, quibus cauſa ejus retractari jubebatur. Quippe mos erat Imperatorum concedere reſcripta ad Reviſionem cauſarum a ſupremis etiam judicibus, ut a Præfectis Prætorio latarum conſtat ex l. 16. c. de funct. Præfecti Prætorio. *Litigantibus in ampliſſimo Præfecturæ Prætorianæ judicio non provocandi, ſed ſupplicandi licentiam concedimus*. Hoc remedium in Cod. *de appellationibus lege ult.* vocatur *retractatio*. Varia hujus rei in rebus Eccleſiaſticis exempla ſubminiſtrat Petrus de Marca hujus obſervationis auctor: ſic Athanaſii cauſam in Synodo Sardicenſi juſſu Imperatorum retractatam eſſe probat ex iſtis verbis Epiſt. Synodicæ ad Julium: *nam*, inquiunt in illa Epiſcopi. *religioſiſſimi Imperatores permiſerunt, ut de integro univerſa diſcuſſa tractarentur*. Quaſi ſine illorum permiſſu iſtud non licuerit. Sic Photinus jam damnatus ab Imperatore, impetravit, ut iterum ejus cauſa in Sirmienſi Conventu ageretur. Sic etiam Chryſoſtomus, teſte Palladio, judicatus a Synodo ad quercum petiit ab Arcadio, ut aliud Concilium celebraretur, in quo cauſa iſta tractaretur. Itaque Synodus Antiochena non ordinarie concedit provocationem ad majorem Synodum, ſed tantum permittit Imperatoribus, ut ſi cauſam alicujus Clerici vel Epiſcopi haud bene judicatam eſſe cenſeant, majorem Sy-

Digitized by Google

Synodum indicere possint, ubi iterum retractetur. Quod mirum esse non debet, cum omnes paulo majores Synodi ab Imperatoribus tunc convocarentur. At in casibus ordinariis, ubi non intercedit Imperatoris auctoritas, nullam provocationem, aut revisionem cuiquam concedunt; sed volunt judicium finiri a Provinciæ Episcopis, si conveniant, adjunctis vicinioribus, si inter Episcopos Provinciæ sit dissentio. Porro licet ista expositio Petri de Marca sit ingeniose omnino excogitata, vereor tamen, ut non sit satis solida. Mallem igitur Canonem hunc ita exponere, ut major quidem Synodus celebrari debeat, non ad petitionem, aut provocationem damnati, sed ad eorum, qui ipsum damnaverunt, petitionem, ut scilicet ille, qui damnatus novas res molitur, & judicio in se lato stare non vult, compesci possit. Ita ut sensus sit Canonis: si quis damnatus ab Episcopis Provinciæ pervicax sit, & Imperatorem sollicitet, ut restituatur, oportet, ut ii, a quibus damnatus est, Synodi majoris auctoritatem adhibeant, ut ejus causa ibi cognita nullam excusationem afferre possit. Id certe statuunt Concilii Constantinopolitani Patres Canone 6. *Quod si evenerit*, inquiunt, *ut Provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos ad majorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum pro hac causa convocatorum accedere. Si quis autem his, quæ, ut prius declaratum est, decreta fuerant, contemptis, ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium Principum judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Diœcesis Episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum.* Itaque Canonibus Antiocheno, & Constantinopolitano non datur facultas damnato ad majorem Synodum provocandi, sed tantum conceditur Episcopis judicibus majoris Synodi auctoritate uti, ut damnatum, si pervicax sit, & se per Imperatorem restitui conetur, compescant. Uno verbo nunquam sinunt, ut a judiciis Provinciæ, aut Diœceseos Episcoporum ad Romanum Pontificem, aut ad Occidentales provocetur.

VIII. Hanc porro disciplinam mordicus retinuerunt Orientales, & Occidentalibus succensuerunt, quod vellent judicia in Oriente finita refricare. Id primum contestati sunt in Ep. ad Julium scripta, ac deinde in Concilio Philippopolitano queruntur, Athanasium receptum esse in communionem ab Occidentalibus, postquam damnatus fuerat in Oriente; & affirmant se ideo noluisse communicare Occidentalibus in Synodo Sardicensi, quod Episcopos a se damnatos non projecissent, nec dignum honorem tribuerent Orientis Concilio; demum factum Occidentalium sic incusant: *hanc novitatem*, inquiunt, *moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo, ut in Concilio Orientales Episcopi quod forte statuissent, ab Occidentalibus refricaretur, similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi ab Orientalibus solveretur. Verum omnium Conciliorum juste, legitimeque actorum decreta firmanda majorum nostrorum gesta consignant. Nam in Urbe Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium ab Orientalibus confirmatum est, & iterum in Oriente sub Paulo Samosateno, quod statutum est, ab omnibus est signatum.* Hinc Imperator Constantius in Ep. ad Ariminensem Synodum sic Occidentales alloquitur: *non enim*, inquit, *de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri, proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debebitis.* Et post alia. *Quæ cum ita sint, adversus Orientales nihil statuere vos oportet, aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu.* Scio equidem Lupum, & alios hic nos acerbe carpere, quod Schismaticorum, & Hæreticorum, ut aiunt, testimonia laudemus. Verum non eo consilio id facimus, ut illorum causam probemus, sed tantum, ut ostendamus, quæ fuerit Orientalium disciplina, quæ non solum ex istis monumentis elucescit, sed etiam ex iis quorum auctoritas est extra omnem controversiam, ut jam demonstravimus, & sequenti paragrapho de sæculis posterioribus demonstraturi sumus.

IX. Verum ut illi tandem aliquando desinant nos eo nomine criminari, audiant Ambrosium cum Eusebianis sentientem res Orientis in Orientali Concilio, & Occidentis

Digitized by Google

tis in Occidentali terminari oportere. Is igitur Palladio Presbytero Ariano petenti, ut Orientales Episcopi ad Synodum Aquilejensem venirent, ut de se judicium ferrent, nolens Occidentalium judicio sese committere, sic respondet: *interim quia in superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium, Occidentales in Occidente nos in Occidentis partibus constituti convenimus Aquilejensem Civitatem, juxta Imperatorum præceptum. Denique etiamsi Præfectus Italiæ litteras dedit, ut, si vellent Orientales convenire, in potestate id haberent; sed quia scierunt consuetudinem hujusmodi esse, ut in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non esse veniendum.* Quæ quidem Ambrosii sententia supponit, res Orientalium ab Orientalibus, & Occidentalium ab Occidentalibus administrari debere; ita ut nihil ad Orientis Episcopos pertineat rerum personalium, quæ sunt in Occidente judicium, sicut vicissim ad Occidentales non pertinet in Orientales judicium: quod Constantius ait in Epist. ad Synodum Ariminensem, necnon Eusebiani in Philippopolitano Concilio.

§. III.

Quid a Concilio Sardicensi circa judiciorum Ecclesiasticorum formam sit novi statutum, ubi de Canonum illius Concilii sensu, & auctoritate.

TAnta est hominum inconstantia, tanta levitas, ut ne leges quidem ipsæ a mutatione immunes esse possint: idipsum usu venit in Canonibus a nobis allatis, quos nonnulli primum in Occidente, deinde in Oriente paululum commutaverunt, & in Occidente quidem hujusmodi occasione. Cum Occidentales viderent ab Orientalibus judicia quædam injuste in Episcopos orthodoxos, verbi gratia, in Athanasium lata, de imminuenda Synodorum Provincialium auctoritate in Synodo Sardicensi cogitaverunt. Et idcirco non quidem jus appellationum, sed aliam prærogativam Pontifici Romano detulerunt. Sed quoniam Canonum Sardicensium editiones duæ sunt hic a se invicem discrepantes, has e regione exhibebimus.

Editio Græca Canonum Sard. ex versione Gentiani.

Canon tertius.

Osius Episcopus dixit: Hoc quoque necessario adjiciendum, ut nullus Episcoporum ex sua Provincia in aliam Provinciam, in qua sunt Episcopi, transeat, nisi utique a suis fratribus vocetur, ne videamur dilectionis fores claudere: hoc autem etiam similiter providendum est, ut si in aliqua Provincia Episcoporum quispiam adversus fratrem, & Coepiscopum suum negotium habeat, neuter eorum ex alia Provincia cognitores evocet.

Si quis autem Episcoporum in aliquo negotio condemnandus, (seu potius condemnatus) videatur, & putet non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium renovetur, si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverunt, scri-

Editio Dionysii Exigui, a qua multum differt Isidori Mercatoris editio.

Canon tertius.

Osius Episcopus dixit: Illud quoque necessario adjiciendum est, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam Provinciam, in qua sunt Episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quod si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne unus e duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem.

Quod si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se causam bonam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, &, si judicaverit renovandum

batur

batur Julio Epiſcopo urbis Romæ, & per propinquos Provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat. Si autem probare non poteſt cauſam ejus eſſe talem, ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata, non infirmentur. Sed rata ſit lata ſententia.

esse judicium, renovetur, & det Judices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet. Respondit Synodus, placet.

Canones Sard. Græci.

Can. Sard. ex edit. Dionyſii.

Canon quartus.

Canon quartus.

Gaudentius Epiſcopus dixit: ſi videtur, neceſſe eſſe adjici huic ſententiæ, quam ſincera dilectione plenam protuliſti, ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere; non prius in cathedram alius ſubſtituatur, quam Romanus Epiſcopus cauſa cognita ſententiam tulerit.

Gaudentius Epiſcopus dixit: addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur depoſitus eſſe, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.

Canon quintus.

Canon quintus.

Oſius Epiſcopus dixit: placuit, ut ſi quis Epiſcopus delatus fuerit, & congregati ejuſdem regionis Epiſcopi eum gradu moverint, ac veluti appellans confugerit ad beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & velit ipſum audire, & juſtum eſſe exiſtimaverit ejus rei examinationem renovari: Coëpiſcopis ſcribere dignetur, qui ſunt propinqui Provinciæ, ut ipſi diligenter & accurate ſingula perſcrutentur, & ex veritatis fide de re ſententiam ferant. Si quis autem poſtulet ſuum negotium rurſus audiri, & ad ejus ſupplicationem Romanum Epiſcopum movere viſum fuerit, ut e proprio latere Presbyteros mittat, ſit in poteſtate ipſius id, quod illi placuerit, & ſi decreverit Romanus Epiſcopus aliquos oportere mitti, qui cum Epiſcopis ſint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, a quo miſſi ſunt, & hoc ponendum eſt; ſi autem ſufficere crediderit ad rei cognitionem Epiſcopi (lege *Epiſcoporum*) ſententiam, faciet quod prudentiſſimo ejus conſilio recte habere videbitur. Reſponderunt Epiſcopi, quæ dicta ſunt, placuerunt.

Oſius Epiſcopus dixit: placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit, qui dejectus, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, qui rogat ſuam cauſam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit, & quid æſtimet; & ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit Epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.

Digitized by Google

II. Hæc Decreta Concilii Sardicenſis cum Nicæni, & Antiocheni Concilii ſtatutis, in quibuſdam conveniunt, in aliis diſſident: conveniunt in eo, quod primum judicium Epiſcoporum, Provinciæ Epiſcopis tribuunt: differunt, cum vetant ne advocentur Epiſcopi finitimi; nam in Synodo Antiochena cautum fuerat, ut diſſidentibus Epiſcopis Provinciæ, finitimi accerſerentur. Deinde in eo præſertim ab illis differt Sardicenſis Concilii ſanctio, quod Provincialis Synodi judicium in Epiſcopum latum renovari poſſe definit, ſi ita videatur Romano Epiſcopo (*), ad quem confugere poteſt Epiſcopus damnatus, non quidem ut ejus cauſa Romæ judicetur, ſed tantum ut ibi inquiratur, num cauſa ejus ſit talis, quæ novum deſideret examen. Et ſi Romanus Pontifex intellexit cauſam in Provincia non ſatis examinatam fuiſſe, conceditur ei, ut præter Epiſcopos Provinciæ ex finitimis Epiſcopis cognitores tribuat, qui renovent examen, data etiam illi facultate, ut Legatos *a latere* mittat ad judicium iſtud poſterius; ſi vero intellexerit cauſam non eſſe talem, quæ retractari debeat, manebit firmum Provinciæ judicium. Addit etiam Gaudentius, ut interim dum Romæ inquiritur, num cauſa Epiſcopi depoſiti ſit iterum judicanda, nullus in ejus locum ſubſtituatur, quod Synodo placet. Hic eſt genuinus ſenſus Sardicenſium Canonum. Sed ut de illo magis conſtet, duo nobis adverſus Chriſtianum Lupum, & alios probanda ſunt: alterum eſt, hiſce Canonibus aliquid novum ſtatui; alterum eſt, non concedi provocationem ad Romanum Pontificem, nec poteſtatem ei fieri de cauſa Epiſcopi judicandi, ſed tantum jus quoddam reviſionis, ſeu retractationis ſtatuendæ ipſi tribui.

III. Primum conſtat ex iſtis Oſii verbis, *ſe veſtræ dilectioni videtur, Petri memoriam honoremus;* quibus ſatis ille indicat, ſe novum quippiam, & antehac inuſitatum proponere, quodque ex Patrum Sardicenſium pendebat arbitrio. Deinde non dicit Oſius: *jus Romanæ Sedis conſervemus*, ſed tantum, *Petri memoriam honoremus*, hoc eſt: hunc honorem, ſi vobis videatur, Romano Pontifici deferamus. Et certe adeo verum eſt, iſtam propoſitionem Oſii novam fuiſſe, ut ſtatim Gaudentius Epiſcopus aliquid ei adjiciendum eſſe cenſeat: *neceſſe eſt*, inquit, *adjici huic ſententiæ, quam ſinceræ dilectione plenam protuliſti, ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus.* Et hinc patet diſciplinam iſtam, quæ ab Oſio obſervanda proponebatur, nondum in uſu fuiſſe.

IV. Reſpondent nonnulli per hæc verba, *Petri memoriam honoremus*, illud ſignificare, appellationes Epiſcoporum ad Summum Pontificem eſſe deferendas jure divino, qui ſucceſſor eſt ſancti Petri; qui & Primatum inter Epiſcopos obtinet. Sed commentitiam hanc explicationem facile rejiciet, quiſquis animadvertet, Oſium non

(*) Quidquid ſit de ſententia, quam Canoni Sardicenſi hic Auctor adſcribit; profecto in hoc capite tria conſtant, quæ nec ipſe Auctor negat: 1. In cauſſis fidei, morum, & diſciplinæ univerſalis maximam ſemper in Eccleſia fuiſſe R. Pontificis auctoritatem; & quidem ratione Primatus non honoris tantummodo, verum & poteſtatis, quo divino jure fruitur.

2. Jus provocationis ad Romanam Sedem variam poſſe ſubire diverſis temporibus πολιτείας; & quidem neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ intuitu, quæ illud modo ampliari, modo coarctari poſtulent. Unde illa poteſtas, quæ in Primatu, veluti in ſemine, concludebatur, potuit ſucceſſu temporis evadere, ac veluti educi; & quidem bono pacis, ac temporum περιστάσεσι id requirentibus. Profecto ipſe Auctor *Diſſert.* II. *cap.* II. *n.* 19. ubi loquitur de Auguſtino, qui Secundum Numidiæ Primatem, & alios Numidas arguit, quod, damnato per ipſos Cæciliano, Majorinum ordinaſſent, *antequam hæc damnatio confirmaretur per R. Eccleſiam*; ut argumentum, quod inde adverſus ſuam ſententiam educitur, diſſolvat, reſpondet id factum *bono pacis*. Et *ibid. n.* 26. loquens de eodem Cæciliano ſcribit: *diſſidentibus Epiſcopis Africæ ad tranſmarinos neceſſario recurrendum erat*.

3. In Eccleſiaſtica Hiſtoria frequentiſſima occurrere exempla Epiſcoporum IV. V. & VI. Seculi, qui in Synodis damnati, ad R. Sedem confugerunt: neque id Auctor negat. Videſis Petrum de Marca *Conc. Sacerd. & Imp. Lib. VI. Cap. 6. & ſeq.* ubi pluribus demonſtrat etiam in Oriente *in cauſſis fidei, aut de regulis generalibus nihil definiri* potuiſſe *abſque R. Pontificis ſententia*. Tum Natalis Alex. *Diſſert. III. in Hiſt. Eccleſ. I. Seculi* pluribus demonſtrat jus Appellationum ad R. Pontificem in omnibus Epiſcoporum judiciis in Synodo Sardicenſi non primo fuiſſe inſtitutum, ſed potius confirmatum.

Digitized by Google

absolute id dicere, ut memoria Petri honoretur, *sed si vobis placet, Petri memoriam honoremus;* quæ verba, si sensum illum, quem isti arbitrantur, habeant, sequitur Osium Primatum Pontificis Romani judicio Synodi Sardicensis permisisse, veluti rem ex illorum arbitrio pendentem, quod absurdum est. Eadem de causa rejicitur sensus a Lupo Christiano allatus, qui longe magis violentus est. Is autem est ejusmodi: *Reverendissimi Patres, qualia jam fiant Philippopoli vos nostis; non sola divina Ecclesiæ Hierarchia, sed & ipse Apostolorum Princeps projiciuntur, & conculcantur, restituti per ipsum Episcopi denuo spoliantur; clamantur appellando crimina cumulasse criminibus, ideoque & in ipsos damnationes cumulantur damnationibus. Ipse Summus Pontifex, cujus ego apud vos sum Vicarius, tanquam divinæ legis prævaricator, & novarum in Ecclesia rerum propter admissas appellationes auctor anathematisatur, & cum ipso Primates hujus Synodi Antistites: quare nobis non licet dormire; ante omnia, si vobis placet, oportet nos honorare memoriam S. Petri Apostoli.* Sic loquentem Osium inducit Lupus, quia sic fortasse & ipse loqueretur: at nihil his magis alienum est ab illius mente. Primum enim Osius id non dicit de iis, quæ acta erant Philippopoli ab Orientalibus, quæ necdum forte sciebat. Deinde non dicit honorandam memoriam sancti Petri, ob illa, quæ hic acta erant, sed honorandam cum bona venia Synodi, tribuendo illi jus revisionis. Denique sermo iste, quem Osio affingit Lupus, non paucis scatet erroribus. Primus est, restitutos fuisse a Julio Episcopos ab Orientalibus dejectos, quem refellemus postea. Secundus est, illos appellasse ad Romanum Pontificem. Tertius est, Osium fuisse Vicarium Romani Episcopi. Porro si verba Osii spectentur, horum sensus apertus est ac planus: est autem hujusmodi. *Si quis Episcopus damnatus a Synodo Provinciæ putet se bonam causam habere, si vobis placet, is honor deferatur Episcopo Romæ, qui successor est Petri, ut judicare possit, num ejus causa novum examen requirat, & si ita illi visum fuerit, finitimos Episcopos cognitores sum Provinciæ Episcopis nominet, qui causam iterum examinent.* Id autem sanciendum esse arbitratus est Osius ob judicia in Athanasium, & Marcellum ab Orientalibus lata, quæ Synodus Sardicensis rescinderat. Cum enim illi damnati ad Julium confugissent, ab eo benigne fuerant excepti, & deinde in Synodo Sardicensi ad ejus preces convocata fuerant absoluti. Igitur ut Episcopis ita injuste damnatis aliquis purgationis locus relinqueretur, visum est hujusmodi legem esse ferendam, quæ quidem aliquorum injuste damnatorum innocentiæ succurrit. Verum aliunde multorum pervicaciæ, ac malitiæ patrocinatur. Cum enim vitiosi Episcopi viderent, se non statim Episcopatu dejiciendos per Synodum Provinciæ, sed supereſse sibi aliquod aliud judicium, quod facile erat moras nectendo proferre, liberius peccabant, cum præsertim interea nullus in eorum locum ordinaretur, & Provinciæ Episcopi cernentes judicium suum posse rescindi, fiebant cunctatiores ad damnandos nocentes. Itaque sicut quando supremum statuitur Provinciæ judicium, nonnulli damnari possunt innocentes; ita si damnatis detur alio confugiendi locus, multos nocentes impunitos permanere necesse est: sed eo, unde digressi sumus, revertamur. Adeo verum est, novum aliquod jus Sardicensis Concilii Canonibus Romano Pontifici delatum esse, quod nec ex divino jure, nec ex antiquiori lege haberent, ut ipsi Pontifices Romani jus istud ex Canonibus tantum Sardicensibus, quos Nicænorum nomine laudabant, sibi vindicaverint, ut patet ex Zozimo in causa Apiarii, & Leone in causa Flaviani. Ex his ergo constat, novum jus indultum esse Romano Pontifici in Synodo Sardicensi, quod primo loco probandum fuit.

V. Alterum quod nobis probandum incumbit, illud est, Synodum Sardicensem solum jus revisionis concessisse Romano Pontifici, non autem potestatem judicandi appellationes ab Episcopis factas: patet istud ex Concilii Canonibus. Primum enim Episcopus damnatus hoc unum sperare potest, ut judicium seu Concilium renovetur c. 3. si putet Episcopus *damnatus se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur.*

Digitized by Google

vetur. 2. Pontifici ſcribitur, ut ipſe videat, num opus ſit judicium renovari. 3. Si judicaverit judicium eſſe renovandum, non ipſe judicat, ſed dat judices, *& ſi judicaverit eſſe renovandum det judices*. 4. Judices iſti Romæ non judicant, nec ſunt Romani, ſed ex finitima, & propinqua Provincia c. 7. *ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium vel diſcuſſionis examen, ſcribere dignetur his Epiſcopis, qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta veritatis fidem definiant*. 5. Ita certum eſt Romanum Pontificem non habuiſſe jus cauſæ Romæ judicandæ, ut ad ſummum illi concedatur, ut Legatum ad ſecundum judicium mittat. Denique non inquirit Romanus Pontifex in ſuo judicio, utrum male vel bene judicatum ſit; ſed utrum cauſa ſit talis, quæ iterum judicari debeat: nec confirmat judicium Provinciæ reſcindendo appellationem, ſed tantum declarando cauſam non eſſe talem, quæ iterum ventilari debeat, ſeu potius non decernendo, ut iterum judicium renovetur. *Si autem*, ut habet Canon 3. *probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur, quæ acta ſunt, quæ decreverit, confirmata erunt*. Vel potius, ut habet Græcus textus: *ſi autem probare non poteſt cauſam eſſe talem, ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia.* Hoc eſt, ſi Epiſcopus depoſitus oſtendere non poſſit judicium in ſe injuſte, ac per violentiam contra præſcripta Canonum eſſe latum, novum ei non concedetur judicium, itaque proprie Pontifex Romanus non judicat de cauſa ipſa, ſed tantum de Epiſcoporum judicio, nec inquirit, utrum damnatus ſit nocens, necne, ſed utrum ſententia in ipſum lata ſit contra formam judiciorum, an non, per vim extorta, aut ex odio, & gratia profecta ſit. Utrum denique cauſa ſatis fuerit examinata, & diſcuſſa. Sic cum cauſa aliqua civilis in ſupremo Senatu terminata eſt, nulla datur provocatio, verum qui manifeſte oppreſſi ſunt, aut contra formam judiciorum damnati ſupplicem libellum Regi, & ejus Conſiliariis offerunt, a quibus non de ipſa cauſa judicatur, ſed illud inquiritur, numquid a Senatu in forma ſit peccatum, numquid cauſa ſit bene & convenienter diſcuſſa, an non prævaluerit quorumdam gratia, & ambitus: denique an non manifeſte læſa ſit juſtitia, & ſi quod iſtorum vitiorum in Senatus judicio deprehenderint Regis Conſiliarii, ad eoſdem remittunt judices, jubentque cauſam iterum examinari, & judicari. Jam vero ſciunt omnes quantum ſit diſcrimen, inter jus iſtud reviſionis decernendæ, & jus appellationis admittendæ; nam appellatio, ut definit Petrus de Marca, *cauſam in inferiori tribunali judicatam ad ſuperiorem transfert, ut litem excutiat, & definiat in ſuo tribunali, ita ut quamdiu durat appellatio, ſententia inferioris judicis non poſſit executioni demandari*. At nihil ſimile eſt in eo privilegio, quod Romano Pontifici concedit Synodus Sardicenſis; nec enim datur ei poteſtas cauſæ judicandæ, & ad ſe trahendæ, ſed tantum decernendi, ut illa de novo retractetur in Provincia, itaque non magis eſt provocatio a Synodis Provinciæ ad Romanum Pontificem, quam a Senatibus ſupremis provocatio ad Regem: ſed nullam in poſteriori provocationem eſſe fatentur omnes, idem dicendum de priori.

VI. Objiciuntur nonnulla Canonum iſtorum verba, quibus videtur indicari Romanum Pontificem judicem fuiſſe cauſæ jam judicatæ in Synodo Provinciali: primo enim datur Pontifici poteſtas dandi judices & cognitores. Secundo, datur eidem poteſtas infirmandi, aut confirmandi prioris judicii. Tertio, delatio ad ſedem ejus ſuſpenſivum habet effectum, vetaturque, ne quis in locum depoſiti ordinetur. Quarto, determinanda dicitur in judicio Epiſcopi Romani cauſa his verbis: *niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata*. Denique, ipſum hic verbum appellationis occurrit Can. 7. ſi appellaverit, qui dejectus eſt.

VII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum reſpondent quidam per judices, & cognitores non ſignificari judices, qui prius judicium retractent, & definiant, ſed cognitores, qui inquirant, utrum renovari debeat judicium; ego vero exiſtimo per judices, & cognitores hic intelligi eos, qui prius judicium retractent cum Epiſcopis Provinciæ, ſed patet tum ex eodem Canone tum ex 7. judices illos fuiſſe finitimos, & in Pro-

vincia, non Romæ judicasse. Ad secundum dico, jam satis explicatum esse quomodo Romanus Episcopus judicium in Provincia latum infirmet, & confirmet: infirmat non illud dissolvendo, sed aliud judicium, & novum examen indicendo: confirmat vero, seu potius non infirmat, cum novum judicium non indicit. Ad tertium dico, delationem causæ ad Romanum Episcopum non omnino suspendere prius judicium, manet enim semper depositus Episcopus, & pro depositio habetur, quamvis Romanus Pontifex nondum causam ejus examinarit. Verum ex Gaudentii Episcopi sententia, quæ a Concilio probata fuit, nullus interim in ejus locum ordinabatur, ne, si quis ordinatus fuisset, & postea causa ejus retractanda decerneretur, inde tumultus fuisset, & postea causa ejus retractanda decerneretur, inde tumultus oriretur, cum Episcopus modo ordinatus loco cedere nollet. Ad quartum dico, perspicuum esse ex ipsis Canonibus, nihil aliud in Concilio Romani Episcopi determinari, aut inquiri, quam utrum causa sit retractanda in Provincia, nec ne; itaque hæc verba Canonis septimi: *donec causa ejus fuerit in judicio Romani Episcopi determinata*, non significant causam a Romano Episcopo judicandam, sed tantum ab eo determinandum, utrum locus sit novo examini, & judicio. Eodem modo verbum istud Canonis septimi, *si appellaverit*, non debet stricte sumi pro vera, & proprie dicta appellatione, sed generatim pro omni confugio ad superiorem; unde optime, & ad mentem Sardicensium Patrum Græcus Interpres reddidit, *ac veluti appellans confugerit*. Porro perperam Zonaras, & Balsamon, atque cum iis nonnulli putaverunt, hisce Canonibus duplicem retractationem ejusdem causæ concedi: sic loquitur Balsamon in interpretatione Canonis septimi secundum Dionysium, & quinti secundum ipsum: *præsens*, inquit, *Canon dicit, quod si quis a Provincialibus Episcopis condemnatus fuerit, & ad Papam appellaverit, ille vicinis Episcopis mandabit, ut de appellatione cognoscant, si hoc justum esse putaverit, & si is quoque ab iis condemnatus fuerit, & secundo ad Papam accesserit, & ei visum est, ea, quæ prius judicata sunt rursus examinari, ne cogatur is, qui condemnavit, Romam venire, sed in Provinciam jussu Papæ veniant Presbyteri ex ejus latere, sive ab ejus Ecclesia*. Ubi vides Balsamonem existimasse a Concilio Sardicensi concessam esse Romano Pontifici potestatem retractationis bis concedendæ, si ita illi visum fuerit. Verum si quis Canones accuratius examinet, is nullo negotio perspiciet unius tantum retractationis concedendæ potestatem dari Romano Pontifici, & de eadem mentionem fieri Can. 3. 4. & 7.

VIII. Unum præter hæc examinandum supererat, utrum vi Sardicensium Canonum, novum judicium esset eisdem Provinciæ Episcopis, adjunctis finitimis, committendum. Causa dubitandi hæc est, quod Synodus finitimorum tantum diserte meminerit non Episcoporum Provinciæ. Verumtamen verisimile est mentem ejus fuisse, ut priores judices cum finitimis sederent; id enim satis indicant verba ista: *ut renovetur judicium, Concilium, examen*. Deinde vero ubi non est provocatio, sed tantum revisio, & retractatio causæ, semper idem remanet judex, nec ei judicandi potestas aufertur, sed novum mandatur examen. 3. Si non interesse debuissent secundo judicio priores judices, cur Synodus judicasset renovandum esse in Provincia judicium, non autem Romæ? 4. Dici non potest eos a judicio secundo exclusos, cum naturales sint, & legitimi judices. Deinde necesse erat eos interesse, ut judicii prioris rationem redderent, dicerentque quibus rationibus moti Episcopum deposuissent; porro si negari non potest eos interfuisse, negari quoque non potest eos judices fuisse, nam Episcopi in Conciliis licet partes suas, & judicia tueantur, semper ut judices sederunt, donec rei esse convincerentur, & ceterorum omnium consensu damnarentur. Demum, hanc Sardicensis Synodi mentem fuisse, & sic a Romana Ecclesia acceptam ejus sanctionem fuisse, fidem faeit vetus Canonis septimi inscriptio, in veteri codice Ecclesiæ Romanæ: *de retractanda causa appellantis in Provinciali Synodo*. Provincialis Synodus hic haud dubie est Synodus Provinciæ, quæ ante judicarat. His omnibus

Digitized by Google

bus illud mihi videtur adjiciendum, quod quidem non est omnino leve, Synodum ita loqui, ut videatur magnæ loco gratiæ habere id, quod Episcopis damnatis concedit, ut possint impetrare a Romano Pontifice Legatos, qui posteriori judicio adsint, & auctoritate sua, prioris illius judicii vim imminuant; si vero apud alios, quam apud priores judices causa retractata sit, nihil opus esse visum fuisset auctoritate istorum legatorum, quia novi judices prius illud judicium ab aliis latum minime curassent. Nec est, quod videatur iniquum, ut ii denuo judices collocentur, qui jam sententiam tulerant, nam: uti diximus, novum instituitur judicium, vel quia prius non fuit rite factum, vel quia ab istis judicibus, causa non est satis examinata: quare nihil vetat ad illos eamdem causam remitti, ut rem amplius examinent, & in judicando legitimam formam observent, sicut haud iniquum, imo æquissimum, ut causæ, quæ a supremis Senatibus sunt judicatæ, iisdem iterum examinandæ, & judicandæ remittantur, & videmus sæpe eos ipsos judices re maturius expensa diversam prorsus a priori sententiam ferre.

IX. Ex dictis huc usque patet, Hincmarum in Epistola ad Joannem VIII. quæ nomine Caroli Calvi scripta est cap. undecimo, tam recte sensum Canonum Sardicensium assecutum esse, ut nihil ad eos exponendos aptius dici possit. En ejus verba: *cujus*, inquit, *sanctæ Synodi* (Nicænæ) *Constitutionem Sardicenses Canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani Vicario, vel arbitrio causam Episcopi in Provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio, qui eum judicaverunt, cum Episcopis, qui infinitima, & propinqua Provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenus sive in mutanda sententia, juxta Canones Nicænos commune sit placitum.*

X. Porro Canones isti Sardicenses nunquam in Oriente, & sero in Occidente recepti sunt. De Oriente jam constat illo ipso tempore, quo condebantur, Orientales Episcopos contrarium prorsus statuisse. Deinceps autem tum in Concilio Constantinopolitano, tum in Chalcedonensi, tum in Trullano nullam hujus revisionis mentionem fecerunt, jusseruntque causas omnes Synodi Provincialis, aut ad summum Patriarchalis judicio finiri. In Occidente porro post hanc Synodum adversus disciplinam in ea sancitam reclamarunt Africani, reclamarunt & Galli, ut dicemus infra, imo ne ipsi quidem Itali illos in auctoritatem admiserunt; isti quippe in Epistola Concilii Italiæ ad Theodosium agentes de depositione Maximi Constantinopolitani Episcopi, quem injuste ab Orientalibus dejectum esse arbitrabantur, quique ad Occidentales confugerat, & eis causam suam exposuerat, in hoc, inquam, casu, nec sequuntur, nec allegant Canones Sardicenses, nec ex eorum præscripto jubent judicium renovari, nihilque aliud contendunt, nisi ut Synodus œcumenica indicetur, in qua simul cum Orientalibus cognoscant de depositione Maximi, *non*, inquiunt, *prærogativam nobis vindicamus examinis, sed consortium communis arbitrii*; quod si Canones Sardicenses alicujus auctoritatis esse duxissent, illos isto opportunissimo in loco non prætermisissent. Post hæc Innocentius I. in Epist. ad Clerum Constantinopolitanum, Nicænos Canones solos vigere testis est, & in Epist. ad Theophilum Alexandrinum *alios quippe Canones*, inquit, *Romana non admittit Ecclesia* (*). Postea tamen Zo-

(*) Plus æquo in Zosimum, Bonifacium, & Cælestinum invehitur Auctor; quum plerique Auctores Antiquitatum Ecclesiasticarum scientia clarissimi fateantur, atque adeo contendant in prisco Codice Romano Canones Sardicenses continua numerorum serie Canonibus Nicænis ita fuisse subnexos, ut utrique, tamquam unius ejusdemque Synodi Canones habiti fuerint; præsertim quum Synodus Sardicensis veluti Appendix habita fuerit Synodi Nicænæ. Audiendus præ ceteris Van-Espenius *Comment. in Canones juris Univ. Dissert. III.* Edit. Neap. Tom. VII. pag. 289. c. 1. *Canones Nicænos*, inquit, *& Sardicenses in prisco Codice Romano in unum fuisse confusos, sive Canones Sardicenses continua numerorum serie Canonibus Nicænis fuisse subjectos, & quasi pro iisdem reputatos plura sunt, quæ evincunt*

Zoſimus, Bonifacius, & Cœleſtinus Canones Sardicenſes, plerumque ſub nomine Nicænorum quaquaverſum in Occidente pomulgare conati ſunt, illorumque obtentu appellationes ad ſuam ſedem trahere conati ſunt, & cauſarum ad ſe per appellationem devolutarum Romæ judicandi facultatem ſibi arrogarunt, renitentibus tamen Epiſcopis. Idem deinceps fecerunt Leo I., Vigilius, Pelagius II. & Gregorius magnus, qui nonnullos quoque adverſarios nacti, ſed de his dicemus infra.

XI. Adverſus hæc, quæ huc uſque de Canonum Sardicenſium ſenſu, & auctoritate diximus, nihil ferme objicit Chriſtianus Lupus, quod non fuerit a nobis abunde refutatum, nonnulla tamen hic iterum excutiemus. *Canones Sardicenſes*, inquit ille pag. 121. *donant effectum non ſolum devolutivum, ſed & ſuſpenſivum, ergo in iis agitur de appellatione proprie dicta.* Reſpondeo Canonibus Sardicenſibus proprie nec devolutivum, nec ſuſpenſivum dari effectum: non devolutivum, quia judicium non devolvitur ad Romanum Pontificem; nec proprie ſuſpenſivum, quia Epiſcopus depoſitus ſemper pro depoſito habetur, donec in ſecundo judicio reſtituatur. Addit idem Lupus dari Romano Pontifici poteſtatem retractandi judicii vel in urbe Roma, vel in partibus per Legatos: primum eſt omnino falſum, fuſe enim oſtendimus nullam aliam poteſtatem illi dari, quam decernendi retractationem judicii in partibus. Secundum ex parte falſum eſt, nec enim ſolis Legatis committitur judicium, ſed tantum permittitur Romano Pontifici, ut Legatum aut Legatos mittat, qui cum Epiſcopis Provinciæ, & finitimis judicet: ceteras ejuſdem Lupi in Quenellium, & Marcam expoſtulationes hic proferre nihil attinet, nam in iis ille nihil omnino probat, ſed ſua ſenſa eſſe totidem putat axiomata, de quibus dubitare nefas eſt, quæque nulla probatione indigent; & quidquid cum eis non convenit erroneum eſſe autumat, non alia de cauſa, niſi quia cum opinionibus ſuis non congruunt. Perlege totum ejus librum, intelliges id ita ſe habere; nam ubique adverſariorum argumenta errores eſſe clamat, nec aliter id probat, quam quia cum ſententia ſua non cohærent. Quid facias homini, qui non aliter de veritate, quam ex præjudicatis opinionibus ſuis ſtatuit, *jubeas hunc miſerum eſſe libenter.*

XII. Ut autem probet Sardicenſis Concilii Canones in auctoritatem admiſſos etiam ab Orientalibus fuiſſe paulo plus laborat, ſed non magis promovet. Adducit 1. Concilii Hieroſolymitani ſub Macario ſententiam, in qua Concilii Sardicenſis acta comprobata ſunt; at ſcriptor bonæ fidei advertere debuiſſet in illo Concilio probatos minime fuiſſe Canones Sardicenſes, quorum nullam notitiam habuerunt Orientales, ſed tantum Athanaſii reſtitutionem, & ea, quæ habentur in Epiſt. Synodica, cui ſubſcripſerunt Orientales. Idem dicendum ad id, quod ſubjungit Lupus, hanc Synodum probari a Baſilio, Epiphanio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto & aliis Græcis; nam ab iſtis probantur tantum acta ejus de reſtitutione Athanaſii, non autem Canones, quorum, ut dixi, nulla erat in Oriente notitia. Ita etiam Chalcedonenſis Synodus in proſphonetico ad Marcianum, per conſtituta Sardicenſis judicii Orientalibus directa nihil aliud intelligit, quam Epiſtolam Synodicam de reſtitutione Athanaſii, quæ ſola per totum orbem vulgata eſt.

XIII. Unum ſupereſt, quod fortaſſe gravius videatur argumentum, eoſdem, inquit Lupus, *Canones laudat, & ſecundum ipſos Joannis Chryſoſtomi appellationes exequitur Innocentius, ipſoſque per omnem Orientem viguiſſe teſtatur Palladius.*

XIV. Reſpondeo, Innocentium Canonum Sardicenſium non meminiſſe, nec ſecundum eos appellationem Chryſoſtomi ſuſcipere, quinimo ille in Epiſt. ad Theophilum apud Pal-

---

cunt . . . . . Si igitur fides Innocentio, ſolos Canones Nicænos noverat Eccleſia Romana, iiſque ſolis utebatur: & tamen Canonum Sardicenſium auctoritate uſum fuiſſe Innocentium ex pluribus ejus Epiſtolis conſtat. Signum admodum probabile, in Codice Eccleſiæ Romanæ eo tempore Sardicenſes Canones Nicænis ita fuiſſe ſubjectos, ut pro eiſdem haberentur. Hactenus Van-Eſpenius.

Palladium pag. 24. ſolos Nicænos Canones admitti a Romana Eccleſia teſtis eſt: *tu igitur*, inquit, *ſi judicio confidis, ſiſte te ad Synodum, quæ ſecundum Chriſtum cogitur, & ibi expoſitis criminationibus ſub teſtibus Niceni Concilii Canonibus: alios enim Canones Romana non admittit Eccleſia, irrefragibilem ſecuritatem habebis*. Nec eſt, quod dicat Lupus, nomine Nicænorum Canonum hic intelligi Sardicenſes; nec enim Innocentius dicit, ſe Theophilum ad Synodum vocare vi Canonis alicujus, ſed tantum ait in Synodo, ad quam ipſum vocat, fore ut judicium feratur ex legibus Synodi Nicænæ, quas ſolas, inquit, admittit Romana Eccleſia, quod idcirco dicit quia ſecundum Antiocheni Concilii Canonem damnatus fuerat a Theophilo Chryſoſtomus. Hanc ejus eſſe mentem perſpicue declarant hæc verba Epiſt. ejuſdem ad Clerum Conſtantinopolitanum: *canonibus porro*, inquit, *obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicæa ſunt decreti, quos ſolos confiteri decet Eccleſiam Catholicam, & juxta eos judicare, ſi in aliis a quopiam proferuntur a Nicænis Canonibus diſſonantes, & hæreticos auctores referentes* (loquitur de Antiocheni Concilii Canonibus) *ii a Catholicis Epiſcopis rejiciuntur: quapropter non ſolum dicemus iſtos ſequendos non eſſe, verum etiam cum hæreticis, & ſchiſmaticis dogmatibus condemnandum, quemadmodum antea in Sardicenſi Concilio ab Epiſcopis, qui nos præceſſerunt factum*. Vides hic Innocentium Sardicenſes Canones a Nicænis diſtinguere, & horum tantum auctoritate niti, quamvis Sardicenſium Patrum factum in exemplum adducat, ut probet ſolos Nicænos Canones ſequi oportere.

XV. Quod ad Palladium ſpectat, is dicit equidem Canonem Antiochenum *in Sardicenſi Concilio, a Romanis, Italis, Illyriis, & Macedonibus, atque Græcis abrogatum eſſe*; at non dicit id factum per Canones Sardicenſes, ſed quando, inquit, *Liberius, aut Julius Conſtantis Principatu Athanaſium in communionem admiſit, & Marcellum Galatam, propter quos & hic Canon factus fuerat*; inde porro colligi non poteſt Canones Sardicenſes in Oriente fuiſſe receptos.

XVI. Objicit denique idem Chriſtianus Lupus Canones iſtos in Concilio Trullano Canone ſecundo inter eos, qui ab Eccleſia probantur numerari, itemque a Joanne Scholaſtico Patriarcha Conſtantinopolitano in collectione, quæ nomen Theodoreti præfert in manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ regiæ inſertos fuiſſe, & ab ipſo Photio in Nomocanone comprehenſos.

XVII. Reſpondeo, inde minime colligi poſſe Canones Sardicenſes in Oriente viguiſſe; nam in Concilio Trullano laudantur ii omnes Canones, qui ab Epiſcopis orthodoxis erant conditi, licet non omnes eſſent in uſu, præſertim in Oriente. Id de Sardicenſibus dicendum eſſe conſtat, ex Synodi Chalcedonenſis Decreto de ſupremo Synodi Diœceſeos judicio, quod ab iſta Synodo Trullana confirmatum eſt. Collectiones Canonum Joannis, & Photii ad uſum utriuſque privatum confectæ ſunt, non autem ut authentica eſſent, & publica inſtrumenta, ſicut Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ, in quo Canones Sardicenſes non reperiuntur: unde ipſe Photius, qui eos Nomocanoni inſeruit, conteſtatus eſt eoſdem in Oriente non recipi. Nihil eſt ergo quod probet Sardicenſes Canones in Oriente viguiſſe, videamus nunc, quæ diſciplina poſt Sardicenſem Synodum, tum in Oriente, tum in Occidente viguerit.

§. IV.

Quænam diſciplina poſt Sardicenſem Synodum ſancita fuerit.

ADvertimus jam ſupra, Orientales Epiſcopos in Synodis Antiochena, & Conſtantinopolitana ſtatuiſſe, ut Provincialium Synodorum judicia in majori, aut Diœceſana Synodo retractentur, modo id ipſi judices peterent, ad compeſcendam damnati pervicaciam, non tamen integrum propterea fuiſſe damnato, a Synodi Provinciæ judicio ad Synodum Diœceſeos provocare, niſi illi ipſi, a quibus judicatus erat, id poſtularent; in Concilio vero Chalcedonenſi, cujus Epiſcopi ſtudioſiſſimi fuerunt jurium Patriarchalium præſertim Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ extollendorum

Digitized by Google

rum, nova in judiciis Ecclesiasticis distinctio inducta est. Distinguunt enim inter Episcopum, & Metropolitanum, jubentque, ut prima de crimine Episcopi cognitio instituatur in Synodo Provinciæ, Metropolitani vero causa statim ad Exarchum Diœceseos deferatur, quod idcirco factum esse crediderim, quia Metropolitani in Synodis Provinciæ magna auctoritate pollebant, & difficile erat eos ibi judicari: verba Concilii hæc sunt Canone nono: *si Clericus cum proprio, vel etiam alio Episcopo negotium aut litem habeat, a Provinciæ Synodo judicetur; si autem cum ipsius Provinciæ Metropolitano Episcopus, vel Clericus controversiam habeat, Diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget.* Item Canone 17. *Si quis autem injuria afficiatur a proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœcesis, vel Constantinopolitanam sedem litiget, sicut prius dictum est.*

II. Porro gravis hic difficultas exoritur ex eo, quod videatur Synodus Constantinopolitano Episcopo judicium tribuere omnium omnino Metropolitanorum, qui erant in Oriente; idque magis mirum videtur, quod hæc ei prærogativa tribuitur, antequam Asiana, & Pontica Diœceses ei subjicerentur, quod non est factum, nisi actione ultima Concilii. Hanc difficultatem facile expedit Petrus de Marca scribens, hanc prærogativam concessam esse sedi Constantinopolitanæ. Ego vero vix crediderim mentem fuisse Concilii, ut Patriarchatus Antiocheni, & Alexandrini Metropolitani, ad judicium Constantinopolitani Episcopi traherentur. Sicut ergo a jurisdictione Constantinopolitani Episcopi sine dubio eximendi sunt Occidentales Metropolitani, ita etiam eximendi videntur ii, qui Patriarchæ Antiocheno, & Alexandrino subjacebant, ita ut ista sanctio ad Metropolitanos tantum Asianæ, & Ponticæ Diœcèseos pertineat, quas Diœceses Constantinopolitano Præsuli subjicere jam tum in mente habebant Synodi Chalcedonensis Patres. Porro Metropolitanos Diœceseos Orientis, & Ægypti ad Constantinopolitanam sedem deferri non potuisse, constat ex Justiniani Novellis 123. cap. 22. & Novella 137. in quibus sancit, ut uniuscujusque Diœceseos Patriarchæ Metropolitanorum causas suæ Diœceseos judicent. Addit præterea Justinianus, ut in causis Episcoporum sit provocatio a Synodo Provinciæ ad Patriarcham, qua de re Concilium Chalcedonense nihil statuerat: refertur hæc Imperatoris Constitutio a Photio in Nomocanone tit. 9. *Episcopi ejusdem Synodi inter se actionem habentes ad Metropolitanum suum, & alios Synodi Episcopos litigant, & nisi utraque pars judicatis insistat, ipsorum Patriarcha causam cognoscito, ac nulli contradicendi illis, quæ ab illo statuuntur, potestas esto; si Clericus adversus Episcopum suum actionem movere velit, idem esto: cum autem contra Metropolitanum interpellatio instituitur, Patriarcha ipsius similiter cognoscito; si quidem Episcopus judicavit, Metropolitanus rem examinato, si vero Metropolitanus, Patriarcha cognoscito.* Et ibidem ex Constitut. 29. *Nemo prima vice apud Patriarcham, sed Episcopum suum Clericum accusato; si vero suspectum illum habeat ad Metropolitanum, & postea Metropolitanus solus, sive cum Synodo sua Episcopi, aut Clerici causam judicet, & sententiæ non acquiescatur, ejus ditionis Patriarcha cognoscat, ipsiusque judicatis, perinde ac si initio judicasset, insistatur, a Patriarcharum namque judiciis non provocatur.* Hæc & alia hujusmodi, quæ in Novellis occurrunt, ostendunt causas Episcoporum apud Græcos post Synodum Chalcedonensem, primum a Metropolitano cum Episcopis Provinciæ judicatas fuisse, ac deinde, si sententiæ ab iis latæ non acquiescerentur, eas ad Exarchum, seu Patriarcham, Synodumque Diœceseos fuisse delatas: unde nulla dabatur alia provocatio, sed supremum erat istud judicium. Causas autem Metropolitanorum Episcoporum immediate ad Patriarcham, Synodumque Diœceseos fuisse delatas, ibique sine provocatione ulla definitas. Hanc disciplinam Græci deinceps receperunt, ut colligitur ex Photio in Nomocanone tit. nono supra citato, tum ex Zonara, & Balsamone in Commentariis ad hos Canones.

III. In Occidente vero Sardicensis Concilii Canones hinc & inde sunt ventilati, nec

Digitized by Google

nec ſtatim, nec ſine multa difficultate recepti ſunt, licet Pontifices Romani, quoniam eorum intererat illos in auctoritatem admitti, multum laboraverint, ut eos promulgarent.

IV. Videri poteſt illuc pertinere Gratiani edictum, ad preces Synodi Romanæ latum, ad compeſcendam potiſſimum Urſicini factionem: preces Concilii hæ ſunt: *quæſumus clementiam veſtram, ne rurſus in plurimis cauſis videamur oneroſi, ut jubere pietas veſtra dignetur, quicumque vel ejus, vel noſtro judicio, qui Catholici ſumus, fuerit condemnatus, atque expulſus voluerit Eccleſiam retinere, vel vocatus a Sacerdotali judicio per contumaciam non adeſſe, ſeu ab illuſtribus viris præfectis Prætorio Italiæ veſtræ, ſive a Vicario accitus ad urbem veniat, aut ſi in longinquioribus partibus hujuſmodi emerſerit quæſtio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen, vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus judices dederit, contendere, ſine dilatione jubeatur ..... Certe ſi vel Metropolitani, vel cujuſcumque alterius Sacerdotis ſuſpecta gratia, vel inquietus fuerit, vel ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium certe quindecim Epiſcoporum finitimorum ei liceat provocare;* has preces Gratianus reſcripto ſuo firmavit: *volumus autem*, inquit, *ut quicumque judicio Damaſi, quod ille cum Concilio quinque vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum, qui Catholici ſunt judicio, vel conſilio condemnatus fuerit, ſi injuſte voluerit Eccleſiam retinere; ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per contumaciam non iviſſet, aut ab illuſtribus viris præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, ſive a Proconſulibus, vel Vicariis auctoritate adhibita, ad Epiſcopale judicium, ut ad urbem Romam ſub proſecutione proveniat; aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, omnis ejus cauſæ dictio ad Metropolitæ in eadem Provincia Epiſcopi deducatur examen; vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus judices dederit, ſine dilatione contendat ..... Quod ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cujuſcumque iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum acerſitum, liceat provocare, modo ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.*

V. Lex iſta nonnulla tribuit Romano Pontifici, quæ Sardicenſis Synodus ipſi non tribuerat, ac nonnulla etiam ipſi non tribuit, quæ Sardicenſis Synodus ipſi tribuerat; nam Sardicenſis Synodus non tribuit Romano Pontifici, ut cauſas Epiſcoporum Galliæ, atque Italiæ, necnon Metropolitanorum, qui in longinquioribus Provinciis degunt, poſſit ad ſe evocare, quod lex iſta ipſi tribuit. At Synodus Sardicenſis Romano Pontifici poteſtatem facit decernendi novi judicii in cauſis judicatis a Metropolitano, & Synodo Provinciæ, etiam in longinquis locis: lex vero iſta vetat, ne in Provinciis longe a Roma diſſitis provocetur ad Romanum Pontificem, & cauſa de novo integretur, poſt judicium Metropolitani, & Synodi Provinciæ. Deinde eadem lex poteſtatem facit ei, cui ſuſpecta eſt gratia, vel iniquitas Metropolitani, aut Epiſcoporum Provinciæ immediate ad Pontificem Romanum, aut ad Synodum finitimorum provocandi, iſtud autem non permittit Sardicenſis Synodus.

VI. Porro lex iſta Gratiani nunquam fuit promulgata, nec uſu recepta; ſed aut vetus Synodi Nicænæ, aut recens a Sardicenſi Synodo conſtitutum jus obtinuit. Hic autem fere conſentientes nobiſcum habemus adverſarios, atque imprimis Chriſtianum Lupum, qui can. 9. duo circa legem hanc obſervat: alterum eſt, legem, quæ definit Epiſcopos eſſe judicandos a Romano Pontifice cum Concilio quinque vel ſeptem Epiſcoporum, eſſe intelligendam de ſuburbicariis tantum Epiſcopis: alterum, id quod de Metropolitis in illa lege ſancitur, non eſſe intelligendum de Epiſcopis Orientis, ſed de Patriarchatus Occidentis Metropolitis, præſertim vero de Italia, & Gallia; nam de Africa, licet ægre, concedit eorum Metropolitanos non fuiſſe immediate judicio Romani Epiſcopi ſubjectos.

VII. Itaque de Gallia ferme ſola nobiſcum cum illo lis eſt; nec enim dubitamus, quin Epiſcopi Eccleſiarum illarum,

quarum Metropolitanus erat Romanus Pontifex, fuerint ab ipso dejecti in Synodo Provinciæ; & quamquam de ceteris Italiæ Episcopis, Metropoli Romanæ minime subjectis, aut de Metropolitanis ipsis non idem ferendum sit judicium; de illa re non multum sumus solliciti: ipsi res suas defendant; at de Gallia nunquam concedemus ei Metropolitanos ejus, omisso medio subjectos fuisse Romani Episcopi judicio, ut Gratiani lex sancire videtur.

VIII. Id constat primo ex eo, quod Gallicani Antistites Canones Nicænos, Antiochenos, & Africanos, necnon licet serius Sardicenses in auctoritatem admiserint, & eos pro regula habuerint, sed per istos administratio Provinciæ, judiciumque Metropolitani ipsius Synodo Provinciæ defertur.

IX. Secundo, lex Gratiani statim atque lata fuit, videtur extincta; nusquam enim a Pontificibus Romanis, qui ea præsertim uti debuissent, allegata legitur; quamquam illi, ut dicemus, nihil non moliti sint, ut judicia Episcoporum, ac præsertim Metropolitanorum ad se traherent.

X. Tertio, Innocentius I. in Ep. ad Victricium diserte ait, omnes omnino causas Galliæ non ante judicium Synodi Provinciæ ad sedem Apostolicam referri debere: *si autem*, inquit, *majores causæ in medium fuerunt devolutæ ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale judicium, referantur*. Certe Metropolitanorum excepisset judicia, si sine medio ad Sedem Apostolicam devolutæ fuissent. Uno verbo: Pontifices Romani, post legem Gratiani, id unum tantum petunt, ut detur appellatio ad Romanam sedem a judicio Synodi Provinciæ, non ut ulla causa ad se primum deferatur; ex quo perspicuum est, eos legem Gratiani non magni fecisse.

XI. Quarto, innumeris exemplis constat, Metropolitanos a Synodo Provinciæ dejectos fuisse, ut infra docebimus.

XII. Quinto, idipsum Canonibus suis Ecclesia Gallicana sancivit. Aurelianensis Synodus III. Can. 4. *Metropolitanus utique lapsus a Comprovincialibus suis distinguatur*, & V. Canone 17. *Si Metropolitanus a Comprovinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, ad proximam Synodum, quæ constituetur, negotium suum in Concilio habeat, exerendi, & quidquid pro justitia fuerit a Provincialibus suis statutum, studeat observare*: quod ipsum repetit secunda Arvernensis Synodus.

XIII. Respondet Lupus Canonibus istis occasionem dedisse Reges Galliæ barbaros, qui suis Episcopis interdixerunt Regni egressum. Verum ista responsio merum est commentum; nam primum editi sunt hi Canones, Childeberto Christianissimo Rege regnante, deinde quis Lupum ferat istud sine ullius omnino scriptoris auctoritate affirmantem: denique ut aliquid verisimilitudinis haberet ista responsio, ostendere debuisset Christianus Lupus, Canones antiquiores Galliæ, qui jus Romani Pontificis asserrent. At nullos proferre potest, imo, uti diximus, semper in Gallia obtinuerunt ii Canones, qui judicium omnium omnino Episcoporum tribuunt Synodo Provinciæ.

XIV. Adversus ista multa objicit Christianus Lupus. Objicit primo, Gelasii verba in Epist. ad Dardaniæ Episcopos de causa Acacii, & in tomo de anathematis vinculo, *ab inferioribus potior discuti non potest, aut judicari*.

XV. Respondeo, Gelasium id dicere de damnatione Calendionis Antiocheni Episcopi, itemque Joannis Alexandrini, quos Acacius auctoritate sua, nec coacta legitime Synodo, deposuerat, & exturbandos ab Imperatore curaverat, in illorum locum homines Chalcedonensis Concilii adversarios statuens. Hoc in casu dicit Gelasius, iniquum esse, ut superior ab inferioribus judicetur: *nunquid*, inquit, *Acacius ut Joannem qualemlibet hominem Catholicum tamen a Catholicis ordinatum de Alexandrina excluderet, Petrumque in hæresi jam detectum, atque damnatum absque Sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliqua saltem Synodo illic habita, hoc audacter arripuit, ut Calendionem de Antiochia pelleret, hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitia Sedis Apostolicæ rursus admitteret, aliqua Synodo id fecisse monstratur, si certe de dignitate agitur civita-*

vitatum secundæ sedis, & tertiæ, major est dignitas Sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter Metropolitanorum jura censetur. Itaque hoc graviter angit Gelasium, quod Acacius sibi potestatem arripuisset judicandi de Episcopo secundæ, ut putabat, sedis, idque sine Synodo, & sua auctoritate; sed istud nihil ad præsens institutum pertinet: primo enim non agitur hic de judicio Patriarcharum, sed de Metropolitanorum judicio. Secundo, non dicimus eos judicari posse ab Episcopis, qui sunt extra Provinciam, qualis erat Acacius. Tertio, non dicimus unum aliquem Episcopum Provinciæ id posse sua auctoritate præstare, sed consentientes esse volumus omnes Provinciæ Episcopos. Quarto, non propterea asserimus superiorem ab inferiore judicari; imo contendimus Episcopos Provinciæ in Synodum coactos superiores esse Metropolitano, quia totum cuilibet, licet præstantissimæ parti, merito præponitur.

XVI. Objicit idem secundo illud Juvenalis Hierosolymitani in Ephesino Concilio adversus Joannem Patriarcham: *oportebat Joannem accurrere confestim ad Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum confidentem, apud quem mos est ex Apostolico ordine, & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur, & judicetur.*

XVII. Respondeo, Christianum Lupum hic indigne, & pessimo exemplo truncare verba Juvenalis, ut ex iis aliquid conficiat; ecce hæc integra: *oportebat quidem Joannem reverendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sancta & venerabili Synodo considerata, statim, ut se purgaret, accurrere, & ad Apostolicam Sedem nobiscum confidentem magnæ Romæ, & Apostolicæ etiam sanctæ Dei Ecclesiæ Hierosolymitanorum honorem deferre, & obedire, præsertim cum consuetudo sit, Sedem Antiochenam ex Apostolico ordine & traditione ab eo* (Episcopo Hierosolymitano) *dirigi, & apud ipsum judicari.* Quid illic Christiani Lupi placitis faveat, ego prorsus non video; nec enim dicit Joannem fuisse vocandum Romam a Pontifice, ut judicaretur, sed reprehendit eum, quod vocatus ad Synodum, in qua erant Legati Sedis Apostolicæ, non venerit, quod item nec paruerit mandato Hierosolymitani Episcopi, a quo Antiochenam Ecclesiam dirigi affirmat, & judicari: non id ille dicit de Romana sede, sed de seipso. Quapropter ista Episcopi Hierosolymitani sententia judicandi Antiocheni Episcopi plane adversatur Christiani Lupi proposito; nec est quod ille contendat, id emendari debere, & tribui Romanæ Sedi, quod sibi tribuit Hierosolymitanus Episcopus, quippe id series contextus vetat, ex qua patet id ab Hierosolymitano Præsule, qui tum altius caput efferebat, de seipso dictum.

XVIII. Tertio loco objicit Lupus exemplum Dionysii Alexandrini, & Nestorii Constantinopolitani, quorum causas Romam delatas, & a Romano Pontifice judicatas fuisse ait: de his agemus alibi. Interim advertimus, Dionysium non fuisse a Romano Pontifice judicatum; Nestorium vero prius a Cyrillo, quam a Cœlestino excommunicatum.

XIX. Quarto objicit Ephesinæ Synodi Canonem primum, in quo Metropolitis, qui ad Nestorianos accederent, hanc pœnam statuere videtur, ut subjaceant judicio Synodi Provinciæ; unde ille infert, morem non fuisse, ut illi subjacerent: verum Canonis mentem haud cepit Lupus; nec enim statuit, ut Metropolitani, qui accederent ad Nestorianos, judicentur, & deponantur a Synodo Provinciæ, sed ut a gradu Metropolitæ excidant, & Episcopis Provinciæ subjaceant, non secus ac laici: *si quispiam,* inquiunt, *Metropolita Provinciæ, derelicta sancta, & œcumenica Synodo accesserit ad apostasiæ confessum, aut accedet impostorum, aut cum Cœlestio sentiat, aut sentiet, nihil amplius poterit agere adversus Provinciæ Episcopos, ut qui jam inde a Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsus ἀνενέργητος, hoc est ad functiones inhabilis, sed & ipsis Episcopis illius Provinciæ, circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit, ut omnino dejectus a gradu Episcopatus,* hoc est, Metropolitanus, qui ad Nestorianos defecerit, hoc ipso dejectus esse censebitur, & omni jure privatus, ac singulis Episcopis Provinciæ, & Metropolitis vicinis subjectus.

Digitized by Google

XX. Objicit quinto Synodi Chalcedonenſis Decretum, quod judicium Metropolitanorum reſervat Exarcho, vel Throno Conſtantinopolitano. Reſpondeo primo, Canonem iſtum novam inducere diſciplinam in Oriente. Secundo, hunc ad Orientem ſolum pertinere, non ad Galliam.

XXI. Objicit ſexto Capitulum Caroli lib. 7. cap. 251. quod ad Chalcedonenſem Canonem accedit: *ſi Clericus, vel Laicus habuerit cauſam adverſus alterum, aut Epiſcopus adverſus quemquam, apud Synodum Provinciæ judicetur; quod ſi adverſus ejuſdem Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem, & apud ipſum judicetur, aut apud Sedem Apoſtolicam.*

XXII. Reſpondeo, Capitulum iſtud e Chalcedonenſi Synodo deſumptum fuiſſe, & eo tempore cœpiſſe in Galliis vulgari, quo nonnulli Epiſcopi ibi Primatum ambierunt; verum huic diſciplinæ ſemper reſtiterunt Gallicani Epiſcopi, & priſtinam conſuetudinem de Metropolitanis ſuis in Synodo Provinciæ judicandis, totis viribus retinere conati ſunt; adeo ut Pontifices Romani id privilegium veluti ſingulare quibuſdam Metropolitis inſignibus conceſſerint, ut Hadrianus I. Bituricenſi, & Benedictus III. Hincmaro Rhemenſi; porro ſi privilegium illud fuit, ut obſervat recte Gerbaſius; ergo communi, & ordinaria lege Collegarum judicio ante ſubmittebantur.

XXIII. His objectis, fatetur Lupus minoribus aliquando concedi poteſtatem judicandi ſuperiores in manifeſta hæreſi, & in crimine idololatriæ; atque hujus rei multa ſuggerit exempla: verum negat id fieri poſſe, ubi dubia eſt hæreſis, & palliabilis. At, quæſo, quis judicabit, utrum ita ſit, nec ne, ſi poteſtas datur Epiſcopis Provinciæ judicandi Metropolitanos, ubi hæreſis eſt manifeſta, nonne Ordinarii ejus damnandi poteſtatem habent, cum non liceat aliquem damnare, niſi crimen ejus ſit manifeſtum. Deinde quomodo probabit Lupus in exemplis a ſe adductis, hæreſim ſemper fuiſſe manifeſtam, quomodo in caſibus dubiis judicium commiſſum Romano Pontifici. Levia ſunt omnia, quæ hanc in rem affert, exempla. *Hunc*, inquit, *Dionyſium accuſaſſunt apud Romanum Pontificem Pentapoleos Epiſcopi, quod nempe ejus error eſſet dubius*; atqui falſum eſt Dionyſium ab iſtis accuſatum, ut dicemus infra.

XXIV. Aliud affert exemplum idem Lupus: eadem de cauſa, inquit, Jubajanus, Pompeïus, aliique per Africam Epiſcopi ſuum Primatem Cyprianum detulerunt ad Stephanum. Hoc item falſum, Pompeïus enim a partibus Cypriani ſtabat: Jubajanus ſcripſerat quærentis in modum; nullus Africanus Cyprianum accuſaſſe legitur apud Stephanum.

XXV. Tertium exemplum eſt damnationis Pauli Samoſatenſis, de qua hæc ait: *Antiochena Synodus*, inquit, *proceſſura ad diffinitivam ſententiam in Paulum, adeſſe voluit Dionyſium Alexandrinum, ac item Firmilianum Cæſarienſem.* Reſpondeo, Patres Antiochenos Dionyſium, & Firmilianum per litteras quidem conſuluiſſe, ſed hunc ante ejus damnationem mortuum, illum nequidem Concilio in Paulum facto interfuiſſe, ſed damnatum, & depoſitum Paulum a ſolis Epiſcopis Diœceſeos Orientis: ex his perpicere eſt quantum Chriſtianus ab hiſtorica veritate partium ſtudio deflexerit: ſed cetera facta fuſe deinceps examinabimus, nunc de jure tantum agimus.

XXVI. Ad illud pertinet citata quædam Epiſtola Auguſtini 143. in qua Auguſtinus ait Secundum Numidiæ Primatem, ſi pacis amans fuiſſet, Cæcilianum non fuiſſe dejecturum de ſede, nec alium ordinaturum, ſed Epiſcopos Afros, qui illum accuſare vellent, ad Epiſcopos tranſmarinos remiſſurum; ex quibus infert Chriſtianus Lupus, Cæcilianum, eo quod eſſet Primas Africæ, non potuiſſe ab Africanis damnari, ſed cauſam ejus ab iſtis fuiſſe deferendam Romano Epiſcopo, & nullum in ejus loco ordinandum, donec ab eo judicaretur.

XXVII. Reſpondeo, hic Auguſtinum non agere de ſtricto jure, ſed de eo, quod agendum erat Secundo pro bono pacis, ne ſcilicet Eccleſia turbaretur: *nam*, inquit, *ſi ejus in corde cogitatio pacis habitaret, non apud Carthaginem, poſtea cum traditoribus, quos præſentes, atque confeſſos Deo dimiſerat*,

Digitized by Google

rat, damnaret crimine traditionis, quos absentes apud eum nemo convicerat; tanto magis enim timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla, & illustris, unde se per totum Africæ corpus malum, quod ibi esset exortum, tamquam a vertice effunderet: erat etiam transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima, & nobilis, unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, quia ergo venire noluit ad hospitium collegarum, quos a suis inimicis contra veritatem suæ causæ perversos esse sentiebat, tanto magis Secundus, si veræ pacis custos esse voluisset, cavere debuit, ne damnarentur absentes, qui judicio eorum omnino interesse nolucrunt. Itaque non dicit Augustinus, Secundum non debuisse causam Cæciliani judicare, quod judicandi potestatem non haberet, sed primo quia pacem Ecclesiæ turbaturus erat, damnando illum, qui cum Ecclesiis transmarinis communionem habebat; secundo, quia is, qui damnabatur, erat absens, judiciumque Afrorum, & Numidarum recusabat veluti sibi suspectum, cupiebatque a transmarinis judicari, nec unquam judicium illorum adierat, dicebat igitur Secundum de isto non cognoscere debuisse, cum præsertim ipse traditores manifestos, & crimen confitentes damnare nollet, sed Deo dimitteret: hæc est summa ratiociniorum Augustini hoc in loco, ex quibus inferri non potest, Episcopos ex jure non posse cognoscere de crimine Metropolitani, aut Primatis, sed tantum aliquando expedire, ut Episcopi unius regionis judicium Metropolitani, aut Primatis sui recusent, vel pacis ergo, vel quia Metropolitanus, aut Primas eos habet suspectos, & alios judices requirit: nam in Ecclesiasticis non secus ac in civilibus judiciis, judices illud summopere cavere debent, ne invitis partibus judicent, ubi vel levissima recusationis causa appareret. Porro licet istis objectionibus Lupi sit abunde satisfactum; attamen adjiciendum insuper est, totum istud negotium nihil ad propositum nostrum pertinere, qui tantum de judicio Metropolitani ab Episcopis Provinciæ suæ tractamus, cum Secundus, & Episcopi illi qui Cæcilianum damnarunt, Numidæ fuerint, non autem Provinciæ Carthaginensis, & a quibus fuerat ordinatus, cujus Cæcilianus erat Metropolitanus, e quorum proinde judicio pendebat; namque, ut observarunt viri docti, illorum erat ordinare, sed, ut probavimus in dissertatione superiori, ex antiquo jure Synodi Provinciæ fuit ordinare Metropolitanum, ergo ejusdem Synodi fuit ipsum deponere: sed de hoc satis jam, & abunde a nobis disputatum est, nunc redeamus ad institutum.

XXVIII. Primus omnium Zozimus Canones Sardicenses protulit in medium, & apud Africanos venditavit pro Nicænis, sed illi constanter restitere, cumque comperissent eos non esse Concilii Nicæni, appellationes non solum Clericorum inferiorum, sed & Episcoporum in Africa damnatorum ad Sedem Apostolicam ferre noluerunt, pristinamque consuetudinem suam retinuerunt, ut causæ Episcoporum ad Primatem, hoc est Metropolitanum, & Provinciæ Synodum, seu ad universale Concilium deferrentur, maxime, inquiunt, Africani Episcopi in Epistola ad Cœlestinum, *quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare.* Universale Concilium apud Afros dicitur Concilium illud, quod ex universa Diœcesi Africana conflatum est: ejusmodi Concilia sæpe celebrabantur apud Afros, apud quos Carthaginensis Primas magnam obtinebat auctoritatem. Liberum porro videtur fuisse Episcopum, vel ad Synodum Provinciæ, vel ad Synodum hanc universalem deferre, quamvis ordinarie primo ad Primatem, hoc est ad Metropolitanum deferretur, ac deinde, si adesse nollet, ad Synodum universalem; hujus rei fidem facit Canon 19. Codicis Africani, qui sic habet: *Aurelius Episcopus dixit: quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem ipsius Provinciæ causam deferat accusator, nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta*

Digitized by Google

tuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc eſt infra ſpatium menſis ex ea die, qua eum litteras accepiſſe conſtiterit; quod ſi aliquas veras neceſſitatis cauſas probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ dicendæ intra alterum menſem habeat facultatem, verum tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur, ſi autem ad Concilium anniverſarium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur. Hic Canon ſancitus eſt in univerſali Concilio Africæ anno 419. Carthagine habito, conſidentibus in ea 217. Epiſcopis. Canon ſequens eſt de Presbyteris, vel Clericis: *ſi autem Presbyteri, vel Diaconi fuerunt accuſati, adjunctis ſibi ex vicinis locis, cum proprio Epiſcopo legitimo numero collegarum, quos ab eodem accuſati petierint, id eſt una ſecum in Presbyteri nomine ſex, in Diaconi tres, ipſorum cauſam diſcutiant, eadem dierum, & dilationum, & a communione remotionum forma ſervata, reliquorum autem Clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus loci cognoſcat, & finiat.* Canon item 28. ab eadem Synodo conditus ſic ſe habet: *item placuit, ut Diaconi, & Presbyteri, vel ceteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos cum conſenſu ſui Epiſcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Epiſcopi; quod ſi ab eis provocandum putaverint, non provocent ad tranſmarina judicia, ſed ad Primates ſuarum Provinciarum, aut ad univerſale Concilium, ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt: ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Hic porro Canon eſt vigeſimus ſecundus inter eos, qui Milevitano perperam tribuuntur, ſunt autem revera Concilii Carthaginenſis anni 418. ut patet ex Canone 108. & 125. hujus Codicis. Verum in iſto Concilio lex ad Epiſcoporum quoque cauſas extenditur, vetaturque, ne ipſi provocent ad tranſmarina Concilia, hoc eſt ad Romanum Pontificem, & ad Italiæ Epiſcopos. Clauſulam iſtam, *ſicut & de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt*, rejiciunt Bellarminus, Perronius, Lupus, & alii, eo quod non extet in Concilio Milevitano, ſeu potius Carthaginenſi anni 418. & revera non eſt hujus Concilii, ſed alterius Carthaginenſis anno 419. celebrati, ubi id additum eſt de Epiſcopis, confirmatumque eſt poſtea ab iiſdem in Epiſt. ad Cœleſt. poſt advectos ex Oriente Nicænos Canones, in qua ſic alloquuntur Romanum Pontificem: *impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos ultra velitis in communionem ſuſcipere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum facile advertet venerabilitas veſtra; nam etſi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſua Provincia a communione ſuſpenſi a veſtra ſanctitate præpropere, vel indebite videantur communioni reſtitui, &c.*

XXIX. Haud dubium eſt igitur, quin apud Africanos Antiſtites jure ſancitum fuerit, ne quis ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, aut Diaconus, ſive inferior Clericus ad tranſmarina judicia, hoc eſt ad Romanum Epiſcopum, aut ad alios Epiſcopos Italiæ, & Galliæ provocaret, ſed ut Epiſcopi quidem in prima inſtantia judicarentur a Synodo Provinciæ, Presbyteri ac Diaconi ab Epiſcopo ſuo cum nonnullis vicinis ex eadem Provincia, ceteri inferiores a ſolo Epiſcopo, adjuncto, ut tunc moris erat, Clero ſuo, per appellationem, ut cauſæ Epiſcoporum ad univerſale Concilium Africæ devolverentur, & ibi ſine ulla provocatione judicarentur, Clericorum autem cauſæ, vel ad Primatem deferrentur, vel ad univerſalem Synodum. Porro provocatio tunc tantum concedebatur, quando judices non erant electi, hoc enim in caſu provocandi locus non erat, ut ſtatutum eſt in eodem Concilio Canone 15. *Hoc etiam placuit, ut a quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis, ad alios judices Eccleſiaſticos, ubi major eſt auctoritas, fuerit provocatum, non eis obſit, quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi convinci non potuerunt, vel inimico animo judicaſſe, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati, ſive ſi ex conſenſu Patrum electi fuerint judices, etiam a pauciore numero, quam conſtitutum eſt, non liceat pro-*

Digitized by Google

provocare, & Can. 122. *a judicibus autem, quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare*.

XXX. Porro nemo eruditorum in dubium revocat auctoritatem Codicis Africani; certum quippe eſt, eum eſſe antiquiſſimum, & Conciliorum Carthaginenſium Canones fideliter exhibere, eoque major eſt ejus auctoritas, quod ab univerſa Synodo Carthaginenſi probatus eſt, ut conſtat ex fine primæ ſeſſionis: *recitata ſunt etiam in iſta Synodo diverſa Concilia univerſæ Provinciæ Africæ, tranſactis temporibus Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi celebrata*, ac deinde ſub nomine Concilii Africani idem Codex a Juſtiniano, & Dionyſio Exiguo promulgatus eſt, & in Græcum translatus, ac apud ipſos Orientales vulgatus eſt.

XXXI. Opponit Chriſtianus Lupus, Codicem hunc privatum opus eſſe alicuius ex factione Aurelii, & id probare conatur ex hoc loco Can. 107, ubi confector Codicis ait: *geſta hujus Concili non deſcripſi, quia Provinciale, non univerſale geſtum eſt*; ſed evaneſcit iſta objectio ex lectione textus Græci, ubi non eſt, *geſta hujus Concilii non deſcripſi, ſed hic deſcripta non ſunt*: τὰ πεπραγμένα τῆς παρούσης συνόδου διὰ τοῦτο οὐκ ἐγράφη. Itaque fruſtra Zozimus Epiſcoporum Africanorum cauſas ad ſe trahere conatus eſt, idem tamen tentavit in Gallos inſtante Patroclo Arelatenſi ad ſuum vocans judicium Proculum Maſſilienſem, ſed ille adeſſe renuit, & Epiſcopatum invito Zozimo retinuit. Poſt Zozimum Cœleſtinus, & Bonifacius Canonum Sardicenſium uſum in Gallia, & in Africa inducere conati ſunt, ſed fruſtra.

XXXII. Verum nemo ad eos ubique promulgandos plus laboravit, quam ſanctus Leo, in cauſis Hilarii, Lupicini, Eutychetis, & Flaviani, verum is jus ſibi a Synodo Sardicenſi indultum prætergreſſus eſt: primum enim contendit, primam cognitionem cauſæ Metropolitanorum ad ſedem ſuam pertinere. Secundo, appellationes a Synodo Provinciæ, a ſe Romæ judicari poſſe aſſeruit, utrumque contra Sardicenſes Canones; verum nec Gallicani, nec Africani Antiſtites hæc ipſi jura ceſſerunt, ut conſtabit ex Hilarii Arelatenſis, & Lupicini Africani Epiſcopi cauſis, quas poſtea referemus; Orientales vero, apud quos jus appellationum tantum ſibi vindicabat, contrarium in Concilio Chalcedonenſi definierunt: cum igitur ſanctus Leo obſequentes minime haberet Gallicanos Antiſtites, Imperatoris ipſius auctoritatem adhibere conatus eſt, & ab eo reſcriptum obtinuit in hunc modum: *hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Peovinciarum, contra veterem conſuetudinem liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare, ſed illis omnibus pro lege ſit, quidquid ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ita ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit per moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur*. In eo reſcripto tria præſcribuntur Epiſcopis Gallis: primo, ut non violentur antiqui ritus, inconſulto Romano Pontifice: ſecundo, ut illi pro lege habeant, quidquid Romana ſedes decrerit: tertio, ut cogantur Epiſcopi intereſſe Romani Pontificis Concilio, ſi vocati adeſſe neglexerint.

XXXII. Verum lex illa, quæ ad Orientem non pertinet, recepta non fuit in Occidente; imo nec in Gallia, ob quam ſpeciatim condita erat, obſervata fuit: quin & ipſi quoque Romani Pontifices Leonis ſucceſſores conceſſum ſibi per eam privilegium minime vindicarunt, & appellationes tantum cauſarum in Provinciis judicatarum ad ſe traxerunt, ſoloſque Metropolitanos immediate a ſe judicari poſtularunt, reliquorum Epiſcoporum judicium Metropolitanis, & Provinciarum Epiſcopis relinquentes; nihilominus tamen Vigilius, & Pelagius illud præterea ſumpſiſſe videntur, ut quarumlibet appellationum ad Romanam ſedem ante judicium Provinciæ Epiſcoporum, judicia ſibi reſervarentur, nec de iis in Provincia fieret cognitio. Vigilius in Epiſt. ad Eucherium, *omnium appellantium Apoſtolicam Sedem judicia eidem ſanctæ Sedi reſervata eſſe liquet*: Pelagius in Epiſt. prima ad Joannem Conſtantinopolitanum: *Scitote certam Provinciam eſſe, quæ habet decem, vel undecim civitates, & unum Epiſcopum, alioſque decem, vel undecim ſuffra-*

Digitized by Google

fragatores Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac civitatum causæ referantur, & ab his omnibus juste consona voce discernantur, nisi ad majorem auctoritatem fuerit ab his, qui judicandi sunt appellatum; qui duo Pontifices non solum cognitionem causarum in Provincia judicatarum, si ab eis appellatum sit, sibi tribuunt; sed etiam primam cognitionem causarum, in quibus ii, qui sunt judicandi in Provincia ante cognitionem ad judicium Romani Pontificis provocarint.

XXXIV. Gregorius magnus duo sibi vindicavit: 1. Appellationes a judiciis Episcoporum in Provincia, circa quas liberum esse sibi arbitratus est, vel eas Romæ judicare, vel judicandas in Provinciam remittere; 2. Primam cognitionem causarum, quæ Metropolitanos attinebant sibi reservari voluit: *si contra Metropolitanum*, inquit lib. 7. Epist. 8. *aliquid causæ habuerit, ob hoc Sedis Apostolicæ petat judicium, quod per Canones antiquorum Patrum est institutione permissum.* Porro per tempus illud, quod a Leone ad Gregorium effluxit, Sardicenses Canones in auctoritatem admissi sunt, & Episcopis ad Sedem Romanam appellantibus post judicium Provinciæ, concessum, ut illic judicarentur.

XXXV. In Gallia quidem vetus disciplina confirmata est in Concilio Lugdunensi anno 567. *Si quid*, inquiunt hujus Synodi Episcopi *inter fratres, id est Coepiscopos nostros contentionis ortum fuerit, si de una Provincia sunt, Metropolitani cum Comprovincialibus judicio sint contenti, si vero diversæ Provinciæ fuerint Sacerdotes, inter quos aliqua disceptatio oriatur, convenientibus in unum Metropolitis ipsorum, omnis eorum actio illorum judicio terminetur.* Juxta hanc disciplinam Salonium, Sagittariumque deponunt, cumque illi provocassent ad Episcopum Romanum, & ea de re litteras obtinuissent a Rege Guntherano, nullam hujus rationem habuerunt Gallicani Episcopi, nec quemquam ad eos accusandos Romam miserunt; cumque illi a Joanne restituti forent, non obstante illius judicio in Synodo Cabilonensi anno 579. iterum damnati sunt: extant tamen circa idem tempus exempla nonnulla appellationum in Gallia etiam ad Romanam Sedem, quæ consuetudo diu post hanc ætatem capitulis Hadriani primi, & capitulis Caroli magni in Gallia receptis firmata est cap. 23. *Hadriano placuit, si Episcopus accusatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse censuerit:* capitulari 308. lib. 7. *ut judicatus Episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit, appellet ex Concilio Sardicensi tit. 5. quod si appellaverit, in Cathedra ejus alter non ordinetur;* at omnium omnino Clericorum appellationes erant vetitæ, ut constat ex Concilio Francofordiensi Canone sexto: *statutum est*, inquit, *a domino Rege, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis, si non obedierit aliqua persona Episcopo suo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & ceteris Clericis veniant ad Metropolitanum suum, & ille si judicet causam, cum suis suffraganeis dijudicet, & Comites quoque veniant ad judicium Episcoporum, & si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum litteris Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.* Itaque a judicio Synodi Provinciæ nulla relinquitur provocatio ad Pontificem, sed si supersit aliqua controversia, ejus correctio pertinet ad Principem, eadem disciplina confirmatur Can. 26. Concil. Parisiensis anno 829. celebrati.

XXXVI. In Africa Ferrandus Diaconus sub Justiniano collectionem Canonum edidit, cui Canones Sardicenses inseruit, ex quo colligitur, eos tum temporis apud eos in aliquo pretio fuisse, fuerunt tamen Afri suorum privilegiorum, ac pristinæ consuetudinis amantissimi, ita ut a Pontifice petierint, ut testis est Greg. lib. 1. Ep. 75. antiqua sibi privilegia, & jura servari, *petiistis etiam*, inquit Gregorius, *per Hilarium Charthularium nostrum a beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a beati Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit ..... & nos quidem juxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen*

Digitized by Google

tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, ceterisque capitulis. Et in Epist. ad Dominicum Episcopum Carthaginensem: *de privilegiis vero Ecclesiasticis, quod vestra fraternitas scribit, hac postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus*. Hinc nullam eorum causam Romæ judicavit Gregorius, imo nullam illorum appellationem ad Romanos legere est, videturque rerum Africanarum administratio semper fuisse commissa Synodo Provinciæ, aut universali Concilio totius Africæ sine provocatione: idipsum postea docebimus exemplis.

XXXVII. In Hispania quoque vigebat etiam sub Gregorio vetus illa disciplina, ut causæ Episcoporum Synodi Provincialis judicio finirentur, & si divisa fuissent Episcoporum vota, finitimorum Episcoporum judicio res terminaretur. Ista lex habebatur in collectione Martini Bracarensis, qua tum Hispania utebatur Can. 13. Tentavit Gregorius adversus hanc disciplinam Stephanum Episcopum a vicinæ Provinciæ Episcopis depositum ad Sedem Apostolicam appellantem judicare, ratio ejus hæc erat, quod ille nec Metropolitanum, nec Patriarcham haberet, ac proinde judicandus esset a Romana Ecclesia, quæ caput est ceterarum, cum non liceat Episcopum ab Episcopis alieni Concilii judicari, ac posthæc Hispani appellationis ad Sedem Romanam removendæ causa permiserunt, ut causæ in secunda Synodo judicarentur: id habetur ex Canone 28. Concilii Toletani IV. habiti anno 666. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus si a gradu suo injuste dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos accipiat coram altari de manu Episcopi*.

XXXVIII. Post hæc tempora nonnulli jus aliquod novum ab Ecclesia receptum fuisse volunt; sæculo quippe VIII. ad finem labente, vel, ut alii volunt, & ego probabilius æstimo, nono incipiente prodiit in lucem Epistolarum Decretalium farrago, quas veteribus Pontificibus, nescio quis insignis impostor subjecit: in his non modo jus appellationis Romano Episcopo tribuitur, sed a nonnullis earum, Synodis Provinciæ judicium Episcoporum interdicitur, inconsulto Episcopo Romano, & sine Sedis ejus auctoritate (*). Has statim Epistolas summi Pontifices, in quorum gratiam erant confictæ, avide arripuerunt, & ubique promulgare conati sunt; in primis vero. Nicolaus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ in causa Rothadi Suessionensis: *quamvis*, inquit, *etsi Sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen, & tanta vos decretalia efferri statuta, & Episcopum, inconsultis nobis, deponere nullo modo debuistis*; at Gallicani Episcopi Nicolai I. propositionem ferre minime potuerunt, & licet ei non denegarent appellationes, seu potius Episcoporum confugia secundum Sardicenses Canones, ita ut judicium non Romæ, sed in Provincia iteraretur, negarunt tamen omnino controversias sive majores, sive minores, inconsulto Romano Pontifice, a Synodo Provinciæ judicari non posse: *absit enim*, inquiunt, *a nobis, ut privilegium primæ, & summæ*

(*) Pseudo-Isidorianas Decretales in Romanorum Pontificum gratiam fuisse confictas non admodum verisimile videtur. Constat enim 1. earundem Συλλογὴν primum in Germania evulgasse Rodulphum Moguntinum, teste Hincmaro Remensi *Opusc. adversus Hinc. Laud.* & quidem exeunte Sæculo VIII.

2. E Germania in Galliam dein illatam, tanquam genuinum Isidori Hispalensis opus fuisse admissam; & quidem ab ipso Hincmaro Remensi: *Epist. VIII. cap.* 12.

3. Nonnisi serius Romam pervasisse. Etenim Leo IV. qui ab an. 847. ad an. 855. Pontificatum tenuit, ubi ad Episcoporum Britanniæ consulta respondet, recensens Decessorum suorum Epistolas Decretales: quibus Romana tunc temporis in judiciis Ecclesiasticis utebatur Ecclesia, ab Siricio exorditur, nulla Epistolarum Clementis I. aliorumque ante Siricium Romanorum Pontificum facta mentione. *Epist. Leonis IV. apud Sirmondum Conc. Gallic. Tom. III*

4 Primus Nicolaus I. Epistolis illis usus est in causa Rothadi Episcopi Suessionensis; & quidem integro pæne sæculo ab Συλλογὴς promulgatione elapso. Neque id negavit quis unquam, aut negare potuit; atque adeo ipsemet concedit Auctor.

Digitized by Google

Sedis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificis pro ſic parvi pendamus, ut controverſias, & jurgia tam ſuperioris, quam inferioris ordinis, quæ Nicæni, & ſacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii, atque aliorum Romanæ Sedis Pontificum Decreta in Synodis Provincialibus, ac Metropolitanis præcipiunt terminari ad veſtram ſummam auctoritatem ſatigandam ducamus, excipiunt tamen cauſas aliquas difficiliores: *at ſi forte*, inquiunt, *de Epiſcopis cauſa nata fuerit, unde certa, & expreſſa in ſacris Regulis non habeamus judicia, & ob id in Provinciali, vel in Comprovinciali nequeat examine definiri ad divinum Oraculum, id eſt ad Apoſtolicam Sedem nobis inde eſt recurrendum*.

XXXIX. Hadrianus II. Nicolai ſucceſſor earumdem decretalium auctoritatem adducit in cauſa Hincmari Laudunenſis. At Gallicani Epiſcopi illarum nullam rationem habuerunt, & in Duziacenſi Concilio Hincmarum Laudunenſem depoſuerunt, qui cum iſtas decretales ad cauſæ ſuæ defenſionem adduceret, Hincmarus in libro capitul. 55. cap. 43. & alibi receptos Canones iſtis decretalibus præferendos eſſe affirmavit. Poſt hæc cum Hincmarus Laudunenſis provocaſſet ad Romanum Pontificem Hadrianum, is Epiſcopos, qui Laudunenſem Hincmarum damnaverant, Romam vocavit, conqueſtus inſuper, quod in eum judicium tuliſſent; at illi parere renuerunt, & Sardicenſis Concilii Decretis adhæſere.

XL. Nihilominus tamen cum Romani Pontifices, his nihil obſtantibus, Epiſcopos Gallicanos Romam citarent, Carolus Calvus, ſeu potius Hincmarus nomine Caroli Calvi, egregiam ſcripſit Epiſtolam, qua diſciplinam a Nicænis, & Sardicenſibus Canonibus ſancitam defendit, & novam illam fictis illis decretalibus inductam rejicit, & adverſus eam ſolemniter proteſtatur.

XLI. Poſt hæc tempora, ſub tertia Regum noſtrorum dynaſtia, ita molles fuerunt Gallicani Epiſcopi, ut ſæpe ſæpius paſſi ſint Epiſcopos Gallicanos apud Romanos Pontifices primum accuſari, & ab iiſdem Romam vocari, ac ibidem judicari contra Canones antiquos, moreſque in Gallia receptos; Pontifices quoque Romani tunc temporis cauſarum omnium majorum, prima etiam inſtantia Romæ judicandarum privilegium audacter ſibi vindicarunt. Sic Leo IX. in Epiſtola 4. ad Africanos, negat Epiſcopos ſine ſententia Romani Epiſcopi damnari poſſe, vel deponi, quod inquit ex ſanctis Canonibus ſit inſtitutum, *quia omnium Eccleſiarum majores, & difficiliores cauſæ, per ſanctam, & principalem beati Petri Sedem a ſucceſſoribus ejus definiendæ ſunt*. Gregorius VII. in dictatu magna confidentia affirmat, quod Papa ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare. Ac demum Innocentius III. jure divino depoſitiones, ceſſiones, & degradationes Epiſcoporum ſibi competere aſſeruit; quin etiam eo res redierat tempore Concilii Baſileenſis, ut levibus omnino de cauſis partes Romam vocarentur, etiam ante judicium in Provincia latum, utque poſt judicium, vel tempore judicii frivole appellaretur; cui malo remedium afferre conati ſunt Baſileenſis Concilii Patres ſeſſione 31. *Inoleverunt*, inquiunt, *hactenus intolerabilium vexationum abuſus permulti, dum nimium frequenter a remotiſſimis etiam partibus ad Romanam Curiam, & interdum pro parvis rebus, & minutis negotiis, quamplurimi citari, & evocari conſueverunt, atque ita expenſis, & laboribus fatigari, ut nonnunquam commodius arbitrarentur jure ſuo cedere, aut vexationem ſuam gravi damno redimere, quam in tam longinqua regione litium ſubire diſpendia. Sic facile extitit calumnioſis opprimere pauperes, ſic & Beneficia Eccleſiaſtica plerumque minus juſte per litium anfractus obtenta ſunt, dum juſtis poſſeſſoribus eorum, ſeu quibus illa de jure competebant, neque opes, neque facultates ad illos ſumptus ſuſficere poterant, quos longinqua profectio ad Romanam Curiam, & litis agitatio in eadem depoſcebant. Confunditur etiam inde ordo Eccleſiaſticus, dum ordinariis judicibus ſua juriſdictio minime ſervatur, quæ attendens ſancta Synodus . . . . ſtatuit, & decrevit, ut in partibus ultra quatuor diætas a Romana Curia diſtantibus, omnes quæcumque cauſæ, majoribus exceptis in ju-*

re

Digitized by Google

re expreſſe enumeratis, & electionum Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum, quas immediata ſubjectio ad Sedem Apoſtolicam devolvit, apud illos judices in partibus, qui de jure, aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio cognitionem habent, terminentur, vel finiantur; & ne ſub umbra appellationum, quæ nimium leviter, & nonnunquam frivole hactenus interponi viſæ ſunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari, materia ſavendis injuſtis vexationibus relinquatur. Statuit eadem ſancta Synodus, quod ſi quis offenſus coram ſuo judice habere non poſſit juſtitiæ complementum, ad immediatum Superiorem per appellationem recurſum habeat, nec ad quemcumque, etiam ad Papam, omiſſo medio, nec a gravamine in quacumque inſtantia ante definitivam ſententiam quomodolibet appelletur, niſi forſan tale gravamen extiterit, quod in definitiva ſententia reparari nequiret, quo caſu non alias ad immediatum Superiorem licet appellare; ſi vero quiſpiam a Sedis Apoſtolicæ immediate ſubjectio, ad ipſam Sedem duxerit appellandum, cauſa per reſcriptum uſque ad finem litis incluſive in partibus committatur, niſi forte propter defectum juſtitiæ, aut juſtum metum, etiam in partibus convicinis, de quibus in commiſſione exprimendis legitimo prius documento alias quam per juramentum legitime conſtiterit, apud ipſam Sedem foret ipſa retinenda. Hujus ſanctionis hic videtur eſſe legitimus ſenſus: ſtatuit Synodus, ne quiſquam amplius Romam vocetur, aut ad Romanum Pontificem ante judicium Ordinarii provocet, ſed ut omnes cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſis, & electionum Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum, primo in Provincia judicentur, deinde ut nulla fiat appellatio a gravamine, ſed tantum poſt judicium terminatum, aut ne res ſtatim devolvatur ad Romanum Pontificem, omiſſo medio, hoc eſt, Metropolitano, vel Primate. Denique, ut ſi quis ab immediate ſubjecto ſedi Apoſtolicæ ad eam appellet, ut cauſa Romæ non judicetur, ſed in partibus committatur Epiſcopis ſcilicet vicinis, niſi illic de juſtitia obtinenda deſperetur, etiam in regionibus vicinis, & ne hujus exceptionis obtentu retinerentur Romæ cauſæ permultæ; addit Synodus id non ex ſolo juramento, ſed publico, & authentico documento probari debere.

XLII. Porro in iſta lege fit tantummodo mentio minorum cauſarum, & de majoribus nihil expreſſe ſancitur, quod lubens agnoſco cum eruditiſſimo Facultatis Pariſienſis Doctore. Cogor hic tamen paulum ab ejus expoſitione diſſentire; hæc enim verba: *exceptis cauſis majoribus in jure expreſſe denominatis*, ſic ille interpretatur, ut velit iis tantum ſignificari majores cauſas, quibus procul dubio Epiſcoporum depoſitiones comprehenduntur eſſe referendas ad Apoſtolicam Sedem poſt primum judicium; ego vero arbitror mentem Baſileenſium Patrum fuiſſe, ut illæ ſtatim ad Romanum Epiſcopum referrentur, qui judices in Provincia daret ad eas judicandas. Ad id probandum, utor ipſo illius Auctoris ratiocinio: *clauſula iſta*, exceptis cauſis &c. *continet exceptionem generalis ejus legis, quæ Decreto ſtabilitur, vel nihil omnino clauſula ſignificat, vel certe idipſum de cauſis majoribus negat, quo aliis de cauſis generali lege aſſeritur, quid vero lex generalis aſſerit, quid ſtatuit reliquis de cauſis, ſcilicet quod omnes, & ſingulæ cauſæ apud illos judices in partibus, qui de jure, aut conſuetudine præſcripta, privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & finiri debeant.* Porro per voces iſtas *terminari, & finiri*, non intelligit Concilium, ita cauſas iſtas eſſe terminandas, ut nullus ſit appellationis locus; conſtat enim ex ſequentibus, Concilium concedere locum appellationibus ad Romanam Sedem in iſtis cauſis minoribus, modo fiat poſt judicium latum. Senſus ergo eſt, ut *omnes & ſingulæ minores judicentur in partibus apud illos judices, qui de jure, aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, illæſo jure appellationis.* Itaque negat clauſula cauſas majores ita judicari debere, ſed tantum a judicibus delegatis in partibus a ſummo Pontifice. Duo quippe continet Baſileenſis de cauſis ſanctio; alterum, ut nullum judicium, niſi in partibus tractetur; alterum, ne cauſæ minores in

Digitized by Google

prima, ut loquuntur, inſtantia deferantur ad Romanum Pontificem: at ſupponit eadem ſanctio, cauſas majores recta ad Romanum Antiſtitem deferri, qui judices in partibus nominet. Supereſt, ut inquiramus, quid cauſarum majorum in jure expreſſarum nomine intellexerint Baſileenſes; ſed hac de re vix ulla poteſt eſſe difficultas: namque certum eſt hoc tempore depoſitiones Epiſcoporum inter cauſas majores eſſe numeratas, hinc in Concilio junguntur cum cauſis electionum Cathedralium, & Monaſteriorum, *quas*, inquit, *Concilium immediata ſubjectio ad Sedem Apoſtolicam devolvit*. Reſpondet Doctor ille Pariſienſis hanc clauſulam tantum afficere cauſas electionum Cathedralium, & Monaſteriorum, non cauſas majores, quæ ideo tantum excipiuntur, quod per appellationem, vel relationem ad Sedem Apoſtolicam devolvi poſſint. Verum, uti obſervavimus, idcirco tantum excipi non poſſunt cauſæ majores a forma in minoribus cauſis obſervata, cum ipſæ cauſæ minores ad Sedem Apoſtolicam devolverentur ex ejuſdem legis præſcripto. Et certe non eſt potior ratio, cur cauſæ electionum Cathedralium Eccleſiarum immediate devolvantur ad Sedem Apoſtolicam, quam cauſæ, quæ ſpectant depoſitiones Epiſcoporum. Cum igitur Baſileenſis Concilii ſanctio illas immediate deferat ad Pontificem, has etiam illuc deferri ſupponit. Verum vetat eadem lex, ne cauſæ iſtæ judicentur Romæ, ſed vult ad eas judicandas in partibus Epiſcopos nominari, niſi propter defectum juſtitiæ, aut metum; etiam in locis convicinis eadem lex eodem prorſus modo promulgata eſt in Pragmatica Sanctione, ac demum in Concordatis, ubi finis ejuſdem legis ita ſe habet: *ſi quis vero immediate ſubjectus Sedi Apoſtolicæ ad eandem Sedem duxerit appellandum, cauſa remittatur in partibus per reſcriptum uſque ad finem litis, videlicet uſque ad tertiam ſententiam conformem incluſive, ſi ab illis appellari contigerit, niſi propter defectum denegatæ juſtitiæ, aut juſtum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum cauſarum expreſſione, quæ etiam de illis legitime, alias quam per juramentum coram judicibus a Sede Apoſtolica deputatis conſtare debeat.* Tria habentur in Concordatis, quæ non ſunt in Decreto Baſileenſi. Primum immediate ſubjectis Romanæ Sedi triplex conceditur judicium in partibus, ſi appellarint, quorum unumquodque eſt per judices delegatos a Pontifice. Secundo, non permittitur Pontifici retinere ullam cauſam, ſed jubetur in caſu defectus juſtitiæ, aut metus, jus convicinis Epiſcopis tribuere. Tertio, Pragmatica jubet, ut judices delegati in convicinis locis prius inquirant, num defectus juſtitiæ, aut metus legitimus ſit, ſi judicium iteretur in partibus. Porro verbis hiſce, *qui immediate ſubjectus*, Epiſcopos comprehendi nullus dubito, licet contrarium aſſerat Pariſienſis Doctor a nobis laudatus, qui ut ſententiam ſuam probet, ait vetari per eamdem legem, ne quis omiſſo medio ad Sedem Apoſtolicam provocet; unde concludit eos, qui hic dicuntur immediate ſubjecti Sedi Apoſtolicæ, non eſſe quoſvis Epiſcopos, ſed vel eos qui exempti dicuntur, vel Primates, & Metropolitanos nonnullos. Verum iſta ratio non convincit; nam cum hic vetatur, ne omiſſo medio provocetur ad Romanum Pontificem, agitur de cauſis minoribus, non de majoribus, quæ recta ad Pontificem deferuntur.

XLIII. Ut igitur dicam id quod ſentio, non exiſtimo per Baſileenſem Synodum, & per concordata reſtitutam fuiſſe penitus primam illam Epiſcoporum judicandorum formam. Verum non propterea ſanctionem Baſileenſis Concilii improbo; fecit enim id, quod tunc temporis illi licebat, ne ſcilicet judicia Epiſcoporum extra Provinciam excurrerent, & ad tribunal Curiæ Romanæ deferrentur; ſed ut in Provincia, aut ſaltem in finitimis locis judicarentur, atque ita Pontifici Romano, & ejus Curiæ umbram tantum poteſtatis contulit, revera autem Epiſcopis Provinciæ, & finitimis omnem omnino judicandi poteſtatem commiſit.

XLIV. At non ita ſe geſſit Concilium Tridentinum; nam illud omnem prorſus judicandorum Epiſcoporum poteſtatem Epiſcopis aliis ademit, & ſoli Pontifici Romano reſervavit, ſeſſione vigeſima quarta de refor.

Digitized by Google

refor. cap. 5. cujus hæc ſunt verba : *cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra Romanam Curiam ſit committenda, nec uni prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a beatiſſimo Papa eligendis: hæc vero commiſſio, & ſpecialis ſit, & manu ipſius ſanctiſſimis Pontificis ſignata, nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſummam, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva.* Hoc unum, imo & præcipuum videtur ex his capitibus diſciplinæ in Tridentino ſancitæ, quod a Gallicana Eccleſia improbatum fuit. Oratores certe Regis Chriſtianiſſimi illud aperte rejecerunt : *caput*, inquiunt, *quod incipit*, cauſæ criminales, *non placet, adverſatur enim antiquiſſimo juri regio, & Eccleſiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra Regnum, a quoquam ex quacunque cauſa in jus vocari, nedum condemnari poſſit.* Cardinalis item a Lotharingia licet mollius, & obſcurius interceſſit, dicens, illud *ſibi tantum placere, habita ratione temporum, quod ita ſit conceptum, ut Chriſtianiſſimi Franciæ Regni privilegiis, juribus, & ſacris conſtitutionibus nihil præjudicii afferat.* Cumque accuſaretur a proceribus Senatus Pariſienſis, quod multa Decretis reformationis inſeri paſſus eſſet, Eccleſiæ Gallicanæ juribus contraria. *Hoc uno ſolo verbo* cauſam ſuam defendit, inquit Polanus in congregatione diei 10. Novemb. *cum legerentur Decreta publicanda in ſeſſione undecima, reſervata fuiſſe jura, & auctoritatem Regis Galliæ, & privilegia Eccleſiæ Gallicanæ.* Quod quidem Lotharingii factum ego probare minime poſſum, nam ſpecie tenus illæſa eſſe volebat jura Eccleſiæ, & Regni, revera autem conſentiebat iis, quæ illa penitus evertebant. Verumtamen Concilii Tridentini Decreta diſciplinam ſpectantia in Gallia minime recepta ſunt; & tantum abeſt, ut in hac re vim habuerint, quin e contra Galli antiquam diſciplinam reſtaurare conati ſunt. Sic haud multo poſt anno 1569. Senatus Pariſienſis Cardinalem Caſtellonium Epiſcopum Bellovacenſem læſæ-Majeſtatis, & hæreſeos accuſatum, judicio Rhemenſis Epiſcopi Metropolitani ejus, & Epiſcoporum Provinciæ commiſit, vetans, ne extra Regnum ulla ratione poſſet præfatus Cardinalis extrahi ; cavens inſuper, ut hujus Senatuſconſulti peculiaris eſſet codex, quo innoteſceret omnibus mentem fuiſſe Senatus *ſervare libertatem Eccleſiæ Gallicanæ, ſalva in omnibus reverentia debita Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ.*

XLV. Haud leve tamen vulnus inflictum fuit libertati Eccleſiæ temporibus Richelii Cardinalis, cum is breve quoddam Apoſtolicum obtinuit ab Urbano VIII., a quo quatuor Epiſcopi Gallicani ſunt delegati, quorum opera Epiſcopos quoſdam ex Aquitania, & Aremorica Majeſtatis reos dejici procuravit, idque ad tempus tulit Clerus Gallicanus ; verum annis circiter poſtea octodecim, in Cleri Gallicani Conventu anni 1650. advertentes Gallicani Epiſcopi, rem in exemplum trahi poſſe, niſi obſtarent, apud Nuntium Summi Pontificis inſtrumento publico, adverſus litteras Urbani, & ea, quæ inde ſecuta erant, proteſtati ſunt. *Integro ſemper*, inquiunt, *& minime interpolato Eccleſiæ uſu permanente, ut graviores Epiſcoporum cauſæ, quæ merito inter majores poſitæ ſunt, nonniſi ab Epiſcopis Provinciarum pro more congregatis, vocatis etiam, ſicubi opus fuerit, ad numerum Canonicum adimplendum vicinioribus juxta Sardicenſis œcumenicæ Synodi, atque aliorum ſeu Conciliorum, ſeu Pontificum Canones, & Decreta tractentur, examinentur, judicentur, ſalva ſemper ad Romanam Sedem appellandi facultate.* Scripſerunt in eandem ſententiam ad Innocentium X., rogantes ut inflicto ſibi vulneri remedium adhiberet, caveretque, ne quid deinceps ſimile tentaretur. Ad omnes quotque Galliæ Antiſtites encyclicam miſerunt Epiſtolam, eos de rebus a ſe modo geſtis certiores facientes, ac inſuper hortantes, ne ejuſmodi Pontificum Brevia, & quæ emitterentur, reciperent. Hæc omnia monumenta ſtudioſe recollecta, & elegantibus

bus obſervationibus illuſtrata, legere eſt apud Gerbaſium.

XLVI. Eadem diſciplina videtur attentata in Janſenii cauſa, & quidem bis, primum cum Epiſcopi Gallicani, nullo lato de quinque propoſitionibus judicio, a Sede Apoſtolica judicium popoſcerunt, hæc præfati: *majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat: æquiſſimæ huic legi obſequentes, de graviſſimo circa religionem negotio Sanctitati ſuæ ſcribendum eſſe cenſuimus.* Verum ipſi Antiſtites factum hoc ſuum poſthæc anno 1660. excuſant, eo quod tunc temporis Synodus, aut Conventus generalis Cleri Gallicani haberi non potuiſſet, & idcirco neceſſe fuiſſet ad ejuſmodi remedium recurrere. Deinde vero iterum a Romanis attentata eſt libertas Epiſcoporum in cauſa quatuor Epiſcoporum, qui accuſabantur, ut minus obſequentes conſtitutioni Innocentii X. & Alexandri VII. circa quinque propoſitiones emiſſis. Tunc enim Rex Chriſtianiſſimus petiit a Pontifice Alexandro VII. ut duodecim Epiſcopos in Gallia nominaret, qui de quatuor Epiſcopis, omni appellatione remota, judicarent. Reſponſum eſt a Romanis, mentem Pontifici fuiſſe, ut unum nominaret, velut executorem tantum judicii Romæ lati, in gratiam tamen Regis Chriſtianiſſimi tres ab eo nominandos, ſed qui ut meri executores agerent. Hanc reſponſionem indigne tulit Rex Chriſtianiſſimus, cui deinceps Pontifex in ſpeciem voluit ſatisfacere, novem Epiſcopis delegatis, qui denuntiarent quatuor Epiſcopis, ut infra duos menſes formulam in Janſenium ſine addito ſubſcribendam proponerent, aut ſcirent ſe Eccleſiarum ſuarum ingreſſu interdicendos, & Epiſcopali auctoritate privandos. His inſuper addidit, nullam adverſus iſtos recuſationem licitam fore; permiſitque ei, qui inter Commiſſarios antiquos eſſet, ut in eorum locum, qui nollent iſtud iudicium ſuſcipere, alios ſubrogaret. Adverſus iſtud conſilium, quo tam manifeſte Epiſcoporum jura, & libertas Eccleſiæ violabantur, non modo reclamarunt quatuor Epiſcopi, qui encyclicam ea de re Epiſtolam ad alios Epiſcopos miſerunt; ſed & multi alii communem cauſam hanc eſſe cernentes, Alexandri VII. factum indigne tulerunt, & ad ſucceſſorem Clementem IX. litteras miſere, in quibus de forma judicii hæc habent: *abſit*, inquiunt, *ut eis fides adhibeatur, qui minus caute diſſeminant Sanctitatem veſtram novo, & inuſitato modo in eos acturam. Remota eſt hæc ſuſpicio ab Epiſcopis Gallicanis, quibus ſolemne eſt non niſi canonice judicari, & a Summis Pontificibus ſemper benignius excipi.* Iidem deinde in Epiſtola ad Regem Chriſtianiſſimum diſertius mentem ſuam aperiunt, & proteſtantur Epiſcopos in prima inſtantia non poſſe ab aliis judicari, quam a duodecim Epiſcopis non electis, ſed e propriis Provinciis aſſumptis Præſide Metropolitano, qui numerus Epiſcoporum ſi non reperiatur in Provincia Epiſcopi, cujus agitur cauſa, advocandos eſſe vicinos. His expoſtulationibus Rex motus egit cum Clemente IX. ut judicio omiſſo ad Epiſcopos accuſatos, a quibus litteras innocentiæ ſuæ teſtes acceperat, amice ſcriberet.

XLVII. Nec vero Epiſcoporum tantum, de quorum cauſa hic agitur, hæc eſt ſententia, ſed & Doctorum Pariſienſium, qui ſolemniter hanc eſſe ſuam mentem declararunt, in articulis Pariſienſis Facultatis oblatis Regi, & Senatui Pariſienſi anno 1663. & utriuſque auctoritate confirmatis: ſic igitur ſe habet art. 6. *Doctrinam Facultatis eſſe non probare, nec unquam probaſſe propoſitiones ullas Regis Chriſtianiſſimi, auctoritati, & germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias. Verbi gratia: quod Summus Pontifex poſſit deponere Epiſcopos adverſus eoſdem Canones*, id eſt, adverſus formam Canonibus præſcriptam, ubi veluti certiſſimum ac præcipuum libertatum Gallicanarum caput proponitur depoſitiones Epiſcoporum, non ex novo jure Pontificio, ſed ex antiquis Eccleſiæ Canonibus eſſe celebrandas, hoc eſt, a Metropolitano, & Synodo Provinciæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

In quo ex factis colligitur, quæ fuerit forma judiciorum Ecclesiasticorum.

§. I.

Referuntur, & examinantur judicia, quæ Synodum Nicænam præcesserunt.

QUæ debuerit esse secundum Canones forma judiciorum Ecclesiasticorum capite superiori diximus, nunc vero inquiramus, quænam fuerit observata, & utrum usus, & consuetudo cum legibus ipsis consentiant. Primum autem de illo tempore agendum, quod Canones ipsos, ac leges Ecclesiasticas, hoc est Concilium Nicænum præcessit, examinandumque, quænam tum temporis consuetudo viguerit. Contendunt Bellarminus, Baronius, Davidius, Lupus, & alii, tum temporis majores Episcoporum causas ad Pontificem Romanum fuisse saltem per appellationem delatas; nos vero exemplis mox in medium proferendis docebimus causas omnes tum temporis in partibus fuisse terminatas, nec ullam damnatis provocationem ad Romanum Pontificem fuisse concessam; ita ut si quem in crimen prolabi contingeret eum fuisse compulsum causam apud Episcopum suum agere, aut si Episcopus esset apud Synodum Provinciæ, cui præerat Metropolitanus Episcopus, aut saltem si gravior esset causa, tum apud Episcopos Provinciæ, tum apud finitimos, a quibus provocari minime poterat: quod ut probemus, singula exempla judiciorum Ecclesiasticorum tum temporis habitorum percurrenda sunt.

De Marcione.

PRimum, & antiquissimum judicium, cujus extat memoria, latum est adversus Marcionem: is damnatus a patre suo, Romam post Hygini Papæ mortem confugit. Hinc Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifice appellationum usum tunc obtinuisse sibi fingit. Verum aberrat toto cælo, nec enim Marcion petiit causam suam Romæ retractari, aut de integro judicari, sed tantum deprecatus est, se in communionem recipi. Quid vero tum fecit Ecclesia Romana, an arrogavit sibi jus rescindendi judicii, aut causæ retractandæ? Nihil minus; hoc enim a senioribus, qui tum Romæ erant, Epiphanio teste, cui hujus rei memoriam debemus, responsum tulit Marcion: *Nos injussu venerandi Patris tui facere illud non possumus, una siquidem fides est, & animorum una consensio. Neque contra spectatissimum Collegam Patrem tuum quidquam moliri possumus.* Ergo Presbyteri illi Romani edocti erant ab Apostolis, & eorum successoribus, non posse Romanum Clerum, aut Episcopum, hominem ab alio Episcopo communione privatum, sine hujus Episcopi jussu, vel assensu communioni restituere. Quod si credidissent appellationis, aut revisionis jus sibi jure divino competere, sine Episcopi assensu confugientem ad se Marcionem judicare potuissent, aut saltem causam ejus retractandam decernere. Nec dicas, Marcionem communioni restitutum a Romanis, ut testis est Tertull. lib. de præscript. cap. 30. *Postmodum*, inquit, *idem Marcion pœnitentiam confessus cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est.* Qui enim id dicunt advertere non videntur, Marcionem a patre non esse excommunicatum ob hæresim; sed quod virginem corrupisset; & tunc tantum ad Cerdonem defeciisse, cum viderit sibi communionis spem esse præclusam. Porro conditio, de qua loquitur Tertullianus, diu post id tempus ei oblata est Eleutheri temporibus, pro bono pacis, & ad multorum salutem. Videtur autem ante istud tempus restitutus fuisse communioni parente suo scilicet assentiente; alioquin enim non fuisset receptus, nec recipi debuisset, ut constat ex seniorum istorum responso. Quod autem dixi eum inter Hygini, & Eleutheri Pontificatum receptum fuisse in communionem a Romanis consentiente patre ex Tertulliano colligitur, qui dicit eum *sub Eleuthero cum ducentis H-S. suis, quæ Ecclesiæ intulerat.*

Digitized by Google

novissime in perpetuum dissidium relegatum.

De causa Asianorum circa diem Paschæ.

ANtiquissima, quorum memoria extat, Concilia Provinciarum ea sunt, in quibus actum de celebratione Paschæ. Cum enim varia esset inter Ecclesias disciplina circa celebrationem Paschæ, per Provincias celebrata sunt Concilia sine jussu, & assensu Romani Pontificis & in iis uniuscujusque Provinciæ Episcopi disciplinam, quæ sibi magis arridebat, sanciverunt.

II. Cum autem Victor Romanus Episcopus in Asianos commotus eos a communione sua removisset, non modo Asiani Episcopi hanc ejus excommunicationem irritam esse duxerunt, sed & alii multi Episcopi, ac præsertim Irenæus, & Galli, qui eamdem cum Romana Ecclesia disciplinam sequebantur, ejus factum acriter reprehenderunt, *Victoremque*, inquit Eusebius, *monuerunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci, & unitati, caritatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum*, inquit idem, *eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perstringunt*: quod si tum temporis in more positum fuisset nihil gravius ad disciplinam pertinens sine Romani Pontificis auctoritate decernere, si Victori licitum fuisset judicia in Asia lata retractare, si Asiani debuissent parere judiciis a Romano Episcopo latis, immerito Episcopi Catholici *Victorem acerbe* perstrinxissent, cum potius Asiani fuissent reprehendendi, qui quidem contra ejus jura, & privilegia, nec non contra consuetudinem Apostolicam, ut adversarii volunt, tam audacter peccassent. Porro excommunicatio a Victore lata non probat eum ullam in Asianos jurisdictionem habuisse, cum omnes pariter Episcopi ex veteri consuetudine possint se ab aliorum communione secernere, cum fidei aut disciplinæ Ecclesiasticæ meritum id postulat. Adde, quod ceteri Episcopi cum Asianis communicare non cessarunt.

De Fortunato, & Felicissimo.

NUlla orbis pars est, quæ veteris disciplinæ a nobis antea expositæ plura subministret exempla quam Africa. Hæc habemus in Epistolis Cypriani. Primum est Fortunati, & Felicissimi, de quibus scripta est Epistola 55. qua constat Fortunatum, & Felicissimum excommunicatos fuisse tum propter alia crimina, tum præcipue quod Christianos, qui persecutionis tempore idolis sacrificaverant sine pœnitentia in pristinum statum restituendos esse contenderent. Constat deinde Fortunatum Privato cuidam se adjunxisse, a quo cum aliis quatuor Felice scilicet, Jovino, Maximo, & Repostо ipse creatus est Episcopus: *hi quinque*, inquit Cyprianus, *cum paucis sacrificatis, vel male sibi conscii, Fortunatum sibi Pseudoepiscopum coaptarunt*. De Felicissimo quidem non constat, an Episcopus fuerit; certum tamen est ipsum communionem cum aliis quinque Episcopis habuisse, imo illum propterea contendisse, non potuisse sibi communione interdici jactando insuper viginti quinque Episcopos a suis partibus stare, quod refert, ac refellit ibidem sanctus Cyprianus: porro Cornelius Romanus Episcopus, nec de causa illorum Romæ judicavit, nec ejus retractationem decrevit; imo nequidem illos, utpote damnatos ab Episcopis suis audire voluit. De illorum autem confugio sic judicat Cyprianus in præfata Epistola ad Cornelium: *navigare audent*, inquit, *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas, Sacerdotalis exorta est a schismaticis, & profanis litteras ferre. Quæ autem causa veniendi, & Pseudoepiscoporum contra Episcopos factum nunciandi: aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseverant; aut si displicet, & recedunt, sciant, quo revertantur: nam cum statutum sit, omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum; & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi si paucis desperatis, & perditis, minor videtur*

tur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam, judicii nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est. Nec censuræ congruit Sacerdotum mobilis, atque inconstantis animi levitate reprehendi.

II. Hic omnia ponderanda sunt: enimvero si jure statutum, vel in more positum fuisset, ad Sedem Romanam per appellationem, aut ad revisionem causæ obtinendam confugere, confugium Felicissimi, & sociorum ejus temerarium non pronunciaret Cyprianus: *navigare audent ad Petri Cathedram*. Nec diceret secundum statutum Africani Concilii, *uniuscujusque causam illic audiendam, ubi crimen est admissum; non debere* subditos Diœceseos Africanæ, *circumcursare*, sed agere in Africa *causam suam*, quia *ibi & accusatores haberi, & testes possint*: non diceret standum esse sententiæ adversus illos profanos prolatæ, ne sententia Sacerdotum mobilis, atque inconstantis animi levitate reprehendatur.

III. Ex quibus colligere est, quantum aberraverit recens scriptor, dum contendit, hæc Cypriani scripta nihil ad Episcoporum causas attinere. Enimvero Decretum de quo loquitur Cyprianus universalissimum erat, ut patet ex illo verbo *uniuscujusque*, quod tam ad Episcopos, quam ad Presbyteros spectat: addit quoque hujus Decreti causam, quæ generalis est, *necesse est, ut ibi negotia tractentur, ubi scelerum testes, atque reorum accusatores esse possunt*. Nec opponas illa verba: *oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere*. Nam per eos, quibus præsumus, intelligi possunt singuli Provinciæ Episcopi, judicio Episcoporum in Concilio Provinciali congregatorum obnoxii. Nec iterum dicas, solum Felicissimum, qui Presbyter erat, Romam iviſſe, non vero Fortunatum. Etsi enim in Epistola Cypriani non habeatur, Fortunatum Romam navigasse, hinc tamen non potest concludi, nullos ex iis desperatis Episcopis Romam una cum Felicissimo confugisse; quidni enim ex illorum numero, quorum caterva stipatus erat Felicissimus, nonnulli fuerint ex his naufragis, a quibus ordinatus fuerat Fortunatus.

IV. Ad hæc, etsi demus Fortunatum Romam non iviſſe, non tamen sequitur eum ad Cornelium non confugisse, id enim egit per litteras a legatis suis delatas, de quibus Cyprianus hic loquitur: *de istis vero quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo navigaverunt, legati a Fortunato Pseudoepiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes, quam est & ipse, cujus litteras ferunt, falsus, quam est ejus peccatorum multiplex conscientia, quam execrabilis vita, quam turpis est.* Igitur Fortunati Episcopi, non secus ac Presbyterorum confugium rejecit Cornelius, & temerarium pronuntiavit Cyprianus; quamobrem huc respicientes Patres Africani Concilii in Epistola ad Cælestinum, de qua supra, sic loquuntur tom. 2. Conc. col. 1575. *Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissime commiserunt; prudentissime enim justissimeque viderunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, unicuique Provinciæ gratiam Spiritus sancti non defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur.*

De Marciano Arelatensi.

IDem Cyprianus Epist. 67. ad Stephanum Romanæ urbis Episcopum didicisse se testatur, Marcianum Novatiano sese conjunxisse, ideoque Stephanum rogat, ut ad Arelatenses scribat in hunc modum: *dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur*: quo loco supremam Romani Pontificis in Episcopis abdicandis etiam primæ cognitionis judicio potestatem probari posse censent Baronius, Bellarminus, & Davidius. At si res propius examinetur, constabit isto exemplo minime lædi anti-

quam illam disciplinam a nobis superius expositam.

II. Primum enim non est omnino certum, Marcianum ab Episcopis Gallis judicatum non fuisse: sic enim de eo loquitur Cyprianus: *nec sic agat*, inquit, *scilicet Marcianus, quasi ipse judicaverit de Collegio Episcoporum, quando sit ab universis sacerdotibus judicatus*. Quamvis enim ibi Gallorum nulla fiat mentio, cum tamen ab omnibus Episcopis judicatus dicatur, cur ab hoc judicio Galli excludantur non video? Quod si Galli Marcianum jam judicaverant, falsum est id, quod asserit Davidius, Cyprianum Stephano primam hujus causæ cognitionem adjudicasse.

III. Verum dato quod a nemine abstentus fuisset, hinc tamen non sequitur, Cyprianum agnovisse Stephanum primam hujus causæ cognitionem ad se trahere posse. Enimvero manifeste declarat, non fuisse necesse, Marcianum a quoquam damnari, aut ullam Synodum in ipsum congregari. Quid enim egisset Synodus adversus ipsum congregata? An in Novatianum dogma jam proscriptum in Concilio plurimorum Episcoporum, ut ait Cyprianus, sententiam protulisset? *Verum servandus erat honor antecessorum Lucii, & Cornelii, qui pleni Spiritu Dei, dandam esse pacem censuerant, quam rem*, inquit Cyprianus, *omnes omnino ubique censuimus*. An Synodus Marcianum in numero Schismaticorum esse convinceret? Verum palam se fatebatur, cum eodem Cypriano teste, *Collegio Episcoporum* insultaret; cum jampridem jactaret, & *prædiceret, quod Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, a communione* se Ecclesiastica segregasset: cum Episcopis illuderet, & de majestate, ac dignitate Ecclesiæ judicaret? An demum Synodus Marcianum deposuisset? verum jam depositionem ipse suam pronuntiarat: a communione se Ecclesiæ *segregans, a Catholicæ Ecclesiæ unitate, a corporis nostri*, ait idem Cyprianus, *& Sacerdotii consensione disjungens, tenensque hæretica præsumptionis clarissimam pravitatem*.

IV. Igitur Cyprianus non rogat Stephanum, ut judicet Marcianum, sed declarat ipsum ad Novatianos defeciisse, quemadmodum Faustinus Episcopus jam ad eum scripserat, eumque rogat, ut ad plebem Arelatensem impietate Marciani commotam, sed tamen societatem cum ipso adhuc servantem, litteras scribat, ut rupta omnino cum Marciano societate, alius in ejus locum eligatur Episcopus; atque hic est horum Cypriani verborum genuinus sensus: *dirigantur in Provinciam*, &c. hoc est, ad Episcopos, & plebem litteræ mittantur, ut abstentum Marcianum dejiciant, & alium in ejus locum ordinent. Et sane Faustinum Lugdunensem Episcopum non ideo ad Romanum Episcopum de Marciano scripsisse, quod existimaret ad Stephanum Papam confugiendum esse pro Episcoporum depositione, ut existimat Davidius, hinc constat, quod ad Cyprianum quoque scripserit: sicut ergo ex eo, quod Galli auxilium Cypriani imploravere, non licet concludere Marciani causam ad Cypriani Tribunal delatam fuisse; ita ex eo, quod ad Stephanum scripserint, non sequitur delatam esse Marciani causam ad Stephani Tribunal, ut ab eo tanquam a supremo causarum Episcopalium arbitro judicaretur. Præterea sanctum Cyprianum non existimasse solius esse Romani Pontificis sententiam dicere in causa Marciani, argumento est, quod nominatim testatur id ad omnes Episcopos pertinere: *cui*, inquit, *rei nostrum est subvenire, & consulere, frater charissime, qui divinam clementiam rogitantes, & gubernanda Ecclesiæ librum tenentes, sic censuram rigoris peccatoribus exibeamus, ut tamen lapsis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis, & misericordiæ divinam medicinam non denegemus*.

V. Itaque Cyprianus hortatur Cornelium ad Marcianum expellendum, non ob singularem Ecclesiæ Romanæ prærogativam, sed ob eam, quæ omnibus quidem Episcopis, præcipue tamen Romano ob Primatum, incumbit sollicitudinem. Quia cum unus sit omnium Episcopatus in plures concordi numerositate diffusus: unusquisque Ecclesiis sibi vicinis laborantibus debet succurrere; & si contingat earum Episcopos a fide desciscere, cunctos oportet curam gregis, qui ipsis communis fuerat, suscipere: etsi,

etsi, inquit ibidem Cyprianus, *multi Pastores sumus, unum tamen gregem pascimus*.

VI. Hoc Marciani exemplum adducit Christianus Lupus, & eas Quenellii circa illud observationes reprehendit cap. 3. ac pro more suo totidem errores esse dicit. Verum ipse ubique ferme labitur. Dixerat Quenellius, Gallicanos Episcopos idcirco aliorum auxilium imploraſſe, quia nihil audebant adversus hominem potentem, cum nec id temporum ratio sineret, cumque plebs Arelatensis Episcopum tueretur ac defenderet. Ad primum regerit Christianus Lupus, Episcopos Gallos adeo fuisse generosos, ut suis clamoribus Galliam permoverint, & Marcianum apud vicinum Metropolitam detulerint, atque non id negat Quenellius, verum illud dicit, non ausos esse eos illum Ecclesia ejicere; & alium in ejus locum ordinare. Ad secundum ait, temporum rationem tulisse, ut de ista causa referrent ad Sedem Apostolicam; ergo etiam, inquit, ut judicarent. Respondeo id non sequi, quia ut judicarent, Episcopos in unum convenire oportebat, quod erat difficilius isto tempore: *at*, inquit Lupus, *quin relationes istæ fuerint Synodales, non est dubitandum*. Imo verisimile est eas ejusmodi non fuisse. Nam Cyprianus significat litteras a Faustino, & a reliquis Episcopis seorsim emissas: *significans*, inquit, *ea, quæ nobis utique nuntiata jam ab eo, quam a ceteris Coepiscopis nostris in eadem Provincia constitutis*. Mitto, quod idem Lupus negat plebem Arelatensem adhæsisse Marciano, namque etsi lubens illi concedam, nonnullos e plebe Marciani severitatem non tulisse, quod unum ostendunt Cypriani verba; dubitari tamen nequit, quin eum pro Episcopo omnes haberent, ac plerique ex iis illi adhærerent, alioqui nihil opus fuisset ad eum expellendum externorum auxilium implorare.

VII. Quartum, ut ipse putat, in Quenellio errorem reprehendit Lupus, quod dixerit eos ab exteriorum Provinciarum Episcopis, præcipueque a Romano, & Carthaginensi opem imploraviſse, atqui immerito id errorem vocat, quod diserte Cyprianus asserit. Ait enim Faustinum bis ad se scripsisse; semel quidem, cum primum scripserat ad Cornelium; atque iterum paulo antequam Cyprianus hanc Epistolam scriberet, Quomodo autem ad Stephanum, Cyprianum, & alios pertinuerit ista causa, explicat Cyprianus: *His verbis sufficiat*, inquit, *multos illic e fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace, vel ceteris subveniatur, qui supersunt, qui & diebus, & noctibus ingemiscunt, & divinam ac paternam misericordiam deprecantes, solatium nostræ opitulationis expoſcunt*: nostræ opitulationis, id est, ut observat Rigaltius, tam *suæ*, quam *Stephani*. *Idcirco enim*, pergit Cyprianus, *copiosum corpus est Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex Collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, ac vastare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi Pastores utiles, & misericordes, in gregem colligant oves dominicas*. Eat nunc Lupus, & dicat ad Carthaginensem Antistitem, Gallia quid pertinet, & hoc sibi responsum habeat: omnibus Episcopis in solidum Ecclesiam esse commissam, qui proinde subvenire debent laboranti gregi, in quacunque tandem regione sit, & cuilibet ejus parti. *At* inquit Lupus, *ex eodem Cypriano unicuique portio gregis est ascripta, quam curare debet, rationem sui actus Domino redditurus*. Respondeo, id ita esse, nec quidquam Christiani Lupi placitis magis adversari, quam hocce Cypriani effatum. Verum illud intelligendum de ordinaria lege, non de extraordinario casu, cum Ecclesia est in periculo, ut tum Arelatensem fuisse arbitrabatur Cyprianus. Et quidem Lupus haud diffitetur, Cyprianum hac de causa curam hujus rei suscepisse, Cur ergo non similiter fatetur, Stephanum ob eamdem causam debuisse curam ejus gerere: cum de illo non secus ac de se loquatur Cyprianus, & ne verbo quidem significet, eam peculiari aliqua ratione ad Stephanum pertinere, Observarat præterea Quenellius, hic non agi de depositione, sed de excommunicatione. Opponit Christianus Lupus, agi de depositione, cum mentio fiat de Episcopo in ejus locum substituendo. At non negat absolute Quenellius, in Epistola Cypriani mentionem

fieri de depoſitione; ſed contendit Cyprianum poſtulare tantummodo a Stephano, ut Marcianum a ſua communione ſeparatum eſſe declaret; ac deinde, ut moneat Epiſcopos vicinos, & plebem Arelatenſem, ut eum deponant, quippe cum necdum videretur a communione Stephani & aliorum Epiſcoporum abſtentus, neceſſe erat litteras a Stephano dirigi, quibus abſtineretur, ut Epiſcopi Provinciæ cementes eum excommunicatum ab Epiſcopis magnarum ſedium eum deponerent, & in ejus locum alium ſubſtituerent. Itaque futurum erat, ut Stephanus Marcianum excommunicatum per litteras non deponeret, ſed deponendum eſſe ſignificaret Epiſcopis Provinciæ, & plebi Arelatenſi, ex conſilio ſancti Cypriani (*).

VIII. Non eſt porro, quod glorietur idem Chriſtianus Lupus, ſe virum eruditiſſimum Rigaltium ſententiæ ſuæ Patronum habere; is enim in notis ſuis eodem prorſus modo, quo nos antea Cypriani mentem expoſuit, & omnes Lupi Chriſtiani opinationes rejicit: ejus igitur verba hic a nobis coronidis vice aſcribentur: *In hac*, inquit, *Marciani Epiſcopi Arelatenſis cauſa, ſi jus abſtinendi, ſive excommunicandi competebat ſoli Epiſcopo Romano, cur Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis Cypriano Epiſcopo Carthaginenſi longe diſſito, ſemel atque iterum ſignificat ea de Marciano, quæ jam utique Fauſtinus ipſe, & alii ejuſdem Provinciæ Epiſcopi nuntiaverant Stephano proximiori, & omnium Epiſcoporum Principi. Dicendum igitur factum id fuiſſe aut per negligentiam Stephani, aut, quod magis videtur, per diſciplinam, quæ tunc in Eccleſia vigebat, ut omnes quidem in circumpoſitis locis, ſed præſertim urbium clariſſimarum Epiſcopi in commune conſulerent Eccleſiæ, viderentque, ne quid detrimenti res Chriſtiana Catholica caperet. Itaque ſuper iſto Marciani Arelatenſis facinore Lugdunenſem Epiſcopum ad Romanum, & Carthaginenſem dediſſe litteras, iſtum vero ut remotiſſimum dediſſe viciſſim ſuas ad Romanum, ut fratrem & Collegam, qui in propinquo facilius poſſet de negotio cognoſcere, & ſtatuere:* & poſt hæc, ad hæc verba: *unum tamen gregem paſcimus. Cujus ſalutis cura*, inquit, *non ad te tantum, o Stephane, pertinet, verum etiam ad nos, qui tibi ſumus Coepiſcopi. Unum gregem dicit, ut ſupra, unitatis vinculo copulatum.* Et lib. de unit. Eccleſiæ. *Epiſcopatum dicit eſſe unum, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Ac demum idem Rigaltius obſervatione ultima: *quam ex æquo*, inquit, *vivebat Carthaginenſis cum Romano, nimirum ut ſolet inter fratres, & Collegas.*

De Baſilide, & Martiali.

TErtium exemplum ex Cypriano petitum jactant mirum in modum Bellarminus, Davidius, & alii; deſumitur ex Epiſtola ejuſdem Cypriani ſexageſima-octava ad Clerum, & populum Hiſpaniæ. *Baſilides*, inquit, *poſt crimina ſua detecta, & ſcientiam etiam propria confeſſione nudatam Romam pergens, Stephanum Papam longe poſitum, & geſta rei ac tacitæ veritatis ignarum ſeſellit, ut exambiret injuſte ſe reponi in Eiſcopatum, de quo fuerat depoſitus.* Sed res paulo fuſius narranda. Baſilides, & Martialis ambo erant Hiſpaniæ Epiſcopi, in quos propter crimen idololatriæ depoſitionis ſententia lata fuerat in Provinciali

(*) Unum eſt, quod ſane diſplicet dictum, nimirum, *Cyprianum æque Stephano, ac reliquis Epiſcopis de Marciano ſcripſiſſe ratione communi mutuæ caritatis, non propria unius illius Eccleſiæ, quæ erat cæterarum matrix.* Spectat ſiquidem ad omnes Epiſcopos, ad omnes Paſtores, ad Fratres omnes Eccleſiæ alicui periclitanti ſuccurrere, atque opitulari: ad Eum vero præ ceteris, qui inter Epiſcopos, inter Paſtores, inter Fratres primus eſt, & quidem primus etiam auctoritate, & poteſtate; ut nempe ſollicitius, & efficacius ſuppetias ferat, qui & onere graviori tenetur, & majori jure, Chriſto ſic inſtituente, fruitur. Igitur ut ad Stephanum Cyprianus ſcriberet, prius quam ad reliquos, ordo ipſe Hierarchiæ a Chriſto inſtitutus poſtulabat. Tale fluxit 1. ut graviora negotia ad Romanam Sedem vel a longinquis Eccleſiis referrentur. 2. ut in iis nihil confectum, terminatumque haberetur, ante Romani Pontificis calculum. 3. ut ad Eum tanquam ad primum, ac præcipuum ſupra reliquos Canonum Exſecutorem, Cuſtodem, Interpretem undique gentium recurreretur. Hæc loco huic ſubjecta, ſingulis, quæ ſequuntur, poſita puta, ne tertio quoque verbo eadem recoquere videamur.

Digitized by Google

ciali Synodo: in locum saltem Basilidis alius erat suffectus: nihilominus Basilides Romam perrexit, & a Stephano in communionem receptus, ab eo litteras communionis obtinuit, quibus munitus in Hispaniam reversus ambiit Episcopatum recuperare. Tum Hispani Cyprianum consuluerunt, quid sibi facto opus esset. Respondit Cyprianus, nihil obstante Stephani sententia, ordinationem Episcopi in Basilidis locum substituti non posse rescindi, Basilidemque suo ad Romanam Ecclesiam confugio nihil aliud profeciisse, quam ut cumularet delicta delictis. *Hoc eo pertinet*, inquit Cyprianus, *ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta, ut ad superiora ejus peccata, etiam fallaciæ & circumventionis crimen accesserit*. Et ibidem: *nec rescindere ordinationem iure perfectam poterit, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, &c.* Ex quibus patet primo, non fuisse tum in more positum appellare ad Pontificem Romanum, alioquin Hispanis non visum istud fuisset insolitum. Secundo, appellatio ad Romanum Episcopum, si quæ fuisset, non habebat suspensivum effectum, ut loquitur Lupus; alioquin Hispani Episcopi in locum Basilidis alium non ordinassent. Tertio, constat, Cyprianum, & Hispanos ratum habuisse judicium in Provincia latum adversus Basilidem, & Martialem, nec per sententiam Romani Pontificis ordinationem ejus, qui post Basilidem fuerat ordinatus rescissam fuisse. Quarto, Cyprianum existimasse judicium a Synodo Provinciæ latum esse supremum, nec rescindi posse a Romano Pontifice, sive in casu appellationis, sive per revisionem.

II. Respondent, sic censuisse Cyprianum, quia justa erat depositio Basilidis, & justa ordinatio Sabini in ejus locum. Verum hæc responsio difficultatem non tollit; enimvero in omni appellatione, judicis, ad quem provocatur, sententiæ standum est, sive justa sit, sive injusta. Sic quia conceditur provocatio a Judicibus Præsidialibus ad Judices Senatus supremi, habent hi potestatem rescindendi judicium Curiæ Præsidialis, & stare debet Senatus Decretum, sive justum, sive injustum sit. Ergo si jus appellationum admittendarum habuisset Stephanus, potuisset restituere communionem, & Ecclesiam Basilidi, & deponere Sabinum; ac stare debuisset ejus sententia, sive justa, sive injusta, non obstante judicio Synodi Provinciæ, & Sabini electione; vel saltem retractanda erat ejusdem Basilidis causa, si retractationem decernere potuisset. Neutrum tamen Hispanis præscripsit Cyprianus, sed universim pronuntiat, judicio Stephani restitui non posse Basilidem, nec Sabini ordinationem rescindi. Ergo censuit a judiciis Synodorum Provincialium nullam provocationem concedi oportere.

III. Unum alicujus momenti nobis opponit Lupus: *Ecclesia*, inquit, *Africana judicium illud Cypriani non probavit*. Etenim Augustinus Epistola 162. Secundum Numidiæ Primatem, & alios Numidas arguit, quod, damnato per ipsos Cæciliano Episcopo, Majorinum ordinassent, *antequam hæc damnatio confirmaretur per Romanam Ecclesiam*. Verum huic argumento responsum est a nobis supra, & ostendimus Augustinum non loqui de stricto jure; sed de eo, quod faciendum erat Secundo pro bono pacis. Adde, quod causa Cæciliani multum differt a causa Basilidis, & Martialis, ut cuilibet perspicuum est. Sed hæc de judiciis tunc temporis latis in Occidente, non de Orientalibus.

De Dionysio Alexandrino.

CUm hæresis Sabelliana in superioris Lybiæ partibus grassaretur, Dionysius Alexandrinus Episcopus studio religionis impulsus, Pentapolitanis scripsit, ut eos ab isto errore revocaret. Quidam vero recte sentientes, Dionysii mentem non assecuti, existimarunt ipsum in errorem oppositum esse prolapsum, & Dei Filium opus, ac creaturam asseruisse. Ab istis apud Dionysium Romanum accusatus est in Synodo, quæ tum Romæ habebatur. Synodus Alexandrini Dionysii sententiam minus recte capiens, eam improbavit. Id cum iste comperisset, librum edidit nomine Apologiæ, seu Elenchi inscriptum, tum ut se

ab

ab objectis purgaret, tum ut male sentientes argueret. Hæc constant ex sancto Athanasio in libro de sententia Dionysii, & in libro de Synodis. Ex his porro concludunt Baronius, & alii, Episcopos primarum saltem Sedium recta accusari debere apud Summum Pontificem, ibique judicari; verum illi oppido falluntur.

II. Primum enim Dionysius non est judice accusatus apud Summum Pontificem Romanum, ut in eum ferretur sententia, sed tantum, qui mentem ejus siniſtre interpretati erant, de eo apud, Romanum Pontificem conquesti sunt. Illorum autem querimoniæ non arguunt, Romanum Episcopum supremam auctoritatem habere in judiciis Episcoporum. Eodem enim modo ex Eusebio libro 7. cap. 27. Ecclesia Antiochena apud Dionysium Alexandrinum, Firmilianum, & alios, de Episcopo suo Paulo conquesta est, illumque apud istos accusavit violatæ fidei. At nullus inde concludet, Alexandrino, aut Cæsareensi soli jus esse judicandi Antiocheni Episcopi. Faustinus item Lugdunensis apud Cyprianum Marcianum accusavit, & Episcopi Hispani ad eumdem de Basilidis, & Martialis damnatione scripserunt. Sic etiam sæculis posterioribus Monachi doctrinæ Origenis defensores, Ægypto pulsi a Theophilo Alexandrino, non ad Romanum, sed ad Constantinopolitanum Episcopum confugere, & de violentia sibi ab Episcopo facta conquesti sunt. Et post hæc, cum Proterius Alexandrinus in baptisterio a Dioscori fautoribus foret interemptus, non ad Leonem, sed ad Constantinopolitanum Episcopum causa est remissa. Extant innumera hujusmodi exempla Episcoporum accusatorum apud alios Episcopos, qui nihil juris in illos habebant. Et tamen his in casibus Episcopi isti, ne quid detrimenti caperet Respublica Ecclesiastica, sedulo curaverunt, & eos, qui apud se accusabantur, conati sunt ab errore revocare, aut si in eo perseverarent, eos excommunicare non dubitarunt. Sic sanctus Chrysostomus Theophilum per litteras hortatus est, ut communionem restitueret Monachis. Sic etiam Cyrillus Nestorium prave sentientem aggressus est, & a communione semovit, quanquam ei nulla in istum jurisdictio competeret. Hæc exempla passim occurrant, nec necesse est illa studiose colligere.

III. Secundo, Dionysius Romanus, & Episcopi Synodi Romanæ judicium nullum tulerunt de sententia, aut persona Dionysii Alexandrini. Athanasius quippe id unum testatur, Episcopos Synodi Romanæ indigne tulisse ea, quæ a Dionysio Alexandrino scripta ferebantur; & hujus rei Dionysium Alexandrinum factum esse certiorem a Romano. Quæ res impulit Alexandrinum ad scribendam Apologiam, litterasque Apologeticas ad Dionysium Romanum mittendas. Itaque nullum proprie, sive contra, sive pro Dionysio Alexandrino Romæ latum est judicium. Nec vero quis arbitretur, auctoritatem Romani Episcopi in judiciis fidei ex eo commendari, quod a Dionysio petierit, ut fidei suæ rationem redderet: id enim exigere solebant quilibet Episcopi ab iis, qui ipsis erant suspecti, nec communionem cum iis habebant, quin prius ab iis professionem exegissent. Nec necesse est plura hujus rei exempla commemorare. Unum aut alterum tantum proferam. Athanasius, & Episcopi Synodi Alexandrinæ ab Antiochenis fidei suæ rationem exegerunt. Epiphanius inter Vitalem, & Paulinum arbiter, a Paulino professionem suam petiit. Cyrillus item a Joanne Antiocheno, & Orientalibus fidei libellum exegit, sanctus Basilius ab Eustathio, & alii innumeri. At jus istud est omnibus Episcopis commune, non Romano Pontifici peculiare.

De Paulo Samosateno.

DUo Concilia adversus Paulum Samosatenum Antiochiæ habita sunt, alterum anno 264. alterum 270. In prima Synodo Paulus fidem Ecclesiæ simulans, depositionem vitavit. In secunda multorum criminum, ac præsertim hæreseos convictus ab Episcopis sine Romani Pontificis auctoritate depositus est, & statim Domnus in ejus locum substitutus est. Tum Episcopi Orientales litteras scripserunt Dionysio Romano, Maximo Alexandrino, qui Dionysio successerat, & omnibus per univer-

Digitized by Google

versum orbem Episcopis. Inde porro nihil concludi potest ad probandum aliquam esse in judiciis Episcoporum Romani Pontificis prærogativam; scriptæ enim fuerunt istæ litteræ tum Romano, tum Alexandrino, tum aliis Episcopis. Scriptæ sunt post judicium, non ad gestorum confirmationem petendam, sed ut eos certos facerent de novi Episcopi ordinatione, ut scilicet ad eum scriberent, ab eoque litteras communionis acciperent. Paulus autem licet Episcopatu Concilii judicio dejectus foret, domum tamen Episcopalem dimittere noluit. Tum Catholici ad Imperatorem confugerunt, qui Ecclesias tradi jussit iis, quibus Italici Religionis Christianæ Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. Inde a quibusdam fingitur aliquod speciale Romani Episcopi privilegium fuisse in judiciis Episcoporum, at inane illud est. Primo enim Aurelianus non de Romano Episcopo tantum loquitur, sed de omnibus Italis. Deinde vero id statuit, non ob prærogativam Sedis Romanæ, sed quia credidit transmaritimorum Episcoporum judicium a gratiæ, & odii suspicione alienum fore. Porro nec Itali, nec Romanus Episcopus causam Pauli in Oriente judicatam retractare aggressi sunt; sed judicium Orientalium sine ullo examine ratum habuerunt. Hæc autem in isto Pauli judicio observanda sunt ad propositum pertinentia. Primum, ad Synodum vocatur Paulus, non ad Romanum Pontificem. Secundo, a Synodo sine Pontificis Romani consensu, & participatione damnatur. Tertio, ab ea damnatus ad Romanam Sedem non provocat, quod a viro perfrictæ frontis, & retinendi Episcopatus cupidissimo factum procul dubio fuisset, si talis tum temporis consuetudo viguisset. Denique, Concilii Antiocheni Patres Episcopo Romano non secus ac ceteris mandant, ut ad Domnum in locum Pauli ordinatum litteras communionis mittat, & ab eo vicissim accipiat. Quis igitur non videt, persuasum illis fuisse, jus nullum fuisse Romano Pontifici causam ejus iterum ad examen revocandi.

II. Sed inquit Baronius ad annum 263. num. 10. ex Athanasio habemus, depositionis Pauli principem, & auctorem fuisse Dionysium Romanum. *Duo enim Dionysii*, inquit Athanasius in libro de Synodis pag. 918. *diu ante eos septuaginta* (Concilii Antiocheni Episcopos) *fuere, qui Paulum Samosatensem sustulerunt, quorum alter Alexandriæ, alter Romæ Præsul fuit.* Verum imbelle prorsus illud argumentum est; nam verbum *sustulerunt*, non ad hæc, *duo Dionysii* referri debet, sed ad ista, *septuaginta Episcopos*, qui Paulum damnaverunt in eo Concilio, cujus ibi meminit Athanasius: quod tum ex sola Græci textus lectione, tum ex eo constat, quod Dionysius Alexandrinus ante depositionem Pauli e vivis sublatus foret, ut constat ex hujus Synodi Epistola Synodica ad Maximum Dionysii successorem missa.

De causa Cæciliani.

UNum addimus exemplum ex quarto sæculo, quod commodius hic referri posse visum fuit. Illud est Cæciliani, qui a septuaginta Episcopis Numidiæ damnatus, Ecclesiam retinuit, neglecto illorum judicio; & deinceps a Melchiade Romano Episcopo est absolutus. Hinc quidam elevant Conciliorum Provincialium auctoritatem, alii suadere conantur Cæcilianum ad Imperatorem provocasse. Utrumque perperam, ut sequentes docebunt observationes.

II. Primo, falsum est Cæcilianum ad Melchiadem unquam appellasse. Secundo, quicquid Romæ, & alibi in ejus causa actum fuit, non ad ejus, sed ad Donatistarum preces factum est. Tertio, Melchiades non ex propria auctoritate, sed quia electus fuerat Judex a Constantino, in hac causa pronuntiavit. Rogatus enim Imperator a Donatistis, ut transmarinos daret Judices, litteras dedit, quas refert Eus. lib. 10. c. 5. quibus jussit, Cæcilianum Romam navigare: *quatenus ibi*, inquit, *coram Melchiade, & coram Rheticio Marino, et Materno judicaretur.* Unde Augustinus Epistola 162. negat Melchiadem sibi usurpasse judicium causæ Cæciliani: *quid quod*, inquit, *nec ipse usurpavit; rogatus quippe Imperator, Judices misit Episcopos, qui cum eo sederent.* Ergo ab Imperatore sedere jussus

juſſus eſt, & judicare, alioquin uſurpaſſet judicium. Hinc quotieſcumque de judicio Romano loquitur Auguſtinus, vocat illud judicium a Conſtantino datum, & Epiſcopos omnes, qui ei aderant, Judices ab eo electos. Quarto, hujus cauſa iterum poſt judicium Romani Epiſcopi retractata eſt in Arelatenſi Synodo. Quinto, a judicio iſtius Synodi, & Romani Pontificis ad Imperatorem provocatum eſt a Donatiſtis, qui nunquam alios provocarunt. Namque ii in Provincia obtinuerant judicium, & de Romani Epiſcopi judicio conqueſti erant tantum, non autem ab eo appellaverant; ut demonſtrat fuſe Valeſius in diſſertatione de ſchiſmate Donatiſtarum. Sexto, Cæcilianus non fuerat damnatus ab Epiſcopis Provinciæ, aut totius Africæ, ſed ab Epiſcopis tantum Numidiæ: unde diſſidentibus Epiſcopis Africæ ad tranſmarinos neceſſario recurrendum erat.

III. At, inquiet aliquis, vel Cæcilianus provocavit a judicio Numidiæ Epiſcoporum, vel ei acquievit. Sed, inquam ego, neutrum ab ipſo factum eſt, neutrum fieri debuit; ſciebat enim Synodum in ſe convocatam Epiſcoporum eſſe favori, & ambitioni mulieris obſequentium. Alios habebat idem Cæcilianus quamplurimos Epiſcopos in Africa ſibi faventes, ac præcipue e ſua Provincia, communicabat cum omnibus tranſmarinis Epiſcopis, ipſa ſua innocentia ſe tutum eſſe exiſtimabat; unde nihil ipſe molitus eſt, ſed nullum judicium præterquam hoſtium ſuorum declinavit. Et certe ejus innocentiam ſatis tutam per ſe fuiſſe exitus docuit.

§. II.

In quo referuntur, & examinantur cauſæ quarto Eccleſiæ ſæculo judicatæ.

CUm multa quarto Eccleſiæ ſæculo judicia Eccleſiaſtica occurrant, longum eſſet ſingulorum hiſtoriam tradere; quare nos brevitati conſulentes ſummatim tantum, ac breviter ſingula facta ediſſeremus, narrationis noſtræ probationem in aliud tempus differentes, ac ea tantum obſervantes, quæ ad propoſitum noſtrum pertinent.

De cauſis Meletii, & Arii.

PRima occurrit hoc ſæculo cauſa Meletii, qui depoſitus, ac damnatus a Petro Alexandrino Romam non provocavit, ut reſtitueretur, nec majus judicium requiſivit, ſed cum nullam aliam retinendæ auctoritatis viam eſſe intelligeret, ſchiſma conflavit.

II. Poſt hunc Arius cum novum dogma de Verbi divinitate protuliſſet, primum ab Alexandro, deinde a Synodo Ægypti damnatus, & gradu dejectus cum ceteris, non putavit ullam ſibi provocationem ſupereſſe; ſed confugit ad Epiſcopos Palæſtinæ ſibi faventes. Hic vero maxime elucet Synodorum Provinciæ, aut Diœceſeos magnam tum fuiſſe auctoritatem: primo enim Ægyptii illi licet Arium injuſte damnatum eſſe ſentirent, non auſi ſunt illum ſtatim reſtituere; ſed ea de re ſcripſerunt ad Alexandrinum Præſulem. Cumque Arium cum aſſeclis poſtea contra Canones reſtituiſſent, auctores eis fuerunt, ut Præſulem ſuum placarent, eique ſubjicerentur. Verumtamen Alexander Alexandrinus Epiſcopus conqueſtus eſt, violatos eſſe ab iis hac de cauſa Canones. Cum vero in dies creſceret diſſidium, nemo ad Romanam Sedem provocavit, nec hujus cauſæ cognitionem ad ſe traxit. Sed Imperator hujus controverſiæ ſopiendæ cauſa Synodum generalem indixit, id autem deinde in exemplum abiit, cumque graviores de fide controverſiæ ſunt exortæ, in quibus Epiſcopi plures a ſe invicem diſſidebant, tunc Synodos hujuſmodi ex omnibus, aut fere omnibus orbis Romani partibus congregare mos fuit.

De cauſa Athanaſii, Marcelli, Euſtathii Antiocheni, Pauli, Lucii, & aliorum.

AThanaſii cauſam ad probandas appellationes ad Romanam Sedem mire jactant illarum Patroni, quia ſcilicet Athanaſius in Synodo Tyri damnatus ſine alterius Synodi auctoritate Sedem recuperavit; cumque deinde in Synodo Antiochena ob id iterum damnatus foret, Romam confugit, & a Pontifice Julio benigne exceptus eſt,

Digitized by Google

est, ac, ut volunt, restitutus; quod judicium a Synodo Sardicensi tandem confirmatum est, invitis ejus adversariis.

II. At quicunque causæ hujus circumstantias omnes attente examinarit, intelliget hoc exemplo appellationes probari minime posse: sequentes id docebunt observationes.

III. Primo, Athanasius non erat damnatus a Synodo Provinciæ, aut Diœceseos; sed a Synodo extraneorum Episcoporum.

IV. Secundo, Imperator Constantinus istorum judicium utpote contra leges latum ratum non habuit; & Episcopos Concilii ad se evocavit, ut facti sui rationem rederent.

V. Tertio, Mareotæ damnatus erat absens, & illic missi erant hostes ejus, qui in eum inquirerent.

VI. Quarto, Athanasius ita damnatus non provocavit ad Romanum Pontificem, nec ab eo petiit, ut videret, num causa ejus esset talis, quæ deberet iterum examinari; sed ad Imperatorem confugit, ut ille, quæ contra formam judiciorum, & leges ab adversariis facta fuerant, rescinderet.

VII. Quinto, non est in exilium ejectus, & sede sua privatus ob Synodi Decretum, sed Imperatoria auctoritate. Unde postea ad Ecclesiam reversus non poterat damnari ex illa lege, quæ vetat, ne quis Episcopus damnatus a Synodo sine alterius Synodi auctoritate ad Ecclesiam redeat. Intelligendus enim est iste Canon de Synodo legitime coacta, & quæ formas judiciorum observavit.

VIII. Sexto, Athanasius, ut Sedem suam, & Ecclesiam recuperaret, non impetravit Romani Pontificis auxilium; sed quemadmodum a Constantino fuerat expulsus, ab ejus filiis est restitutus.

IX. Septimo, cum Eusebiani iterum accusationes in eum renovarent, non Athanasius, sed illi ipsi Julio Romano Episcopo causæ arbitrium detulerunt, & ab eo Synodum petierunt: rescripsit Julius, justum esse Synodum *fieri, ubicunque vellent*. Testatur id Athanasius Apolo. 2. pag. 739. *Eusebiani*, inquit, *ad Julium litteras miserè, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ei, si vellet, causæ arbitrium detulerunt*.

X. Octavo, Athanasius Romam confugit non quasi appellans, sed vim hostium metuens.

XI. Nono, Julius cum esset a partibus judex electus, potuit Eusebianos ad se vocare, & detrectantes damnare, ac Athanasium absolvere.

XII. Decimo, neutrum tamen fecit, nec ullum judicium tulit, sed tantum audita ejusdem Athanasii Apologia suam cum eo communionem confirmavit, & pro Episcopo eum habuit. Hoc enim unum fecit; imo non solus fecit, sed Concilium, quod ea de causa congregarat ad preces Eusebianorum. Constat id ex litteris Julii apud Athanasium, in quibus Julius enarrans ea omnia, quæ a se, suoque Concilio pro Athanasio gesta fuerant, nullatenus dicit eum esse restitutum, sed tantum servatam cum eo communionem, eumque pro Episcopo habitum, quod nec Tyri damnatus fuisset, nec Mareotæ præsens adfuisset. Verba hæc ipsa sunt hujus Epistolæ.

XIII. Undecimo, Orientales falso supponentes Julium id judicium, quod ipsi ultro detulerant, usurpasse, conquesti sunt, eum contra Canones, & regulas judicasse.

XIV. Duodecimo, Julius in Epistola sua, ut factum suum adversus Eusebianorum expostulationes defendat, primo illud urget, se scilicet ab ipsis judicem electum, missosque ad se ab iis Legatos. Deinde non suam, sed Concilii a se ad illorum preces congregati jactat auctoritatem, nec dicit, sibi licuisse causam in Synodo terminatam iterum tractare, sed Synodi alicujus acta posse in alia Synodo examinari, cum præsertim Athanasius contra formam judiciorum foret damnatus absens.

XV. Decimotertio, Athanasius non est a Julio Sedi suæ restitutus, ut perperam censuerunt Socrates, & Sozomenus; sed ut a Valesio perspicue demonstratur, in Occidente Athanasius substitit, donec a Sardicensi Concilio restitueretur.

XVI. Decimoquarto, Sardicensis Synodus causam Athanasii retractavit ex Imperatorum rescripto.

XVII. Decimoquinto, Athanasius non contentus Occidentalium in Sardicensi Concilio judicio, Orientalium quoque judicium

postulavit, & ab iis tum subscribentibus Epistolæ Synodicæ Concilii, tum seorsim per eorum litteras innocens est pronunciatus; ex quibus intelligere est, nihil egisse Athanasium, ex quo concludi possit, eum ad Julium appellavisse, nihil sanxisse Julium, ex quo perspici possit eum jus habuisse retractandæ causæ, sed judicium in Athanasium latum in irritum fuisse missum; quia factum fuerat ab extraneis contra formam judiciorum per vim, & ambitum, cum ille absens foret, cumque innocentia ejus esset omnino manifesta. Idque non solius Julii, sed omnium Occidentalium sententia additis etiam Ægyptiorum, & Orientalium quamplurimorum suffragiis.

XVIII. Eadem ferme dici debent de causa Marcelli, quem Julius cum Athanasio in communionem suscepit, licet damnatum ab Orientalibus in Constantinopolitana Synodo. Nam nec ille ad Pontificem appellavit, nec ab eo fuit restitutus, sed a Synodo Sardicensi. Verum Orientales non idem de eo, ac de Athanasio tulerunt judicium, unde mansit in eum lata sententia, atque, ut observavimus, nemo non eum pro hæretico in Oriente proscripsit, quamvis Athanasius a ferendo in eum judicio abstinuerit.

XIX. Extant porro ejusdem temporis exempla duo celeberrima Episcoporum damnatorum, qui ad Pontificem minime provocarunt. Primum est Eustathii Antiocheni, qui ab Episcopis Orientis, hoc est, Diœceseos suæ, quamquam injuste damnatus, judicio acquievit, nec ad Pontificem, aut aliam Synodum provocavit. Alterum est Pauli Constantinopolitani, qui damnatus judicio quidem non acquievit, sed nec ad Pontificem Romanum provocavit. Verum quantum potuit, invitis adversariis sedem retinuit, donec per vim ex ea multoties ejiceretur. Ita etiam Lucius Hadrianopoleos, & alii ferme omnes ab Arianis injuste damnati, nec ad Pontificem Romanum provocarunt, nec ab eo litteras, per quas restituerentur, obtinuerunt.

XX. Unum potest objici in causa Athanasii Julii testimonium, quod in Epistola sua videtur innuere, non licuisse Orientalibus Athanasium damnare absque sua auctoritate. *Nam si*, inquit, *ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum Canonem, & non isto modo judicium ferri, oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur.* Et postea: *an*, inquit, *ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc* (hoc est deinceps dehinc) *quod justum est definiri possit. Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, adhuc ad nostram Ecclesiam referri debuit.* Idque ea causa fieri oportere indicat, *quod Episcopi essent, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur; sed ea, quam ipsi Apostoli suamet opera instruxerant ad fidem.* Unde post alios multos concludit Lupus, judicium Episcoporum præsertim magnarum ac Patriarchalium Sedium reservari debere sedi Apostolicæ. Idem confirmari videtur testimoniis Socratis, & Sozomeni, qui ajunt, Julium graviter reprehendisse orientales, quod se ad Synodum minime vocassent: *cum*, inquit, Ecclesiastica Regula *interdictum sit, ne præter sententiam Romani Episcopi quidquam ab Ecclesiis decerneretur.*

XXI. Respondeo, Julium non loqui de se, aut de sua sententia, sed de omnium Occidentalium consensu. Queritur scilicet, Orientales Athanasium Alexandrinæ sedis Antistitem sine consensu Occidentalium, imo illis insciis damnasse: *oportuit*, inquit, *scribere*, non mihi soli, *sed omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset decerneretur. An ignari estis*, inquit, *hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit.* Hoc est, ut ostendit prior locus, ut dehinc definiri possit, quod tum Orientalibus, tum Occidentalibus in communi placuerit. Sic igitur intelligendi sunt Socrates, & Sozomenus. Nam illi hoc in mente tantum habent, ut Julii sententiam exponant: quapropter illos ex eo non eum ex illis explicare oportet. Sic autem Orientales mentem Julii acceperunt: *hanc novitatem*, inquiunt, *moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo, ut in Concilio Orientales Episcopi quod forte statuissent ab Occidentalibus refricaretur. Similiter quicquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus*

Digitized by Google

libus ſolveretur. Itaque Julius, & alii Occidentales tunc id tantum contendebant, ut nihil in Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali alicujus momenti ſtatueretur citra communem Orientis, & Occidentis Epiſcoporum conſenſum. Idem etiam poſtularunt Occidentales poſtea in Epiſtola ad Imperatorem Theodoſium a Synodo Romana ſcripta de Maximo, & Nectario. *Non nobis*, inquiunt, *prærogativam vindicamus examinis, ſed tamen conſortium debuit eſſe communis arbitrii*. Itaque id primo loco petierunt, & illorum nomine Romani Pontifices, ut nihil in Oriente alicujus gravioris momenti decerneretur, quin vocarentur Occidentales ad Synodum, & conſenſum ſuum geſtis accommodarent. Hanc eſſe veterem conſuetudinem arbitratus eſt Julius. Sed multum vereor, ne ille non ſatis iſta examinarit. Nam, ut ex dictis liquet, multa in Oriente judicia ſunt facta, inconſultis, & minime vocatis Epiſcopis Occidentalibus, ſicut in Occidente inſciis, & non vocatis Orientalibus: & tamen utrobique ſemper confirmata erant judicia in altera parte orbis Romani canonice lata; ſicut recte objiciunt Orientales judicia in Novatum, Sabellium, & Valentinum ab Occidentalibus lata ſine novo examine ab Orientalibus confirmata ſunt, ac deinceps in cauſa Celeſtii, & Pelagii judicia in iſtos lata a Synodo Epheſina ſine iterato examine comprobata ſunt. Patet igitur, Julium, & Occidentales hic eſſe laplos, dum novum iſtum morem veterem conſuetudinem eſſe arbitrati ſunt.

De Euphrate, Saturnini, & aliorum in Occidente depoſitione.

NOn ſolum ii, qui in Oriente, ſed & illi, qui in Occidente tum damnati ſunt, non provocarunt ad Romanum Pontificem, ſed judicio Synodi Provinciæ acquieverunt.

II. Euphratas Agrippienſis fertur eſſe damnatus in Concilio Agrippinenſi, nec tamen provocaſſe legitur. Verum ego iſtud exemplum nihil moror, quippe quod cenſeam eſſe commentitium.

III. Saturnino Arelatenſi a Gallicanis Epiſcopis dejecto nullum appellationis locum ſupereſſe teſtantur ipſi Epiſcopi Synodi Pariſienſis: *a quo*, inquiunt, *ſacerdotis nomine etiam Saturninum, qui ſtatutis ſalubribus impiiſſime contradixit ſecundum fratrum noſtrorum geminas jam litteras excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis charitas veſtra cognoſcat, quem & veteres diſſimulata jam diu licet crimina, & cetera edita epiſtolis ſuis nova temeritatis irreligioſitas indignum nomine Epiſcopi fecerunt*.

IV. Poſt hæc in eadem Gallia Priſcillianus a Synodo Burdigalenſi damnatus anno 385. ad Imperatorem provocavit, non ad Romanum Pontificem. Notat autem Sulpitius Severus, id Epiſcoporum *inconſtantia permiſſum: quia*, inquit, *aut ſententiam refragantem ferre debuerant, aut, ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſervare*. Jam vero ſi tunc in more poſitum fuiſſet provocare ad Pontificem Romanum, hoc procul dubio obſervaſſet Severus. Idem porro Priſcillianus cum Inſtantio, & Salviano damnatus a Cæſarauguſtana Synodo Romam confugerat, ut illic ſibi objecta purgaret (*). At Damaſus non modo eos non ſuſcepit, ſed ne in conſpectum quidem admiſit. Additum enim fuerat in Synodali adverſus eos ſententia, ut ſi quis damnatos in communionem ſuſcepiſſet, ſciret, in ſe eamdem ſententiam eſſe promendam; cum ergo iſtius Decreti pœna Damaſum non ſecus ac alios Epiſcopos ſpectaret, non illi plus juris erat, quam ceteris reſcindendi judicii a Synodo adverſus Priſcillianum lati.

(*) Quod Priſcillianus ad R. Pontificem non provocaverit non inde recte videtur colligere Auctor, tunc in more poſitum non fuiſſe ad R. Sedem provocare. Profecto, ipſo Auctore fatente, quamplures ad R. Sedem provocarunt, nec tamen inde ipſe edocit, in more tunc poſitum fuiſſe ad R. Sedem provocare.

Digitized by Google

De Eustathii Sebasteni ad Liberium confugio.

DE judiciis in Eustathium Sebastenum latis multa dici possent, quæ ad historiam pertinent, & valde sunt obscura, sed ea sunt alterius instituti: unum hic prætermittendum non est, quia ab adversariis velut alicujus momenti nobis objicitur, Liberii scilicet in ejus causa judicium; nam ille depositus in Synodo Constantinopolitana, & ab Arianorum factione vexatus Romam confugit ad Liberium, a *quo litteras obtinuit, per quas restitueretur*, ut ait sanctus Basilius Epistola 74. Verum istud ad appellationum exemplum minime pertinet. Nam primo Eustathius non venit in Occidentem ad Liberium, ut restitueretur, quippe qui depositus non fuerat a legitimis judicibus, sed a Constantinopolitana anni 359. quæ erat Acacianorum. Secundo, missus est ad Liberium non ut ageret de sua restitutione, sed tamquam Legatus Synodi Lampsacenæ, ut Liberium ad communionem Episcoporum, qui Semiariani dicuntur, amplectendam adduceret: ac propterea suspectus erat Liberio, nec ab eo susceptus est in communionem, nisi postquam Nicænam fidem professus est. Tertio, non est restitutus sedi suæ, sed datæ sunt litteræ a Liberio in quibus ejus fides commendabatur. Quarto, reversus istas litteras Tyanensi Synodo exhibuit; cumque inde cognovissent Episcopi Catholici illum recte sentire, judicarunt eum esse restituendum. Quid autem ex his sive ad appellationum jus Romano Pontifici vindicandum, sive ad asserendum Episcoporum judicium ad eum solum pertinere inferri possit, ego prorsus non video.

De causa Maximi, Nectarii, & Gregorii Nazianzeni. Itemque de Meletii, & Paulini, ac Cyrilli causis.

EX celebribus hisce controversiis non pauca colligere est, quæ ostendant Pontifici jus nullum fuisse rescindendi, aut retractandi judicia in Oriente lata.

II. Maximus a Petro Alexandrino ordinatus Episcopus Constantinopoleos a Gregorio Nazianzeno pulsus ad Occidentales confugit, & in Synodo, quæ ex totius orbis Episcopis *videbatur esse præscripta*, hoc est, ut putamus, *Aquileiensi*, causam suam egit, tum vero Occidentales judicium sibi non usurparunt, nec sibi, aut Pontifici Romano sine Orientalibus illud competere arbitrati sunt; sed tantum proposuerunt, ut *commune esset Orientalium, Occidentaliumque judicium: cum*, inquiunt, *cognovissent* (Orientales) *ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset jure, & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur. Cum eum, sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari super eos sententiam nostram debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii.*

III. Ex his constat, nullum ibi exemplum appellationis, aut revisionis ad Romanam Sedem extare.

IV. Primo, quia nulla in Maximum lata erat sententia, cum in Concilio causam suam egit; sed tantum fuerat Constantinopoli pulsus, atque ideo ad Occidentales omnes confugerat. Appellatio autem, aut revisio judicium supponit.

V. Secundo, Occidentales non sibi ejus judicium vindicant, sed Imperatorem rogant, ut commune sit Occidentalium, Orientaliumque judicium, & Concilium. At si jus Sardicensibus Canonibus Romanæ Sedi indultum in usu fuisset, illud procul dubio Occidentales in Epistola sua jactitassent.

VI. Tertio, non hic agitur de solius Episcopi Romani judicio, sed etiam universæ Italiæ, atque totius Occidentis.

VII. Quarto, sine ullo Occidentalium consensu imo iis invitis Orientales Maximum rejecere, & in ejus locum Nectarium ordinarunt.

VIII. Idem patet ex causa Paulini, & Meletii, ac Flaviani ordinatione.

IX.

Digitized by Google

IX. Nam primo Orientales Meletium licet ab Occidentalium, & Romani Episcopi communione alienum in sua communione habuere, & e contra Paulinum a Romanis, & Italis approbatum Episcopum nihili fecerunt.

X. Secundo, post mortem Meletii Flavianum in ejus locum ordinarunt Episcopum, invitis Occidentalibus: Hujus ordinationem non secus ac Maximi depositionem Synodus Constantinopolitana probavit: reclamant Occidentales, petunt ut fiat generale Concilium, ut illis causa utriusque examinetur. Quid ad hæc Orientales? Declarant se sequi Nicænos Canones, & juxta illorum præscriptum Nectarium in Synodo Constantinopolitana ordinatum esse, Flavianum vero in Oriente ab Episcopis Diœceseos. Monent Occidentales, ut unitatem, & pacem, legesque Ecclesiasticas privato erga aliquos studio præponat: uno verbo, supponunt cuncta, quæ a Synodis Provinciæ, & Diœceseos sunt statuta retractari minime posse, idque per Canonem sanciunt. Ita victi Occidentales non quidem circa appellationes, aut revisiones, de quibus nondum agebatur; sed circa rem longe minoris momenti, nempe ut graviores istæ res communi Orientis, & Occidentis Episcoporum arbitrio, ac judicio limitentur.

XI. Quoniam autem mentio incidit hujus Synodi Constantinopolitanæ, in qua Cyrillus Hyerosolymitanus est in Episcopatu confirmatus, observare oportet, illum ab Acacio damnatum, *primum omnium*, inquit Socrates, non ad Romanum Pontificem, *sed ad majorem Synodum libellum appellationis dedisse*. Ex quo constat primo, supremæ huc usque auctoritatis habitas fuisse Synodos Provinciæ. Secundo, morem non fuisse provocandi ad Romanum Episcopum, alioquin ad eum potius appellasset, quam ad majus Concilium, quod non erat ita facile tum temporis convocare.

De causa Bonosi.

ILlustre veteris disciplinæ monumentum habemus in causa Bonosi Episcopi, is ad Capuensem Synodum delatus, quasi perperam de Virginitate Mariæ sentiret, cum ad Anysium Thessalonicensem Metropolitanum, & vicinos Episcopos ejus judicium esset remissum a Synodo, ii causam graviorem esse cernentes Siricium Romanum Episcopum per litteras consuluere, rogaruntque, ut ille de Bonoso ejusque sententia judicium aliquod ferret. Quid ad hæc Siricius? Respondet, sibi judicandi formam non competere; sed illorum esse sententiam ferre, nec ullam refugiendi aut elabendi accusatoribus, vel accusato copiam esse. *Accepi*, inquit, *litteras vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam scisciari voluistis. Sed cum ejusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset*: & post alia: *vestrum est igitur, qui hoc accepistis judicium, sententiam ferre de omnibus; nec refugiendi vel elabendi accusatoribus, vel accusato copiam dare*; & infra: *denique cum Bonosus Episcopus post judicium nostrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste, patienter, & ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid*. Igitur ex Siricii, & Ambrosii sententia, judicatis semel Episcopis in Synodo Provinciæ, nihil est adversus judicium tentandum, nec licet ulli Antistiti, ne quidem Romano causam ad se evocare, seu, ut verbis Siricii utar, nullis aliis quam vicinis Episcopis forma judicandi competit. Hanc Epistolam, quæ erat inter Ambrosianas 71. Siricio restituerunt Justellus, Holstenius & alii omnes eruditi. Unus Davidius cum huic argumento satisfacere non posset, eam in dubium revocare conatus est, sed infelici adeo successu, ut nemo in ejus sententiam descenderit. Quapropter superfluum est in ejus conjecturis refellendis immorari, quas jam satis abunde auctor operis de antiquis & majoribus Episcoporum causis exsufflavit.

De

De causa Joannis Chrysostomi.

CHrysostomi exemplum proferunt plerique, ut appellationum ad Romanum Pontificem usum in Oriente viguisse probent. Nos e contra ex ejus causa demonstrabimus, hunc usum tum temporis inauditum fuisse.

II. Ad Synodum, quæ ad Quercum celebratur, vocatus Chrysostomus multis de causis istud judicium recusavit. Harum prima hæc est, debere juxta Canones in quibuscumque Provinciis causas illarum tractari, nec alienarum regionum Episcopos ad judicia Provinciarum trahi. *Nos*, inquit, *scientes leges Patrum, oportere in quibusque Provinciis sua negotia tractari, transmontanosque ad nostra judicia non attrahendos, fortiter detrectavimus . . . . neque enim congruum est, ut hi, qui in Ægypto sunt, judicent eos, qui in Thracia.* Ergo multo minus congruum, ut hi, qui in Occidente, & in Italia sunt, judicent. Secundo, Judicium Theophili recusabat Chysostomus, quod nondum ille se a criminibus, quibus accusatus erat, purgasset. Tertio, eum veluti inimicum, ac hostem non immerito suspectum habebat: *nos*, inquit Chrysostomus, *misimus ad eum dicentes, non nos declinare judicium, sed apertum hostem & inimicum manifestum.*

III. Deinde cum absens, & nulla contestationum ejus ratione habita judicaretur, non ad Romanum Pontificem provocavit, sed ad majorem Synodum: *Nobis*, inquit, *asserentibus paratos esse præsentibus centum & mille Episcopis crimina objecta refellere, passus non est, sed absentibus nobis, & Synodum convocare volentibus, judiciumque flagitantibus neque cognitionem fugientibus, sed inimicitias manifestas.*

IV. Post hæc ab Imperatore revocatus cum appellationi suæ ad Synodum insisteret, Synodum iterum postulavit: *cum*, inquit, *triginta Episcopi, & clementissimi Imperatoris Notarius ad hoc missus reduxissent, ingressi ad Regem oravimus, ut ad ulciscenda facinora Synodum cogeret.*

V. His nihil obstantibus in alia Synodo damnatur Chrysostomus, quod judicatus a Synodo sine alterius Synodi auctoritate sedem suam recepisset. Post damnationem ejectus cum nihil reliquum esse sibi videret, litteras ad Innocentium Romanum scripsit, in quibus rogat, ut sibi inimicorum factionibus oppresso, & injuste ac contra leges judiciorum judicato opem ferat, ac communionem impertiri non desinat. *Ideo*, inquit, *charitatem vestram obsecro, ut provocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala hæc sistantur . . . . igitur Domini venerandi maxime ac pii cum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc, quæ in Ecclesias irrupit iniquitas. Quippe si hic mos invaluerit, & fas erit cuivis alienam Parochiam invadere . . . . quapropter, ne confusio hæc, quæ sub cælo est nationem invadat, obsecro, ut scribatis, quod hæc tam inique facta, & absentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant robur; sicut neque sua natura habent. Illi autem, qui inique egerunt pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant; nobis vero, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei litteris vestris, & charitate vestra, aliorumque, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite.*

VI. Ex his verbis: *obsecro ut scribatis, ut ea, quæ tam inique facta sunt, non habeant robur*, concludunt adversarii a Chrysostomo appellatum ad Innocentium, rogatumque eum, ut auctoritate sua judicia in Oriente lata irritaret; verum qui sic ratiocinantur non vident, se nihil omnino probare, quia plus probant quam oporteat. Inde enim sequitur, idem jus fuisse Venerio Mediolanensi, & Chromatio Aquileiensi, ad quos in eamdem plane sententiam scribit Chrysostomus. Non igitur petit Chrysostomus, ut illi irritent judicium in Oriente latum, sed ut scribant illa, quæ ibi facta fuerant, robur habere non posse, cum contra Canones, & formam judiciorum Ecclesiasticorum ibi judicatum foret: atque ideo petit, ut quoniam hæc judicia ex seipsis sunt irrita, non denegetur sibi ab Occidentalibus communio, sed confirmetur. Confugit ergo ad istos Occidentales opem petens, & contra vim Theophili, & aliorum, auxilium implorans, non autem proprie ad

Digitized by Google

ad Innocentium, Sedemque Apoſtolicam appellavit.

VII. Deinde quæ in cauſa Chryſoſtomi geſſit Innocentius, docent eum non ſibi arrogaſſe jus reſcindendi judicii in eum lati, ſed tantum illud improbandi; utpote quod contra Canones eſſet factum, & natura ſua irritum, *quod ut*, inquit Gelaſius Epiſt. ad Fauſtum tomo 4. Concilio. col. 1168. *non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licet; ſed & cuicumque Pontifici*. Cum enim Theophilus primus de damnatione Chryſoſtomi ad eum ſcripſiſſet, cernens eum ſolum ſcripſiſſe, nec adjunxiſſe ſocios ſuos, aut rei ſeriem ſatis expoſuiſſe, de ejuſmodi negotio judicium ſuſpendit. Deinde cum litteras Chryſoſtomi accepiſſet Innocentius utrique tum Theophilo, tum Chryſoſtomo litteras communionis miſit; cumque videret judicium Theophili eſſe per ſe irritum, nulli denegandam cenſuit communionem, donec aliud judicium legitimum haberetur; ſic enim ſcribit ad Theophilum: *nos & te, & fratrem Joannem communionis noſtræ eſſe decrevimus . . . niſi debitum, & legitimum ſequatur judicium, non poſſumus a Joannis communione diſcedere*.

VIII. Unum nobis opponunt, ut oſtendant, Innocentium latam a Theophilo ſententiam Decreto reſcidiſſe: Palladii ſcilicet teſtimonium, qui dicit Innocentium judicium Theophili caſſum, atque irritum decreviſſe.

IX. Verum hæc objectio, quæ alicujus momenti videri poterat ante editionem autographi illius Palladii, nunc prorſus evanuit. Quippe illud verbum *decrevit* ab Ambroſio Monacho Camaldulenſi veteri Palladii interprete Eugenii IV. Romani Pontificis ſtudioſiſſimo fuerat de induſtria hic interpolatum. Quemadmodum & in Epiſt. Chryſoſtomi multa alia erant addita ad extollendam Romani Epiſcopi poteſtatem, quale erat illud *auctoritate veſtra decernite*; & hoc, *Eccleſiis nos jubete reſtitui*, iſtud jam oderati erant viri docti, nunc vero non licet de eo dubitare, poſtquam vir meritiſſimus Bigotius αὐτόγραφον Palladii in lucem edidit; ſic autem ſe habet: πρὸς τοῦτοις ἀντιστείλαν ὁ μακάριος Ἰννοκέντιος ὁ πάπας ἀμφοτέροις τοῖς μέρεσι τὰ ἴσα τῆς κοινωνίας ἀθετήσας τὴν δόξασαν γενήσθαι κρίσιν παρὰ θεοφίλου ἐπῶν, δεῖν ἑτέραν ἀνεπίλητον συγχωρηθῆναι σύνοδον δυτικῶν τε, καὶ ἀνατολικῶν ὑποχωρούντων τῇ συνεδρίᾳ φίλων πρῶτον, ἔπειτα καὶ ἐχθρῶν. Hoc eſt, ut vertit idem Bigotius, *ad hæc beatus Innocentius Papa utrique parti litteras communionis miſit improbans judicium, quod a Theophilo factum videbatur, dicens debere cogi irreprehenſibilem Synodum Occidentalium, & Orientalium, primum quidem ſecedentibus ab illo confeſſu amicis, deinde inimicis*.

X. Ex his conſtat, nec Chryſoſtomum, nec Innocentium, nec Palladium, nec ullum omnino alicujus fidei ſcriptorem prodidiſſe memoriæ aliquod decretum ab Innocentio emiſſum, ad irritandum judicium a Theophilo in Chryſoſtomum latum. Sed illud unum poſtulaſſe Chryſoſtomum, ut, cum ex natura ſua judicium eſſet irritum, ſibi communio non denegaretur, ſed res integra judicio alterius Synodi reſervaretur; Innocentium vero contendiſſe, ut Orientalium, & Occidentalium eſſet iſta Synodus. Itaque omnes Pontifices a Julio ad Zozimum non uſurpant ſibi poteſtatem retractandarum cauſarum in Oriente, aut aliis orbis partibus judicatarum: ſed tantum petunt, ut ipſi cum Occidentalibus ad Synodum vocentur, ſuumque conſenſum præbeant, quæ quidem diſciplina, licet nova fuerit, ut advertimus, in cauſa tamen Chryſoſtomi, ubi totus Oriens erat diviſus, juſtiſſima erat. Porro ſi Innocentius credidiſſet, ſibi jus eſſe retractandi judicii in Chryſoſtomum lati, illud procul dubio in irritum miſiſſet, nec poſtulaſſet aliam fieri Synodum, nec Theophilum in communionem ſuſcepiſſet, ſed ſua auctoritate rem omnem terminaſſet: quin etiam Innocentius agnoſcit, ſolam Synodum cauſam Chryſoſtomi poſſe retractare. *Ceterum*, inquit, *quid contra iſtos in præſentia ſit agendum Synodali cognitione peropus eſt, quam dudum cogendam etiam eſſe cenſuimus, ſola enim illa talium procellarum motus ſopire poteſt*.

XI. At, inquiunt adverſarii, adeo verum eſt, irritatum eſſe judicium Orientalium ab Innocentio, ut legatis ab eo in Orientem miſſis in mandatis dederit, non oportere Joannem in judicium venire, niſi prius

prius, & Ecclesia, & communio restitueretur; unde post hujus mortem Occidentales omnes cum Orientalibus communicare detrectaverunt, antequam ejus nomen in dypticis poneretur.

XII. Respondeo, hæc non probare judicium in Chrysostomum latum in irritum esse missum ab Innocentio, aut Occidentalibus, sed tantum illud natura sua irritum fuisse; nam juxta regulas juris, quilibet debet prius judicari, quam spoliari. Prius vero fuerat spoliatus Chrysostomus, quam judicatus. Cum judicium Synodi ad Quercum in ipsum latum ex jure irritum foret, quippe in quo judices sederant, non modo ii, qui legitimi, ac naturales ejus judices non erant, sed & inimici, qui eum absentem ac adversus illorum judicium reclamantem damnaverant. Igitur restitui eum oportebat antequam judicaretur, id tantum in mandatis habebant Legati non solum Innocentii, sed & Imperatoris Honorii, Chromatici, Aquilejensis, & Venerii Mediolanensis, ac reliquorum Italiæ Episcoporum. Et certe in commonitorio non decernitur absolute restituendus Chrysostomus, aut restituendus ex Occidentalium, aut Innocentii sententia, & auctoritate, sed solum Joannem non debere judicio se sistere, nisi prius restituatur, ne scilicet si communione Ecclesiæ privatus ad causam dicendam venisset, videretur judicium in se prius latum quoad formam approbare: eadem de causa noluerunt Occidentales cum Orientalibus communicare, donec honor, & fama Chrysostomi memoriæ restitueretur; quia injustum erat illum pro damnato habere, qui a legitimis judicibus non erat damnatus. Mitto nunc Galasii auctoritatem, qui dicit, Chrysostomum absque ulla Synodo solius Apostolicæ Sedis judicio absolutum: hæc quippe dicebat Gelasius eo tempore, quo Romani Pontifices jus admittendarum appellationum sibi arrogabant, solebantque ad illud confirmandum adducere exempla Episcoporum, qui vexati in Oriente ad Occidentales confugerant, ut Athanasii, Chrysostomi, & Flaviani. Adde quod verum est Chrysostomum sine Synodo restitutum esse non ex solius Sedis Romanæ auctoritate; verum ob manifestam injustitiam, &, ut ita loquar, nullitatem judicii in ipsum lati, quæ Episcopis omnibus postea innotuit; unde, ut observavimus, nomen Chrysostomi ab Orientalibus in Dypticis appositum est, antequam ab Occidentalibus id peteretur. Nihil hic dico de excommunicatione Arcadii, & Eudoxiæ ab Innocentio, hæc enim narratio omnium judicio commentitia est.

XIII. Unum præterea nobis opponi posset ex Epistola ab Imperatore Honorio ad Arcadium in gratiam Chrysostomi scripta, ubi videtur dicere, nihil licuisse agere in causa Chrysostomi sine Romani Episcopi auctoritate: *Erat*, inquit, *inter Episcopos causa, quæ, collato, tractatoque Consilio deberet absolvi: missi ad sacerdotes urbis æternæ, atque Italiæ ex utraque parte Legati exspectabantur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinæ. Integrum nempe esse debuerat neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet, cum interea mirum quoddam præcipitium festinationis exarsit, ut non expectatis litteris sacerdotum, qui fuerunt mutua partium Legatione consulti in exilium truderentur Antistites animadversioni prius addicti, quam sententiam judicii Episcopalis experti*. Ergo, inquiunt, Chrysostomi causa non poterat judicari in Synodo Provinciæ sine auctoritate Romani Pontificis, quia Episcopalis erat, aut certe non debebat sententia in ipsum lata executioni mandari post appellationem ad Sedem Romanam.

XIV. Respondeo, hanc Imperatoris Honorii Epistolam scriptam esse post judicium a Synodo ad Quercum latum, missosque ab utraque parte Romam Legatos: ex parte quidem Theophili, ut communio Chrysostomo denegaretur, ex parte vero Chrysostomi, tum ad tuendam communionem, tum ad implorandum auxilium Romani Pontificis adversus vim sibi a Theophilo illatam; non autem, ut peterent a Romano Episcopo, ut ipse causam judicaret. Docent id sequentia verba: *denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probabit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas pacifica Joanni Episcopo communione permissa, sanciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repel-*

Digitized by Google

repellendum. Itaque non id sibi vult Imperator ex solius Romani Pontificis auctoritate, & judicio deturbandum fuisse Chrysostomum: sed dicit, eum a communione non fuisse pellendum, & exturbandum ante Orientalium, Occidentaliumque Episcoporum judicium. Id patet ex Epist. Innocentii, in qua non petit, ut Chrysostomus in communione maneat, donec a se in eum sit sententia prolata, sed donec de eo judicatum fuerit in Orientalium, Occidentaliumque Concilio. Honorium porro ad verba Innocentii alludere nemo non videt.

§. III.

Referuntur, & examinantur exempla appellationum, quæ vulgo proferuntur in judiciis quinto, & sexto sæculo latis.

HUc usque non solum nullum appellationis ad Romanum Episcopum exemplum reperire potuimus, sed etiam nullus nobis occurrit Pontifex Romanus, qui in aliqua causa jus istud sibi arrogarit: at quinto, & sexto Ecclesiæ sæculo exempla occurrunt appellationum, & Pontifices inveniuntur, qui eas sibi arrogarunt. Verum cernere est Episcopos universarum orbis partium adversus istud jus reclamantes, & pristinam judiciorum formam observantes. Romani Pontifices hi sunt, Zozimus, Cælestinus, Bonifacius, & Leo, quibus res primo fuit cum Africanis; deinde cum Gallis, ac postmodum cum Orientalibus. Istorum omnium concertationes suo ordine referemus.

De causa Cælestii.

PRima appellatio ab Africanorum judicio interposita fuit a Cælestio Pelagiano, qui in Synodo Carthaginensi anno 412. *damnatus ab Africanorum sententia ad Romani Episcopi examen appellandum esse credidit*, inquit Marius Mercator in commonitorio cap. 1. Hanc Cælestii appellationem parvi penderunt Africani Episcopi, Cælestiumque post appellationem ante judicium a Romano Episcopo confirmatum pro hæretico habuere. Nam in Synodo anni 416. judicium anni 412. recensuere, & confirmavere. Unde inquiunt, *factum est, ut recensendum peteremus, quid fermè ante quinquennium super Cælestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerat agitatum, quo recitato, sicut ex subditis advertere poterit sanctitas tua, quia ipso tempore Episcopali judicio recisum hoc tantum ulcus ab Ecclesia videretur, nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus hujusmodi persuasionis auctores, quamvis & ad Presbyterum idem Cælestius postea perveniisse dicatur, nisi hæc apertissime anathematizaverint ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit saltem eorum, qui decepti sunt a vobis, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuraretur.* Itaque Cælestium ad Innocentium appollasse certum est. Sed incertum, utrum Innocentius Cælestii appellationem gratam habuerit: certo certius, Africanos appellationem ejus flocci fecisse, nec expectato ejus, ad quem appellatum, judicio, Cælestium iterum damnasse, & Innocentium ipsum illorum damnationem approbasse: quod argumento est, eum appellationem quoque Cælestii non admisisse, alioquin enim posterius Africanorum judicium indigne tulisset, non autem comprobasset; sed aut ipse sententiam de Cælestio tulisset, aut judices in Provincia dedisset.

II. Mortuo Innocentio successit Zozimus, ad quem festinanter perrexit Cælestius novi Pontificis, ut fieri solet, gratiam aucupari studens: novum ab eo petiit examen, datisque Pontifici verbis innocentem se esse, & ea, quæ adversum se gesta erant, iniqua esse persuadet: quid multis? ab eo sibi non parum faventes litteras obtinet, quibus ad secundum mensem Romam citantur Africani, ut ipsum accusent. Illi ad tempus constitutum minime veniunt. Nec mirum; cum ipsis persuasum esset, judicia in Provincia finiri oportere; alias ergo ad Africanos dedit litteras Zozimus, quibus expostulat, quod nemo adfuisset. *Ecce*, inquit, *Pelagius, Cælestiusque Apostolicæ Sedi in litteris suis, & confessionibus suis: ubi Heros; ubi Lazarus: &c.* misit præterea Cælestius Subdiaconum, a quo Paulinus Diaconus ad Sedem Apostolicam, &

Zozimi judicium citatus est. Vadimonio constituto, hic Diaconus adesse renuit. Tum convenientes in unum Africani Episcopi circa Autumnum anni 417. Cælestii, & Pelagii errores damnaverunt, grandemque ad Zozimum Epistolam scripsere, in qua querebantur, nimium ab ipso fidem Cælestio adhibitam esse, & quæ in hac causa acta fuerant ipsum edocebant, missis etiam gestis, quæ fuerant acta de illo vel cum illo Cælestio. Hæc Marcellini opera missa sunt, per quem simul & Paulini commonitorium Romam delatum est.

III. Tum Zozimus lectis hisce litteris, & consideratis Africanorum Decretis, Epistolam 3. ad eos misit, in qua factus paulo æquior, postquam Apostolicæ Sedis auctoritatem commendavit, negat se in omnibus Cælestio fidem accommodasse, ut visum fuerat Africanis. Testaturque, se nihil definivisse, aut sine maturo examine definiturum. *Idcirco*, inquit, *noverit vestra fraternitas nihil nos post illas, quas superius vel litteras vestras accipimus, immutasse; sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant cum hoc nostris litteris vestræ indicavimus sanctitati, ut illa, qua a vobis missa erat, ad vos obtestatio remaneret.*

IV. Interim Africani metuentes, ne Zozimus aliquid in gratiam Cælestii statueret, Legatos ad Honorium Imperatorem Ravennæ tunc degentem miserunt, quibus quidem ab eo obtinuerunt constitutionem *in Pelagium, & Cælestium, eorumque errores*. Ac demum vocatus a Zozimo ad audientiam *Cælestius*, inquit Marius mercator in commonitorio, *ut quæ promiserat, festinaret implere, id est, ut damnatis prædictis capitulis sententia Africanorum Episcoporum, qua fuerat communione privatus, absolveretur, non solum non adfuit; sed etiam ex memorata urbe profugit, atque ob hoc a beatæ memoriæ Episcopo Zozimo scriptis amplissimis est prædamnatus*. In toto isto negotio apparet, vitilitigatorem Cælestium ad Innocentium appellasse; apparet, Zozimum conatum esse ad se trahere Africanos ad reddendam rationem judicii sui; apparet etiam, Africanos multum laborasse, ut Zozimus deceptum se esse agnosceret a Cælestio; at non apparet, eos agnovisse in Pontifice Romano potestatem rescindendi judicii a se in Cælestium lati, imo contrarium ex dictis colligi facillime potest (*).

De causa Apiarii, & dissensione Episcoporum Africanorum cum Zozimo, Bonifacio, & Cælestino circa Episcoporum appellationes ad Romanam Sedem.

MAjor fuit deinceps Zozimi contentio cum Africanis de appellationibus Episcoporum post motam de Apiario controversiam, hinc enim cernere est, Zozimum, & ejus successores nihil non molientes, ut appellationes Episcoporum sibi vindicarent, inde Africanos pro veteri consuetudine, Synodorumque suarum suprema auctoritate tanquam pro aris, & focis digladiantes. Sed res alioquin intricata breviter, ac dilucide exponenda est. Urbanus Siccensis Episcopus olim Augustini Discipulus Apiarium Presbyterum, cujus ordinationem irritam esse censebat, excommunicavit, & dejecit. Is ad Romanum Episcopum Zozimum confugit, & ab eo benigne exceptus, ac in communionem acceptus est. Inde magnum non solum in Ecclesia Siccensi, sed & in universa Africana scandalum exortum est, cum Zozimus videretur Canones violasse Clericum damnatum suscipiendo. Verum ille Pontifex tres Legatos in Africam misit, Faustinum Episcopum Potentinæ plebis, & Philippum, ac Asellum

(*) Præ oculis habendum in negotio Pelagii Cælestiique non causam privatam, sed publicam non personæ, sed fidei fuisse tractatam: quam sane non unius Regionalis Synodi sententia, sed totius Ecclesiæ, maxime vero Romani Pontificis, qui præcipuas in fidei rebus definiendis partes habet, judicio terminari potuisse satis constat. Adeo ut etiam post episcopale in una regione judicium, quum de fide, & disciplina universali agitur, ad ulterius examen, ad novum judicium locus sive per adpellationem, sive per recursum patere potuerit. Quod, ubi alias ejusmodi causas Auctor recenset, subjectum repetitumque, ne cui sit fraus, volumus.

Digitized by Google

lum Presbyteros, qui restitutionem Apiarii procurarent. Postquam in Africam pervenere, praesentes adfuerunt Concilio Africae universali ducentorum & septemdecim Episcoporum, quod habitum est post Cos. Honorii II. & Theodosii VII. anno 419. attulerunt illi a Zozimo litteras, & mandata: ac primum restitutionem Apiarii urgere coeperunt; quid circa illam gestum sit in hac Synodo docet Epistola Synodica ad Bonifacium successorem Zozimi; nam hic antequam res ista perficeretur, e vivis abierat: *Quoniam*, inquiunt Episcopi, *placuit Domino, ut de his, quae nobiscum egere sancti Fratres nostri Episcopus Faustinus, & compresbyteri Philippus, & Asellus, non beatae memoriae Episcopo Zozimo, a quo ad nos mandata, & litteras detulerunt, sed tuae veneration, qui in ejus locum es divinitus constitutus humilitas nostra rescriberet, ea breviter insinuare debemus, quae utrorumque concordia terminata sunt, non ea, quae prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus, salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis delibantes, quae nunc ad causam pertinent. Quamquam & ille si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatius terminatum. Domine frater, Apiarius Presbyter, de cujus ordinatione, & excommunicatione fuerat exortum non solum Siccensis, verum etiam totius Africanae Ecclesiae non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens communioni est restitutus. Prior autem Episcopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit: quia vero paci, & quieti Ecclesiae non tantum ad praesens; sed etiam imposterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa praecesserant, ut vel similia, vel etiam graviora praecaveri oporteret, placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia retento scilicet honore gradus sui Presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epistolio ubicumque alibi vellet, & posset, Presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipsi per litteras postulanti sine difficultate concessimus.* Non habemus acta Concilii in causa Apiarii, sed ex hac relatione intelligimus: primo Zozimi Legatos petiisse, ut restitueretur Apiarius, Secundo, Africanos obstitisse, ac, ut verisimile est, conquestos esse de Zozimo. Tertio, Apiarium videntem se non posse restitui, nisi errata sua fateretur, veniam eorum ab Episcopis Africanis petiisse. Quarto, eum ne sic quidem restitutum Siccensi Ecclesiae, sed honorem Presbyterii ei servatum, permissumque, ut ubicumque alibi vellet communicaret. Haec de Apiario in ea Synodo gesta.

II. Verum hujus occasione inter Zozimum, & Africanos actum est de appellationibus Episcoporum, & forma judicandi Clericos. *Nam priusquam Apiarii causa isto termino clauderetur*, inquiunt, *iidem inter alia, quae diuturnis disceptationibus versabamur, quia ratio ipsa poscebat, ut apud acta Ecclesiastica, & fratribus nostris Faustino Coepiscopo, & Philippo, & Asello Compresbyteris quaereremus, ut promerent quidquid eis nobiscum agendum fuisset impositum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis; sed cum id potius flagitaremus, quod in litteris ferrent, commonitorium postularunt, quod recitatum nobis etiam gestis, quae secum etiam ad vos deferunt, est alligatum.* Habemus etiamnum haec gesta, a quibus incipit Codex Canonum Africanae Ecclesiae: in iis Aurelius in prima sessione Concilii 8. Calendas Junias, primum profitetur servanda esse Decreta Nicaeni Concilii, eaque proferri jubet: id ipsum cum placuisset omnibus, Daniel Notarius recitare coepit, verum statim Faustinus interlocutus est dicens, aliqua esse in mandatis a Sede Apostolica cum Episcopis Afris tractanda de Nicaenis Canonibus; simulque commonitorium sibi a Zozimo datum protulit, quod jubente Aurelio Daniel Notarius recitavit. Sic autem conceptum erat: *fratri Faustino, & filiis Philippo, & Asello Presbyteris Zozimus Episcopus, vobis commissa negotia non latent vos, ita ac si nostra, imo quia nostra ibi in vobis praesentia est, cuncta peragite, maxime cum & hoc nostrum possitis habere mandatum, & verba Canonum, quae in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt fratres in Nicaeno Concilio cum de Episcoporum appellatione decernerent.* Sequitur 7. Canon Sardi-

dicenſis nomine Nicæni adductus. Quo recitato, Alypius interfatus ait, jam ſtatuiſſe Africanos ſe ſervaturos Decreta Concilii Nicæni. Verum ſe nihil ſimile in eo inveniſſe, ideoque petit ab Aurelio, ut mittat Legatos ad Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum Antiſtites, qui Concilii Nicæni exemplaria mittant, ut omnis ambiguitas tollatur. Monet etiam petendum a Bonifacio, ut idem faceret. Conſilium hoc probat Fauſtinus, hortaturque eos, ut iſta ad Bonifacium perſcribant. Deinde recitatum eſt alterum caput controverſum hujus commonitorii de apellationibus Clericorum inferiorum, quod ſic habet: *de appellationibus autem Clericorum, id eſt minoris loci, eſt ipſius Synodi certa reſponſio, de qua re quid acturi ſitis credimus inferendum.* Sequitur Canon Concilii Sardicenſis, in quo ſancitur, ut Clericus a ſuo Epiſcopo damnatus poteſtatem habeat finitimos Epiſcopos interpellandi, ut ab iis ejus cauſa inter eum, & Epiſcopum judicetur: hoc recitato Auguſtinus profeſſus eſt, Africanos id ſervaturos ſalva diligentiori inquiſitione Concilii Nicæni. Poſt hæc Africani jubent Decreta Concilii Nicæni, ut erant allata a Cæciliano actis inſeri, necnon ea ſtatuta, quæ in Africa prius condita fuerant. *Etiam*, inquit, *Aurelius, quæ dudum veſtræ ſanctitati intimavimus, nunc patiamini exemplaria ſtatutorum Nicæni Concilii, ſed & quæ hic ſalubriter a noſtris deceſſoribus ſecundum ejuſdem Concilii formam, vel quæ nunc a nobis ordinata ſunt, recitari, & geſtis inſeri.* Interim tamen pollicentur ſe firmaturos eſſe capitula allata a Fauſtino, ſi reperirentur in veriſſimis exemplaribus Concilii Nicæni, aut *ibidem*, inquiunt, *reperta a nobis firmabuntur, aut, ſi non inveniantur, collecta Synodo, de hoc in ſequenti tractabimus.*

III. Porro antequam ultra progrediamur, ſolvendus eſt nodus, qui multis difficilis videtur; cur Africani Canonem Sardicenſem de Clericorum judiciis ad finitimos Epiſcopos deferendis, videantur nonniſi ad tempus admittere; cum tamen ipſi tum in priori Synodo anni 413. tum in iſta ipſa eandem diſciplinam Canonibus ſuis definiant. At ſi quis rem attente ponderet, ſtatim intelliget, Africanos ea de cauſa Sardicenſem Canonem de Clericorum judiciis rejeciſſe, quod videretur permittere Clericis, ut quolvis finitimos Epiſcopos accerſerent, cum e contra diſerte in Canonibus Africanorum ſit ſtatutum, ut Epiſcopi illi conſenſu Epiſcopi, qui ſententiam tulit, eligantur, utque ab iſtis nulla ſit provocatio ad alios finitimos, ſed tantum ad Primatem, aut ad Synodum univerſalem Africæ. Uno verbo: crediderunt Africani Zozimum, ut veriſimile erat, hunc Canonem adducere, ut ex eo probaret, Apiarium, & alios Presbyteros, præſertim mari vicinos, poſſe ad tranſmarinos Epiſcopos cauſam ſuam deferre. Sed ad narrationem geſtorum Concilii redeamus.

IV. Poſtquam res iſta cum Legatis Romani Pontificis eſt compoſita, ut ad tempus ſervarentur duo Canones ab iſtis probati, interim tamen, ut tum Nicæni Concilii Decreta, ut habebantur in exemplaribus vulgatis in Africa, tum etiam priorum Conciliorum ſub Aurelio decreta, necnon ea ipſa, quæ in hac Synodo ſancita erant, recitarentur. Cum, inquam, de his conveniſſet, recitata eſt formula Nicæna. Secundo, Canonibus Nicænis adjuncti ſunt triginta tres Canones in hac Synodo conditi. Poſt hæc recitati ſunt Canones Conciliorum in Africa geſtorum, ab anno 393. ad annum 413. Denique ſtatutum, ut ne diutius univerſi Epiſcopi, qui ad Concilium congregati erant, tenerentur ab univerſo Concilio, ut Judices terni eligerentur de ſingulis Provinciis, quod ſtatim ſtatutum eſt, & ita concluſum eſt Concilium univerſale.

V. At Legati a Concilio deputati in unum convenientes 3. Calend. Junias ejuſdem anni, rurſum nonnullos Canones ediderunt, ac demum Aurelius Epiſcopus Synodum ſic concluſit: *Juxta Statuta totius Synodi congregatæ, & meæ mediocritatis ſententiam placet facere rerum omnium concluſionem univerſi tituli deſignati & digeſti hujus diei tractatum Eccleſiæ geſta ſuſcipiant: quæ vero adhuc expreſſa non ſunt, die ſequenti per fratres noſtros Fauſtinum Epiſcopum, Philippum, & Aſellum Presbyteros venerabili fratri, & Coepiſcopo noſtro Bonifacio re-*

reſcribemus, & ſubſcripſerunt. Sequuntur Legatorum ex omnibus Provinciis deputatorum nomina, ex quibus patet Codicem hunc Eccleſiæ Africanæ Synodale opus eſſe, & quidem Synodi totius Africæ.

VI. Extat deinde Epiſtola Concilii ad Bonifacium, in qua poſtquam ea de Apiario ſcripſerunt, quæ ſupra retulimus, narrant quid circa commonitorium Zozimi ſit geſtum, & ſancitum a Synodo, *in quo*, inquiunt, *commonitorio eis quatuor quædam nobiſcum gerenda mandata ſunt. Unum de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem. Alterum, ne ad comitatum Epiſcopi importune navigent. Tertium, de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum cauſis apud finitimos Epiſcopos; ſi a ſuis excommunicati perperam fuerint. Quartum, de Urbano Epiſcopo excommunicando, vel Romam vocando, niſi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo, & tertio, ut Romam liceat provocare, & ut Clericorum cauſæ apud ſuarum Provinciarum Epiſcopos finiantur, jam priore anno etiam litteris noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Zozimum Epiſcopum datis, inſinuare curavimus, ut ea ſervare ſine ullæ ejus injuriæ pauliſper ſineremus, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni. Et nunc de tuæ poſcimus ſanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam Patribus conſtituta ſunt, ſic ea nobis facias cuſtodiri: & ibi apud vos iſta, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri.* Deinde relatis Sardicenſis Concilii Canonibus duobus de Epiſcoporum, & Clericorum judiciis, hæc addunt: *Hæc utique uſque ad adventum veriſſimorum exemplarium Nicæni Concilii inſerta geſtis ſunt, quæ ſi ibi, quemadmodum ipſo quod apud nos fratres ex Apoſtolica Sede directi commonitorio allegaverunt, continerentur, eoque ordine, vel apud vos in Italia cuſtodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur; ſed credimus, adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri, quod tua ſanctitate Romanæ Eccleſiæ præſidente, non ſumus jam iſtum typhum paſſuri: & ſervabuntur erga nos, quæ nobis etiam non diſſerentibus cuſtodiri debeant. Cum fraterna charitate, qua ſecundum ſapientiam atque juſtitiam, quam tibi donavit Altiſſimus, etiam ipſe perſpicis eſſe ſervanda, ſi forte aliter ſe habent Canones Concilii Nicæni.* Aiunt deinde, ſe id non inveniſſe in exemplaribus ſuis, & in Græciam miſiſſe, ut Canones Nicæni ſibi afferrentur, monentque Pontificem, ut idem faciat, profitentes ſe interim ſervaturos ea, quæ de appellationibus Epiſcoporum, & Clericorum judiciis apud finitimos Epiſcopos in commonitorio habebantur.

VII. Verum haud diu expectarunt illi; nam ſub finem ejuſdem anni formulam fidei, & Canones Nicænos viginti ab Alexandrino Cyrillo, & Conſtantinopolitano Antiſtite Attico ad ſe miſſos receperunt, & ſtatim ad Bonifacium direxerunt 6. Kalendas Decembris.

VIII. Nihil deinde ſub iſto Pontifice hac in cauſa geſtum memoriæ proditur. At ſub Cœleſtino res iſta recruduit. Namque Apiarius rurſum accuſatus, Romam itrum confugit, & cum Fauſtino Legato Cœleſtini rediit in Africam, putans ſe ejus auctoritate reſtituendum eſſe. At Africani Antiſtites jam certi nihil eſſe in Concilio Nicæno, quod Pontifici Romano favere poſſet, jugum aperte excuſſerunt, & Apiario damnato, peremptorio Decreto ſtatuerunt, non eſſe tolerandas Epiſcoporum appellationes ad Romanum Pontificem, nec Clericorum improba refugia probanda eſſe. Epiſtola ſcripta eſt nomine Aurelii Palatini, & aliorum, qui univerſali Concilio Carthaginis adfuiſſe dicuntur. His autem verbis concepta eſt: *Optaremus ſi quemadmodum ſanctitas tua de adventu Apiarii lætatos vos fuiſſe, miſſis per Compresbyterum noſtrum Leonem litteris, intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione hæc ſcripta cum lætitia mitteremus. Eſſet profecto & noſtra, & veſtra modo alacritas certior, nec propterea videretur quæ adhuc de audiendo, quam de audito præceſſerat. Adveniente certe ad nos ſancto fratre, & Coepiſcopo noſtro Fauſtino, Concilium congregavimus, & credidimus ideo cum illo miſſum, quoniam ſicut per ejus operam Presbyterio antea redditus fuerat, ita nunc poſſet de tantis criminis ſibi a Tabracenis*

ob-

objectis eo laborante purgari, cujus tanta, ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen, ut memorati patrocinium potius, quam judicium, ac defensoris magis operam, quam disceptatoris justitiam superarent. Nam primum quantum obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens cum a nobis in communionem suscipi, quam tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat; quod minime licuit, quod gestorum etiam melius lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cum diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus Judex justus, fortis, & longanimis, magno compendio resecavit; tetriore quippe, ac putidiore obstinatione compressa, qua tantum libidinum cœnum impudentia negationis volebat obruere. Deo nostro ejus conscientia coarctante, & occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum jam damnabat, etiam hominibus publicante repente in confessionem cunctorum objectorum flagitiorum dolosus negator erupit: incredebilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum credebamus & optabamus de tam pudendis posse purgari, convertit in gemitus. Nisi quoniam istam mœstitiam uno tantum solatio mitigavit, quod & nos labore diuturnioris quæstionis absolvit, & suis vulneribus qualemcunque medelam, etsi invita, ac suæ conscientiæ reluctante confessione providit: Domine frater, præfato itaque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facile advertit venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua Provincia a communione suspensi, a tua sanctitate vel præpropere, vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum, repellat sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive inferioris, sive superioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos Metropolitanis apertissime commiserunt; prudentissime enim justissimeque viderunt quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique providentiæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat unicuique posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt. Nam, ut aliqui tanquam a sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum, quia illud quod pridem per eundem Episcopum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmissistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæni a sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & a venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex authentico missis. Quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum, hoc est, fastum, ambitionem, & superbiam sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamus inducere; nam de fratre nostro Faustino amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario securi sumus, quod eum probitate ac moderatione tuæ sanctitatis, salva fraterna charitate, Africa ulterius minime patiatur; & alia manu: *Deus noster sanctitatem*

tatem veſtram ævo longiore pro nobis orantem cuſtodiat, Domine Frater. Prolixam hanc Epiſtolam hic deſcribendam duxi, quia in ea nihil eſt, quod non faciat in propoſitum.

IX. Primum, ex ea conſtat Apiarium confugiſſe ad Cæleſtinum, & ab eo communioni reſtitutum cum Fauſtino in Africam rediiſſe.

X. Secundum, Fauſtinum in Concilio Africanorum defenſionem Apiarii ſuſcepiſſe, & allegaſſe privilegia Eccleſiæ Romanæ, ut quia reſtitutus fuerat communioni a Cœleſtino, etiam in Africa reſtitueretur.

XI. Tertium, Africanos hæc privilegia non admiſiſſe, ſed e contra pro injuriis duxiſſe, & Apiarium, invito licet Fauſtino, convictum damnaſſe.

XII. Quartum, eos in hoc Concilio aperte mentem ſuam declaraſſe Pontifici, circa capitula allata Nicæni nomine Concilii, quorum unum erat de appellationibus Epiſcoporum, alterum de confugiis Clericorum, & denuntiaſſe Pontifici, ne utrumque deinceps fieri pateretur.

XIII. Quintum, id ab iis probatum, primo ex Concilio Nicæno, deinde ex juſtitia, & æquitate, quia debet illic audiri cauſa, ubi teſtes & accuſatores eſſe poſſunt. Tertio, quia credibile eſt Epiſcoporum multorum judicium, in quo adſunt neceſſariæ perſonæ, melius eſſe, ac æquius, quam judicium unius Epiſcopi; qui longe degat ab iis locis, ubi ſunt teſtes, & accuſatores.

XIV. Sextum, non modo Africani pati ſe non poſſe affirmant appellationes Epiſcoporum, ſed ne quidem ajunt ſe paſſuros eſſe, ut Legati mittantur a Pontifice, quoniam illud privilegium nullo Canone ipſi indultum eſt, cum conſtet citatos a Zoſimo Canones, non eſſe Nicæni Concilii, ut ferebantur.

XV. Septimum, rogant Pontificem, ne fumoſum ſæculi typhum in Eccleſiam inducat, ne executores Clericos mittat, ne Fauſtinum Legatum in Africa relinquat, denuntiantes, ſe iſta minime toleraturos. Hac reſponſione accepta Cœleſtinus, videns Afros Epiſcopos jus ſuum tam conſtanter tueri, a propoſito deterritus eſt. Nec enim amplius eſt conatus Apiarium reſtituere, nec Legatos in Africam miſit, nec appellationes Epiſcoporum ſuſcepit, nec Clericos Afros ad ſe confugientes reſtitui curavit, nec tamen propterea ab illorum communione diſceſſit, ſed ſe ab iis victum eſſe haud ægre paſſus eſt. Somniant enim, qui dicunt aliquod propterea ſchiſma inter Africanam, & Romanam Eccleſiam exortum fuiſſe.

XV. Ex his, quæ huc uſque diximus luculenter conſtat, de appellationibus Epiſcoporum quæſtionem fuiſſe inter Afros, necnon inter Zoſimum, Bonifacium, & Cœleſtinum; nam quamvis huic quæſtioni occaſionem dederit Apiarii Presbyteri tantum confugium, ſeu appellatio, attamen proprie diſputatum tantum eſt de appellationibus Epiſcoporum: nam ſeptimus Canon Sardicenſis de Epiſcopis tantum loquitur. Quapropter ſi de Clericorum appellationibus lis tantum fuiſſet, incaſſum Africani tanto labore Canonem iſtum conquiſiviſſent. Deinde Zoſimus non vindicabat ſibi appellationes Presbyterorum, nec ad id probandum Canonem Sardicenſem ſeptimum allegabat, ſed tantum contendebat potuiſſe Apiarium ad ſe confugere, & cauſam ſuam apud ſe agere, quia Canone altero Sardicenſi permiſſum erat Clericis vexatis ab Epiſcopo ad finitimos cauſam agere. Imo hoc unum continet capitulum ſecundum de Clericis. Agebatur ergo de appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Epiſcopum, & de Clericorum inferiorum confugiis ad finitimos. Ac proinde ruit prima nonnullorum reſponſio de appellationibus Clericorum hic tantum agi, cum certum ſit proprie non agi de illorum, ſed de Epiſcoporum appellationibus.

XVII. Secunda reſponſio eſt eorum, qui dicunt ab Africanis non eſſe rejectas appellationes Epiſcoporum ad Romanum Pontificem, ſed modum appellandi. Hæc etiam ex dictis facile diſjicitur; conſtat enim eos omnem omnino appellationem indigne tuliſſe, nec ſolum pati noluiſſe, ut Romæ judicium ferret; ſed etiam ut Legatos in Africam mitteret ad judicandam. Uno verbo: non aliud jus petebat Pontifex Romanus, quam id quod ſibi Canone ſeptimo

Digitized by Google

mo Sardicenſi indultum eſt ; ſed illud eſt valde exiguum. Ergo Africani Epiſcopi de iſto jure contendentes cum Romano Pontifice, omne omnino jus retractandarum cauſarum, quæ ad Epiſcopos ſpectant, Pontifici denegarunt ; qui enim id quod minus eſt non conceſſerunt, multo magis illud, quod majus eſt denegaſſent?

XVIII. Adverſus hæc a multis opponitur Epiſtola ſancti Auguſtini ad Cœleſtinum Romanum Pontificem, quæ olim 261. nunc 209. in ea ſanctus Auguſtinus ad Cœleſtinum nuper evectum ſcribit de quodam Antonio, quem in oppido territorii Hipponenſis, cui nomen Fuſſala, curarat ordinandum ; ſed cum is poſtea rapinarum dominationis, ac injuſtæ oppreſſionis convictus foret, non eſt tamen omni honore Epiſcopatus ſpoliatus, ſed tantum adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ, cujus curam ſicut prius geſſit Hipponenſis Epiſcopus Auguſtinus. Aſt Antonius judicium iſtud ægre ferens, ad Bonifacium confugit, & ab eo litteras obtinuit, quibus ille jubebat eum in integrum reſtitui, *ſi ordinem rerum fideliter expoſuiſſet*. Mortuo Bonifacio, Cœleſtinus prædeceſſoris ſui judicium probans, executoribus Clericis, quos tum habebat, mandaturus erat proculdubio, ut per vim, ſi aliter fieri non poſſit, Bonifacii ſententiam executioni mandarent ; quod præcavens Auguſtinus ad Cœleſtinum hanc Epiſtolam ſcribit, in qua tum Antonii cauſam exponit, tum Cœleſtinum dehortatur a propoſito.

XIX. Reſpondeo primo, hanc Epiſtolam ab eruditis non paucis Auguſtino abjudicari ; habetur enim tantum in unico codice ducentorum circiter annorum, & quidem Vaticano, ac proinde non parum ſuſpecto. In ceteris autem omnibus omittitur, ut obſervarunt ii, qui nuper Epiſtolas Auguſtini mira diligentia in lucem ediderunt, & ad innumerorum pene manuſcriptorum fidem recenſuerunt.

XX. Deinde qui in S. Auguſtini ſtilo verſatiſſimi ſunt, non parum putant hic eſſe diſcriminis ab Auguſtiniano. Certe hæc Epiſtola videtur elegantior, & Rhetoricis figuris ornatior, quam ſolent eſſe Auguſtinianæ, præterquam quod illa nec tot, nec tam crebris ſcatet verborum alluſionibus.

XXI. Reſpondeo ſecundo, nihil ex hac Fuſſalenſis Epiſcopi cauſa adverſus ea, quæ diximus de Africanorum mente, colligi. Quamvis enim Antonius Fuſſalenſis Epiſcopus per ſubreptionem a Bonifacio litteras obtinuiſſet, ut reſtitueretur ſi ordinem rerum fideliter indicaſſet ; Africani tamen Epiſcopi Pontificis Decreto non obtemperarunt, atque inter alios Auguſtinus ipſe, a quo fuerat Fuſſalenſis mulctatus, parere renuit, & hanc Epiſtolam ſtatim poſt mortem Bonifacii ad Cœleſtinum miſit, in qua obteſtatur eum per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres, ut Sedis Apoſtolicæ ſententiam per vim executioni mandari non ſinat ; unde conſtat Auguſtinum non exiſtimaſſe Romano Pontifici jus eſſe reſtituendi Epiſcopi in provincia ſua dejecti, alioquin ipſe paruiſſet ejus Decreto, nec timuiſſet, ne per vim ad id cogeretur.

XXII. Licet autem Cœleſtinus jus iſtud ſibi tribueret, a propoſito tamen, ut credibile eſt, deſtitit, nec Antonium Fuſſalenſem reſtituere, invitis Africanis, tentavit. Conſtat certe ex Epiſtola 224. Auguſtini, Antonium Fuſſalenſem non fuiſſe reſtitutum, ſed Auguſtinum hujus Eccleſiæ curam geſſiſſe. Ceterum nec Fuſſalenſis illius Epiſcopi, nec aliorum tunc temporis confugia in exemplum appellationum trahi poſſunt : hæc enim per id temporis geſta ſunt, ut recte in notis ad hanc Epiſtolam obſervatur, quo nonnulli Africani ad exemplum Apiarii Romam appellare cœperant ſub Pontificatu Bonifacii, & initio Cœleſtini, quo tempore nondum Nicæni Canones in Africam a Legatis in Orientem miſſis delati fuerant, ſtatuerantque illi tum in Epiſt. ad Bonifacium tom. 2. Conc. col. 1141. tum in Canone 4. Concilii Carthaginenſis 6. ſe Sardicenſes Canones, qui nomine Nicænorum obtrudebantur, tantiſper ſervaturos, donec comperiſſent utrum revera eſſent Concilii Nicæni, necne ; unde non mirum, ſi ſanctus Auguſtinus in hac Epiſtola Antonii Fuſſalenſis confugium

non

Digitized by Google

non omnino improbare videatur; cum ipse in Concilio Carthaginensi VI. ibidem col. 1562. nomine Numidarum, quorum Legatus erat, professus esset se memoratos Canones servaturum, *salva inquisitione Concilii Nicæni*. Verum postquam Nicæni Canones in Africam allati, compertumque, nihil in eis ejusmodi reperiri, omnes omnino appellationes irritas habuerunt Africani, nec deinceps illas fieri passi sunt.

XXIII. Nec opponas, sanctum Augustinum in hac Epistola agnoscere antiquissima esse appellationum ad Romanum Pontificem exempla, cum ait: *Existunt exempla, ipsa Sede Apostolica judicante* (*), *vel aliorum judicia firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos, quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsareensis, & clamet alius ejusdem Provinciæ Victor; & clamet tertius ejusdem Provinciæ Laurentius, &c.* Unde colligi potest, non modo tres istos post appellationem fuisse dejectos, sed & plura alia antiqua hujus rei exempla reperiri, quæ non improbaret Augustinus. Verum si hæc verba ita intelligenda forent, Epistolam hanc spuriam esse, haud dubium foret; satis enim constat Zosimi, & Bonifacii petitionem omnino novam visam esse, & antehac inauditam tum ipsi Augustino, tum ceteris Africanis Episcopis. Sed erga illam non ita fuissent affecti, si antiqua, & a suis temporibus remotissima appellationum exempla novissent.

XXIV. At si quis Augustini verba, mentemque penitus scrutetur, intelliget hæc ab Augustino oratorio more, & ad captandam Cœlestini gratiam esse dicta. Unde antiqua illa exempla minime commemorat: sed tantum recentia, quæ nihil nobis obsunt, cum, ut diximus, contigerint eo tempore, quod interfluxit ab appellatione Apiarii ad reditum Africanorum Legatorum ex Oriente. Deinde vero non dicit Augustinus, olim appellatum esse ad Sedem Apostolicam, sed tantum innumera esse exempla, quibus probetur Sedem Apostolicam *noxios Episcopos aliquando puniisse, non tamen omni honore Episcopali spoliasse, vel*, inquit, *ipsa judicante, vel aliorum judicata firmante*; judicante quidem Episcopos suæ Metropoli subjectos, aliorum judicata firmante per consensum, & approbationem, & damnatos ad se confugientes rejiciente. Nam ut observavimus, conqueritur hac Epistola Augustinus, quod Romanus Episcopus Antonium Fussalensem benigne audivisset: quare hæc exempla tantum abest, ut nobis noceant, quin imo probant Africanos Episcopos non modo Presbyterorum, inferiorumque Clericorum, sed & Episcoporum appellationes indigne tulisse. Denique non dicit Augustinus Priscum, Victorem, & Laurentium Romam appellasse, sed tantum punitos, & mulctatos fuisse, licet Episcopatu non spoliarentur. Hoc quippe in loco refellit hanc Antonii propositionem: *Aut*, inquiebat, *in mea cnthedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui*. Ut id refellat Augustinus: *existunt*, inquit, *exempla Sede Apostolica judicante, aut aliorum judicia firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopatu spoliatos, nec relictos omnimodis impunitos; quæ ut a nostris temporibus remotissima non requiram recentia memorabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsareensis Episcopus, aut ad primatum locus sicut ceteris mihi patere debuit: clamet alius ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit, nusquam nisi in Diœcesi ejus ab alio communicatur Episcopo; clamet aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejusdem Provinciæ Laurentius Episcopus, & prorsus hujus vocibus clamet: aut in Cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut Episcopus esse non debui.* Næ cæcus sit, qui non videat hæc exempla non esse Episcoporum appellantium ad

P Ro-

(*) Hoc intellige de Episcopis Metropoli, seu Diœcesi Romani Pontificis subjectis, nixus auctoritate Disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ primis vigebat Ecclesiæ sæculis; nec contrarium probare potest Christianus Lupus, cui tamen hoc probandum incumbit.

Digitized by Google

Romanam Sedem, aut Romæ judicatorum, sed Episcoporum ab ipsis Afris ex parte tantum mulctatorum, nec omnino gradu dejectorum.

XXV. Sed de his satis; nunc pauca dicamus adversus Christiani Lupi circa hæc commentationes. Longam is dissertationem instituit *de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*: (dicere debuerat de appellationibus Episcoporum Africanæ Ecclesiæ ad Romanum Pontificem) hæc quamvis grandis, & verbosa, vix tamen quidquam habet ad propositum: priora undecim ejus capita alio pertinent omnino; caput XVI. in quo enumerat errores, ut ipse putat, circa appellationes Afrorum ad Sedem Apostolicam, nullum meretur examen: igitur a decimo-septimo ordiemur.

XXVI. Primum exemplum appellationum ab Afris Episcopis ad Romanum Pontificem refertur ab eo Privati Lambesitani, quem contendit a Numidiæ Synodo ad Primatem Carthaginensem, ac deinde ad Fabianum Romanum provocasse. De isto Privato bis mentio fit apud Cyprianum, semel Epistola 29. in qua Clerici Romanæ Ecclesiæ hæc de illo aiunt: *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum pro tuo more feciſti, qui rem nobis sollicitam nuntiare voluiſti; omnes enim nos decet, pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excusare, sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipsius cohorte venisset vexillarius Privati futurus, & fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quis esset, latuit, nec litteras, quas volebat accepit.* Et iterum Epist. 54. ipse Cyprianus sic de Privato loquitur: *ut per Felicianum significavi tibi, frater, veniſſe Carthaginem Privatum veterem Hæreticum in Lambesitana Colonia ante multos fere annos ob multa, & graviora delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum. Antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani, & Donati litteris severissime notatum, qui cum causam suam in Concilio, quod habuimus Idibus, quæ proxime fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum ipse Pseudoepiscopum dignum collegio suo fecit.*

XXVII. Nemini, ut puto, ante Lupum in mentem venerat ex his aliquid in appellationum ad Romanum Pontificem gratiam inferre: primus ille suspicatus est Privatum appellasse ad Donatum; ac deinde a Donato ad Fabianum Romanum. Sed istud merum est commentum, nec enim dicit Cyprianus, ipsum ad istos appellasse; sed ab istis per litteras fuisse notatum, eumque postea confugisse ad Clerum Romanæ Ecclesiæ, ac deinde ad Synodum Africanorum utrobique fuisse rejectum, & ne quidem auditum. Quomodo hæc in exemplum appellationum trahi possint, ego prorsus ignoro.

XXVIII. Adducit secundo loco idem Christianus Lupus Novati exemplum, qui ejectus Africa Romam confugit, & illic Pseudoepiscopi Novatiani ordinationem perfecit. Hæc multis exponit Lupus; at quid ad propositum pertineant, assequi nequeo. Conatur deinceps idem scriptor respondere ad ista Cypriani verba: *cum statutum sit omnibus nobis, & æquum pariter, ac justum illic causam agere, ubi accusator, & testes, &c.* Sed quam misere, quam pueriliter hæc eludit! *Cyprianus*, inquit, *purgat aliquod singulare suæ gentis edictum*. Imo Cyprianus, ut Felicissimi appellationem irritam esse probet, legem generalem, nec Africanis tantum, sed omnibus Episcopis servandam proponit; causas in Provincia debere terminari. At, inquit Lupus: *non asserit id esse necessarium, sed æquum, ac justum*. At, inquam ego, annon istud nugari est? quasi vero non sit necessarium servare id, quod justum, & æquum, ac ab omnibus statutum. Mitto alia Lupi hanc in rem dicta, quæ seriis omnibus risum commovebunt. Nemo enim, ut puto, hæc verba, *omnibus nobis*, & ista, *oportet utique eos, quibus præsumus*, de solis Africanis intelligi debere arbitrabitur, si modo Cypriani verba legerit; de omnibus enim ille Pastoribus loquitur, *cum*, inquit, *singulis Pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat, & gubernet unusquisque rationem actus sui Domino redditurus*. Non attingam ea, quæ Christianus Lupus addit cap-

Digitized by Google

cap. 18. ſunt enim jam abunde refutata, & Paralogiſmis ubique ſcatent.

XXIX. Tertium exemplum ab eodem adductum, cap. 19. eſt Cæciliani Carthaginenſis, in cujus cauſa mire nugatur, nobis ſingulas ejus nugas perſequi non libet, nonnullas tantum exſufflabimus.

XXX. Primo, ſupponit Cæciliani ordinationem confirmatam a Romano Epiſcopo, & e contra Donati ordinationem in irritum miſſam; ſed hoc falſum eſt. Nullum enim ſuper ea re decretum a Romano Pontifice eſt emiſſum ante Synodum Romæ habitam.

XXXI. Secundo, ſupponit Conſtantinum a Donatiſtis rogatum, ut judices daret rem judicandam reliquiſſe Melchiadi, ob jus, quod ille habebat retractandorum judiciorum: atqui, ut probavimus ſupra, Melchiades non ſecus ac cæteri datus eſt a Conſtatino judex; nec hanc ſibi poteſtatem vindicavit, ut teſtis eſt Auguſtinus, & nos antea fuſe probavimus.

XXXII. Tertio, opponit nobis ſententiam Romani judicii, quam dicit ſolius Melchiadis nomine latam fuiſſe. Unde concludit jus illi ſoli fuiſſe retractandi judicii.

XXXIII. Reſpondeo ex Optato omnes Epiſcopos in judicio Romano ſententiam tuliſſe, & omnium ſententiis abſolutum fuiſſe Cæcilianum, judicium autem clauſum fuiſſe Melchiadis ſententia, qui poſt alios eam dixit: *Cæcilianus*, inquit, *omnium ſupra memoratorum ſententiis innocens pronuntiatus eſt, etiam Melchiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt*. Non ergo ſolus judicavit, ſed cum ceteris ſententiam dixit ultimo loco, ut Præſides ſolent. Porro ejus ſententia non aliter concepta eſt, quam ceteræ. *Cum conſtiterit*, inquit, *Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerant, juxta profeſſionem ſuam, non accuſari, nec a Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit Sua communioni Eccleſiaſticæ integro ſtatu retinendum merito eſſe cenſeo*. Privatam hic ſententiam aperit Melchiades, quæ juncta cum ceteris auctoritatem habebat ſola ſine ceteris non habuiſſet, tum enim mos erat in Conciliis ſingulorum ſententias exſcribi non generalem emittere, & Epiſcoporum concordantes in ſe invicem ſententiæ locum habebant generalis judicii. Unde ſubdit Optatus, *ſufficit ergo, & Donatum, tot ſententiis eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto judicio purgatum*. Judicium ſcilicet in iſtorum omnium ſententiis non in ſolius Melchiadis ſententia continebatur, in judicio quippe ſententiæ ſunt plurium & tamen unum judicium, cum omnes ſententiæ conveniunt.

XXXIV. Quarto, opponit idem Lupus dictum Auguſtini Concione ſecunda ſuper Pſalmum 36. ubi comparans cauſam Primiani contra Maximianiſtas cauſæ Cæciliani contra Donatiſtas, hæc ait; *Si innocentem te* (Primianum) *reddidit Sedes Bagaitana, quanto potius illum* (Cæcilianum) *Sedes Apoſtolica?*

XXXV. Reſpondeo Auguſtinum hic antitheſes ſectari, & idcirco Sedem Apoſtolicam opponere Bagaitanæ. At quid inde ad propoſitum Lupi effici poſſit, ego prorſus neſcio. Inde etenim non magis concludi poteſt Cæcilianum a Melchiade ſolo fuiſſe abſolutum, quam Primianum a Bagaitano Epiſcopo; ſed iſte non Bagaitani tantum, ſed plurium Epiſcoporum Donatiſtarum ſententiis eſt abſolutus? ergo ille quoque non ſolius Miltiadis, ſed & aliorum ſententiis eſt abſolutus. Deinde quid ex iſtis verbis aliud inferre poteſt Lupus niſi Cæcilianum abſolutum fuiſſe Romæ a Melchiade. At nemo id negat, verum de his controvertitur, utrum ille ſolus judicaverit & ſolius ejus auctoritate judicium ſit latum. Deinde num cauſam iſtam judicaverit, ob poteſtatem aliquam ſibi peculiarem retractandi judicii; an vero ob delegationem imperatoriam, neutrum autem probant adducta ſancti Auguſtini verba.

XXXVI. Poſt hæc capite vigeſimo Epiſtolam Auguſtini 162. in medium producit Lupus, ubi ait Auguſtinus Secundum Tigiſitanum perperam feciſſe judicando Cæcilianum non adhibito tranſmarinorum Epiſcoporum judicio, non repetemus ea, quæ de ſcopo Auguſtini hac in Epiſtola ſemel atque iterum diximus. Hoc unum in præſentiarum monemus nihil, aut ferme nihil in ea reperiri eorumquæ inde deducit Lupus. Sic exempli gratia nuſquam docet Auguſtinus Cæcilianum utpote Primatem

Digitized by Google

exemptum a judicio totius Africæ ; ſed tantum ait, conveniens fuiſſe, ut diſſidentibus Africanis Cæcilianus a Secundo non damnaretur abſens, cum præſertim communionem haberet cum Eccleſiis tranſmarinis, ſed æquius fuiſſe, ut Epiſcopis tranſmarinis judicium mitteretur ; non ob majorem illorum auctoritatem, ſed quia neutri parti ſtudebant. *Sed cur*, inquit Lupus, *Auguſtinus obſervat Cæcilianum magnæ Sedis Antiſtitem fuiſſe, quæ auctoritatem haberet.* Reſpondeo, Auguſtini eſſe ſcopum, ut jam obſervavi, oſtendere Secundum Tigiſitanum imprudenter omnino Cæcilianum damnaſſe, quia ejus damnatio plus allatura erat mali, quam boni ; cum ille eſſet ejus ſedis Epiſcopus, quæ auctoritatem haberet, quæque tranſmarinis eſſet vicina Eccleſiis : & ideo poſſet facilius ſeſe tueri illarum, ac præſertim Romanæ auxilio, & communione. Nam ſi mediocris cujuſdam, & ignobilis fuiſſet civitatis Epiſcopus, nihil periculi erat, ne communicatorias litteras haberet a tranſmarinis, quæ ſolebant ad Primates, & præcipuos Epiſcopos præſertim dirigi : at quia *Carthago*, verba ſunt Auguſtini, *cujus Cæcilianus erat Epiſcopus, erat vicina tranſmarinis regionibus, & fama celeberrima nobilis, non mediocris utique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris per communicatorias litteras eſſe conjunctum.* Auctoritas igitur Eccleſiæ Carthaginenſis ex mente Auguſtini, non in eo ſita eſt, quod ejus Epiſcopus non poſſit judicari ab Epiſcopis Africæ ; ſed quod inique, & ab inimicis judicatus abſens poterat ſe defendere communione tranſmarinarum omnium Eccleſiarum, quod facere non poſſet exiguæ, aut longe ſemotæ civitatis Epiſcopus. Ex his concludit Auguſtinus, Secundum, ſi pacis ſtudioſus fuiſſet, debuiſſe vel Cæcilianum Deo dimittere, vel tranſmarinis judicium ejus comittere pro bono pacis non ex ſtricto jure. Hæc eſt mens Auguſtini, ut quivis fatebitur, qui Epiſtolam iſtam legerit. quo ſemel obſervato, cuncta Lupi commenta ſtatim explodentur. Unum tamen intactum præterire non poſſum præ ceteris inſigne quod unuſquiſque, ſat ſcio, ſtupebit. Per Eccleſias ſcilicet tranſmarinas aſſerit Lupus ab Auguſtino, ceteriſque Africanis manifeſte ſolam Romanam intelligi, quod omnino abſurdum eſt. Eadem quippe in Epiſtola ſanctus Auguſtinus ſic loquitur : *Millia quippe collegarum tranſmarina reſtabant, ubi apparebat eos judicari poſſe, qui Afros vel Numidas collegas videbantur habere ſuſpectos*, ex quibus manifeſte patet tranſmarinarum Eccleſiarum, & regionum nomine non ſolam Romanam Eccleſiam aut civitatem ; ſed omnes omnino qui trans mare ſunt Africæ reſpectu ac præcipue Italos, Gallos, & Hiſpanos ſignificari. At inquit Lupus. *Auguſtinus per tranſmarinas Eccleſias, apud quas & Cæcilianus & Donatiſtæ debuerunt ſuam cauſam primitus agere, intelligit illam, apud quam poſtmodum cauſa iſta acta fuit, quæ manifeſte fuit Romana.*

XXXVII. Reſpondeo hallucinari eum duplici ratione. Primo, quia non ſolum Auguſtinus de his tantum Eccleſiis hic non loquitur, apud quas poſtea acta eſt cauſa Cæciliani ; ſed generatim de iis omnibus, apud quas agi poterat : *millia quippe*, inquit, *Collegarum tranſmarina reſtabant &c.* atqui non apud mille, ſed apud paucos acta eſt cauſa Cæciliani. Secundo, in eo turpiter Lupum errare, quod exiſtimet cauſam Cæciliani actam fuiſſe tantum apud Romanam Eccleſiam ; acta enim fuit apud judices tranſmarinos datos a Conſtantino, quorum tres erant e Gallia.

XXXVIII. Affert deinde Lupus quoſdam Canones Eccleſiæ Africanæ, ubi tranſmarinæ Eccleſiæ nomine videtur intelligi Romana. Verum ibi primo *tranſmarina Eccleſia* in ſingulari ponitur, non in plurali, *Eccleſiæ tranſmarinæ*. Deinde haud dubium, quin iſtis in Canonibus : *tranſmarina Eccleſia conſulatur, ad tranſmarina non provocetur*, per tranſmarinas Eccleſias intelligantur Eccleſiæ omnes trans mare ſitæ, quarum ſententiæ præcipue in negotiis gravioribus conſulebantur ab Afris ; & ſimiliter per tranſmarina judicia omnia omnino judicia extra Africam. Hoc evidenter patet ex ipſo Canone, quem Lupus ad iſtorum

Digitized by Google

rum explicationem adducit: *Litteræ mittantur ad fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maxime ad Sedem Apoſtolicam*. Licet ergo Romana Eccleſia ſit prima inter tranſmarinas, non ſola tamen eſt tranſmarina, & id dicere, inſanire eſt.

XXXIX. Sed nonnullis fortaſſe videbitur argutius id, quod idem Lupus in fine hujus capitis reponit ad hæc Auguſtini verba: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt non fuiſſe bonos judices, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari*; unde concludit Anonymus, Auguſtinum non exiſtimaſſe Melchiadis ſolius ſententiam ſupremam fuiſſe. Quid ad hæc Lupus? Reſpondeo, inquit, Anonymum ab ipſis Auguſtini verbis penitus everti. Etenim ajunt, *Cum ipſis judicibus. Proinde*, inquit, *iſtiuſmodi provocatio Pontificem non demutat in reum, aut accuſatorem, ſed permittit judicem, & non talem qualem, ſed ſupremum, ac plenum futuri Concilii Præſidem*.

XL. Reſpondeo, hic multa falſo adduci: primo falſum eſt hæc verba, *cum ipſis judicibus*, idem eſſe ac judicibus in judicio ſecundo ſedentibus, quippe agere cum judicibus, hic eſt adverſus ipſos judices. Unde addit Auguſtinus, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Secundo, dato quod judices priores ſedere debuiſſent in ſecundo judicio, quis inde probare poſſit eos ſummos eſſe judices, quin potius quis inde non probet illorum judicium in majori Synodo poſſe examinari? Tertio, ne per umbram quidem ſignificat Auguſtinus, Melchiadem eſſe debuiſſe in poſteriori judicio ſupremum ac plenum Concilii judicem. Quarto, etiamſi in eo Præſes futurus fuiſſet, an ſequitur eum ſolum eſſe judicem, ſolum ſupremam auctoritatem habere, ceteros ab eo veluti aſſeſſores, & conſiliarios adhiberi, omnem vero in eo auctoritatem eſſe. Quinto, falſum eſt Sylveſtrum fuiſſe invitatum, ut præſideret Concilio Arelatenſi, nec enim ei per Legatos præfuit, ſed Marinus, qui initio Epiſtolæ Concilii ceteris omnibus præponitur.

XLI. Immerito ergo Chriſtianus Lupus in Anonymum, quem Facultatis Pariſienſis Doctorem eſſe non neſciebat, quemque vel hoc ſolo nomine revereri debuiſſet, tot tamque atrocia maledicta congerit; nec ferre quis animo æquo poteſt de illo hic a Chriſtiano Lupo dici, quæ de traditore Juda Chriſtus olim dixit: *bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*. Quaſi vero idem ſit crimen falſo allegata Romani Pontificis jura refellere, ac Chriſtum ipſum Dominum noſtrum per ſummum nefas tradidiſſe. An non oportet eos, qui talia dicunt & ſentiunt immani vertigine laborare?

XLII. Capitibus ſequentibus demonſtrare conatur Lupus, ex Epiſtola Auguſtini de Antonio Fuſſalenſi appellationum ad Romanum Pontificem uſum in cauſis Epiſcoporum ſemper in Africa viguiſſe. Nos eam nihil ad illius propoſitum facere jam ſupra demonſtravimus, nec quicquam ille dicit, quod non fuerit a nobis disjectum. Sic verbi gratia ſupponit primo, hanc Epiſtolam eſſe genuinam, & ſtilum Auguſtini omnino ſapere. At nos docuimus ſupra, id eſſe in controverſia poſitum, & nonnullam ſtili diſſimilitudinem in ea reperiri. Illud præcipue in illa a genio Auguſtini alienum notatur, quod in fine Epiſtolæ abjecte omnino, & ignave loquitur: *Me ſane*, inquit, *quod conſitendum eſt beatitudini veſtræ in iſto utrorumque periculo tantus timor, & mœror excruciant, ut ab officio cogitem gerendi Epiſcopatus abſcedere, & me lamentis errori meo convenientibus dedere*. Hæc certe declamantis potius verba ſunt, quam Auguſtini ſerio agentis.

XLIII. Quid ad hæc reſpondet Lupus? Auguſtinum delicatæ fuiſſe conſcientiæ, ac valde timoratæ, quæ ipſum mordebat eo quod videretur indignum ordinaſſe. Atqui, ut ex hac Epiſtola liquet, nihil ille peccarat Antonium proponens ordinandum, quem indignum eſſe minime ſciebat, imo quem optimis moribus præditum eſſe noverat, cum præſertim nullum alium digniorem tunc haberet. Sed quicquid ſit de hujus Epiſtolæ veritate, quam ego nolim inter ſpurias, ſed inter dubias numerare; multa alia manifeſte ſupponit falſa Lupus, ut ex ea quid concludat.

XLIV. Secundo enim loco ſupponit, Auguſti-

Digitized by Google

guſtinum diſtinctionem feciſſe inter Clericorum, & Epiſcoporum cauſas; & idcirco tunc cum Poſſidio, & Alipio ab Aurelii partibus receſſiſſe, quod falſum eſſe infra docebimus.

XLV. Tertio ſupponit, auctorem hujus Epiſtolæ aſſerere antiqua extare exempla appellationum ad Sedem Apoſtolicam: atqui non id dicit; ſed tantum antiqua eſſe exempla Epiſcoporum non omnino dejectorum, & tamen aliqua pœna mulctatorum.

XLVI. Quarto ſupponit, ſedem Apoſtolicam judicaſſe Epiſcopos extra ſuam Diœceſim, quod probari minime poteſt ex hac Epiſtola.

XLVII. Quinto ſupponit, illud pactum, quo ſe per tempus obſtrinxerant Africani ad obſervationem Sardicenſium Canonum, donec comperiſſent, utrum eſſent Nicæni Concilii, ſupponit, inquam, illud ad ſolos Clericos non ad Epiſcopos pertinuiſſe, quod falſum eſt, cum hos potius, quam illos reſpiciat, quippe qui ſoli comprehendantur Sardicenſis Canonis ſtatutis, quæ ſibi ad tempus obſervanda propoſuerant Africani.

XLVIII. Sexto ſupponit, hanc Epiſtolam non eſſe ſcriptam anno 423. ſub initia Cæleſtini: verum ejus ad id probandum conjectura omnino futilis: *Tria* inquit, *interceſſerunt inter electionem Cæleſtini, & hanc Auguſtini Epiſtolam; relatio Primatis ad Cæleſtinum, mors Primatis Fuſſalenſis, populi ad Auguſtinum querimoniæ, ac demum Epiſtola Auguſtini, quæ omnia videntur non potuiſſe contingere intra eundem annum.* Reſpondeo, nihil obſtare quominus hæc omnia eodem anno ſint peracta. Deinde conſtat equidem ex Auguſtino, eum ſenem Primatem, qui Antonium ordinarat, fuiſſe mortuum, antequam hanc Epiſtolam ſcriberet Auguſtinus. At hunc ſub Cæleſtini Pontificatu mortuum poſt factam ad eum relationem de damnatione ejuſdem Antonii ex Auguſtini Epiſtola colligi non poteſt. Imo is, qui de damnatione Antonii ſcripſit ad Cæleſtinum, videtur fuiſſe illius ſucceſſor. Prior erat Sylvanus Zummenſis, poſterior Valentinianus Baianenſis, porro Epiſtolam eſſe ſcriptam ſub initia Cœleſtini conſtat. Primo, ex hac gratulatione Auguſtini, qua Epiſtola incipit: *primum gratulationem reddo meritis tuis, quod te in illa ſede Dominus Deus noſter ſine ulla, ſicut audivimus, plebis ſuæ diſciſſione conſtituit.* Quæ omnia deſignant Cæleſtinum recens evectum; haud enim veriſimile eſt, Auguſtinum in Cœleſtinum allocuturum fuiſſe, ſi diu poſt ejus ordinationem ad eum ſcripſiſſet, quamvis prima foret hujus ad illum Epiſtola. Nam gratulationes ejuſmodi non ſolent fieri niſi paulo poſt ordinationem. Nam poſt aliquod tempus gratulari oportet Epiſcopis, non ſolum de ordinatione, ſed etiam magis de adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum. Secundo, conſtat eam eſſe ſcriptam antequam Africa divideretur ab Italia per turbas, quæ poſt Honorii mortem anno fere 426. contigerunt.

XLIX. Tertio, apparet eam eſſe ſcriptam ab Auguſtino ſtatim poſt mortem Bonifacii, antequam Cæleſtinus quicquam adverſus Afros egiſſet. Monet enim eum, ne ſinat quicquam violenter fieri.

L. Supponit ſeptimo tertio Lupus, hæc verba *extant ejus rei exempla, Sede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quæ ut a temporibus noſtris remotiſſima non requiram, &c.* pertinere ad appellationes omnium omnino Eccleſiarum, ac præſertim Africanæ. Verum multis modis labitur. Primo enim de appellationibus intelligi non debent, ſed de judiciis, in quibus ex parte tantum mulctantur Epiſcopi. Secundo hæc: *Sede Apoſtolica judicante*, aliter non poſſunt intelligi, quam de Epiſcopis ejus Metropoli ſubjectis, aut qui ſe ipſos Romanæ Sedi judicandos præbuerant, conſentientibus accuſatoribus, & judicibus. Tertio, iſta vero: *aliorum judicata firmante*, optime intelligi poſſunt de conſenſu, & approbatione judiciorum ab aliis Epiſcopis latorum, non de illorum retractatione. Quarto, addiderat aliquis Auguſtinum reſpicere ad Eccleſias ſuburbicarias, ac fortaſſe etiam ad Illyricianas, ad quas Patriachatus Romani limites extendebantur; exclamat ad hæc Lupus, prævaricatorem hunc eſſe, & Euſebianæ factionis Michaëlis Cerularii, ac Photii errorem tranſcendere. Verum, ut oſtendimus, nullus hic error eſt; ſed antiquæ diſciplinæ genuinæ expoſitio. Denique in ultimo capite, in quo notas

ad

ad hanc Auguſtini Epiſtolam noviſſimas a doctis editoribus Auguſtini operum compoſitas vellicare fruſtra conatur, contendit Antonium Fuſſalenſem non omni adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ eſſe ſpoliatum, ſed tantum partis alicujus. At contrarium conſtat ex hac Epiſtola; nam num. 4. ait Auguſtinus, ipſum in regionis illius, cui præerat, homines vim, & rapinas exercuiſſe. Deinde num. 5. ait: *Honorem itaque integrum ſervavimus juveni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis præeſſet ulterius, cum quibus ſic egerat, ut dolore juſto eum ſibi præeſſe omnino ferre non poſſent.* Ergo honor tantum Epiſcopatus ei ſervatus eſt, & omnis adminiſtratio ablata. Unde ipſe quæritur numero 7. *aut in mea Cathedra ſedere debui, aut Epiſcopus eſſe non debui.* Quid eſt ſedere in Cathedra, niſi adminiſtrationem Eccleſiæ ſuæ habere?

LI. Addit Auguſtinus iſta, quæ nobis objicit Lupus: *quaſi nunc ſedeat niſi in ſua, propter hoc enim loca illa eidem dimiſſa, atque permiſſa ſunt, in quibus & prius Epiſcopus erat, ne in alienam Cathedram contra ſtatuta Patrum translatus illicite videatur.* Quorum verborum genuinus eſt iſte ſenſus, permiſſum eſt ei honorem, & locum Epiſcopi ſervare in Eccleſia ſua, quamvis ejus adminiſtratione ſit privatus; ne ſi omnino foret Eccleſia ſua ejectus, aliuſque in ejus locum ſubſtitutus, ſervato nihilominus Epiſcopatus honore, ad Eccleſiam illam, ad quam accederet, translatus eſſe videretur. Ex his intelligitur, quam male hæc verba intelligat Lupus.

LII. Nec melius probat adminiſtrationem Fuſſalenſis Eccleſiæ ad Auguſtinum non rediiſſe ex his hujus Epiſtolæ verbis: *Fuſſala dicitur territorio Hypponenſi vicinum Caſtellum. Antea ibi nunquam Epiſcopus fuit; ſed ſimul cum contigua ſibi regione ad Paræciam Hipponenſis Eccleſiæ pertinebat. Diſerte*, inquit Lupus, *affirmat pertinuiſſe, non pertinere.* Reſpondeo, hæc dicere Auguſtinum, quia ſcilicet agebatur, an Antonius ejus adminiſtratione recte privatus foret; adde, quod hæc adminiſtratio ad eum pertinebat (*) tantum ad tempus donec viveret Antonius. Ad id, quod objecimus ex Epiſtola Auguſtini ad Quodvultdeum nunc 224. intelligi, Presbyterum Fuſſalenſem, quem commendat Quodvultdeo, ad ejus curam pertinuiſſe, reſpondet Chriſtianus Lupus ex ſola charitate Chriſtiana pertinuiſſe; idque ſuadet ex his verbis in fine Epiſtolæ: *Non enim poſſumus neceſſitates hominum deſerere, qui noſtri non Coloni, ſed quod majus eſt, fratres ſunt, & in charitate Chriſti ad curam pertinent noſtram.* Hoc eſt, tam tuam quam meam, non enim de ſe tantum loquitur Auguſtinus, ſed de Quodvultdeo, & aliis Epiſcopis, qui Presbyteros fratres ſuos adjuvare tenentur. At inde colligi minime poteſt, Presbyterum illum Fuſſalenſem non pertinuiſſe ad Auguſtini curam ſpeciali quadam ratione. Imo cum eum commendet, eique deferendas Epiſtolas tradat, ſignum eſt, illum Diœceſeos Hipponenſis fuiſſe. Ut ut ſit, ad propoſitum iſta, vel nihil, vel parum faciunt. Oſtendendum enim fuiſſet Chriſtiano Lupo primo, Antonii provocationem ab Afris probatam fuiſſe. Secundo, judicium Romanæ Sedis executioni mandatum: ſed neutrum probat, nec unquam probare poterit.

LIII. His in anteceſſum præmiſſis, accedit Chriſtianus Lupus ad celebrem Apiarii cauſam, de hac fuſe diſſerit ſeptem, aut octo capitibus, & tamen in iis etiam accurate perlectis nihil inveni, quod mihi neceſſario refutandum eſſet: fatetur enim id, quod contendimus, Aurelium, & Africanos Præſules in Epiſtola ad Cæleſtinum ſtatuiſſe, ne provocatio fieret in cauſis tum Clericorum, tum Epiſcoporum ad Romanum Pontificem, ſed contendit eos male Nicæni Concilii Canones intellexiſſe, & a vero turpiter aberraſſe.

LIV. Duas tamen reſponſiones inſinuat, quarum altera eſt, contra Zoſimum, & Africanos primum contentionem fuiſſe non de ipſis appellationibus Epiſcoporum; ſed tantum de forma appellationum iſtarum. Altera

(*) Non quod proprie Fuſſalenſis Tractus eſſet Diœceſeos illius, ſed quia ad tempus ei commiſſa fuerat ejus cura.

Digitized by Google

rera est, Aurelium quidem in ea fuisse sententia cum aliis quamplurimis, sed Augustinum, & nonnullos alios Antistites Africanos ab Aurelii sententia dissensisse.

LV. Primum falsum esse constat ex ipso Commonitorio Legatorum Zosimi, & Afrorum responsis; ut enim monuimus, primum caput commonitorii Legatis a Zozimo dati erat de retractandis causis Episcoporum, secundum formam a Synodo Sardicensi præscriptam; sed si quæ forma tolerabilis est, maxime illa, quæ in ista Synodo est sancita, quæque non concedit potestatem Pontifici retractandi in urbe Roma judicii, sed tantum judices dandi, qui illud retractent. Si quæ autem forma retractandi judicii in causis Episcoporum Africanis placere debuisset, maxime illa, quæ non ita videtur pugnare cum solemni illorum effato, causas ibi terminandas esse, ubi crimen est admissum, & ubi testes, & accusatores reperiuntur. Cum ergo nequidem istam formam probaverint, quis dubitet eos non de forma appellationum; sed de ipsis appellationibus contendisse. Verum quid ratiociniis opus est, cum ipsimet Africani diserte testentur de ipsis appellationibus Episcoporum quæstionem esse? Legatur Epistola illorum ad Bonifacium, in qua postquam causam Apiarii exposuerunt, narrant quid inter se, & legatos a Zosimo missos sit gestum: *Nonnulla quidem*, inquiunt, *sine ullo scripto prosecuti sunt verbis; sed cum id potius flagitaremus, quod in litteris ferrent, commonitorium protulerunt, quod recitatum nobis etiam gestis, quæ secum ad vos deferent, est allegatum: in quo eis quatuor quædam nobiscum gerenda mandata sunt: unum de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem; alterum ne ad Comitatum Episcopi importune navigent; tertium de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo, & tertio ut Romam liceat Episcopis provocare, & ut Clericorum causæ apud suarum Provinciarum Episcopos finiantur jam priore anno etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis insinuare curavimus, ut ea servare sine injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni;* & deinceps, relatis duobus Sardicensis Concilii Canonibus, quorum alter est de retractatione causarum, quæ ad inferiores Clericos spectant apud finitimos Episcopos: *Nullo modo*, inquiunt, *nos talia, qualia commemorata jam nolumus, tolerare cogemur: sed credimus adjuvante misericordia Dei, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus hunc typhum passuri.* Ex hac Epistola multa discimus: primo, actum fuisse inter Zosimum, & Africanos de ipsis appellationibus non de forma tantum. Secundo, nullomodo actum esse de appellationibus Clericorum inferiorum ad Romanum Pontificem, sed de retractatione judiciorum in Clericos latorum apud finitimos Episcopos. Tertio, Africanos statuisse se ad tempus observaturos circa utrumque id, quod habebatur in Canonibus Sardicensibus, quos pro Nicænis laudabat Zozimus, donec allata essent Concilii Nicæni exemplaria e Græcia. Quarto, hæc ipsis visa esse nova, & intolerabilia. Quinto, statuisse eos se minime toleraturos aut appellationes Episcoporum ad Romanum Pontificem, aut Clericorum confugia ad finitimos Episcopos, nisi in exemplaribus Nicæni Concilii e Græcia allatis reperiretur utrumque sancitum. Porro Concilium, in quo istud sancitum est, non fuit tantum Aurelii cum paucis Africanis; sed ei Valentinus Numidiæ Primas cum Augustino, & aliis numero 217. Episcopis interfuit, fuitque plenarium, & universale totius Africæ. Imo in eo Concilio Augustinus interfatus est, Canones esse observandos salva inquisitione Concilii Nicæni, & unus fuit e Legatis, qui huic Epistolæ ad Bonifacium subscripserunt. Itaque dubium esse non debet, quin Augustinus, & alii omnes Episcopi Africani post reditum Legatorum, cum compertum est Canones istos non esse Nicæni Concilii, idem cum iis senserint, qui postea ex universali Concilio Africano scripserunt ad Cælestinum, nec Episcoporum appellationes tolerandas esse

nec

nec Presbyterorum, aut inferiorum Clericorum improba confugia esse admittenda. Deinde Augustinus, & alii omnes in Canonibus hujus Concilii statuerant de Episcopis, non secus ac de Clericis observandum esse, ne quis provocaret ad transmarina judicia. Porro dici non potest, id eos retractasse, quippe statuerant hæc Decreta firma esse futura, nisi constaret aliam disciplinam a Concilio Nicæno sancitam fuisse. Cum ergo postea compertum eis fuit nihil in Concilio Nicæno de appellationibus Episcoporum, aut confugiis Clericorum statutum fuisse, liberum ipsis non fuit Canonem istum adversus Episcoporum appellationes non confirmare. Denique quis putet, Augustinum Aurelii amicissimi, & omnium Episcoporum Africanorum causam, quam antea egregie defenderat, nunc deseruisse, cum jamjam victoriam obtinerent. Unum objicit Lupus nomen Augustini initio Epistolæ non comparere, sicut nec Valentini Numidiæ Primatis.

LVI. Respondeo, inde non sequi eos non probasse hanc Epistolam, sed ad summum non fuisse e numero Legatorum a Concilio universali Africæ deputatorum ad eam scribendam: quod quidem de Augustino videtur esse dicendum. At de Valentino non item; nam Secundus, qui in Græco Codice, & alibi dicitur Palentinus, alius esse non potest a Valentino; hanc emendationem, quam ferre non potest Christianus Lupus, nuperus Conciliorum editor adeo veram esse arbitratus est, ut in inscriptione Epistolæ reposuerit Valentini nomen, & ad marginem annotarit, Palentinus mendose.

LVII. Addit item Lupus Augustinum, & Valentinum probasse appellationem Antonii Fussalensis, quod falsum esse supra docuimus.

LVIII. Deinde observat, Aurelium nunquam in albo Sanctorum ascriptum fuisse, Augustinum e contra Romæ semper venerationi fuisse, & ab ipso Cælestino commendatum ut virum, *quem nunquam sinistræ suspicionis rumor saltem asperſit. Id*, inquit Lupus, *non solum ob rectam ejus de divinis auxiliis doctrinam, sed etiam ob ejus circa Romanas appellationes judicium dictum est*. At quis non statim rideat suspicionum ejusmodi vanitatem: Aurelius non fuit Sanctorum albo ascriptus. Quid inde? Illud ei commune est cum aliis multis Antistitibus; sed demus ei nocuisse suam contentionem cum Romanis Pontificibus, non propterea nocuit Augustino, tum quia non erat omnium Africanorum Princeps, sicut Aurelius, tum quia celebrior erat, quam ut qui prætermitti posset. Laudatur ab ipso Cælestino, & ceteris Romanis Pontificibus ejus doctrina; verum illi nominatim loquuntur de doctrina ejus circa divina auxilia, non autem de ejus mente circa appellationes Episcoporum, de quibus ille nihil suo nomine scripsit. Inanibus itaque conjecturis conatur Lupus Augustinum a communi Africanorum causa, & sententia divellere.

LIX. Posthæc usque ad Leonis tempora nullum extat appellationis ex Africa exemplum; sed hujus tempore fertur Lupicinus Episcopus ad judicium Romani Episcopi provocasse, ut testis est ipse Leo in Epistola 27. quæ nunc est prima. Hanc Epistolam contendit Quenellius esse spuriam, vel saltem in eo, quod spectat ad negotium Lupicini interpolatam. Ut ut sit, ex ipso Leone constat, Africanos hanc provocationem neglexisse: *Cum*, inquit Leo, *ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio a communione videbamus esse suspensum*. Adjectum etiam illud est, quod huic temere super ordinatus esse cognoscitur. Quare non est, quod glorietur Lupus hoc exemplo, cum ex eo confirmetur, Africanos, etiam Leonis tempore, non probasse appellationes Episcoporum ad Romanum Episcopum, & nullam illarum rationem habuisse.

LX. Quin etiam ipsius Gregorii tempore nondum in Africa satis roborata erat appellandi ad Romanum Pontificem disciplina. Quippe Bysacenus Primas Clementius accusatus apud Episcopos Afros, ab Imperatore Judices petiit. Is Romanum Pontificem nominavit, jussitque, ut ille Episcopus ad eum transmitteretur. Verum is corrupto pecunia Theodoreto, effecit, ut id minime fieret. Gregorius admonitus ab Imperatore, ut quicquid esset canonicum

Digitized by Google

faceret, cum videret *contrarietates hominum*, sunt ipsa ejus verba lib. 7. Indictione 2. Epistola 65. *hanc causam inire noluit*. At Episcopi Provinciæ Byzacenæ causam Primatis sui judicandam sibi sumpserunt: cumque ille causaretur, se Apostolicæ Sedi subjectum esse, conareturque ad eum causam trahere, Episcopi Afri ab incepto non destiterunt, & causam ejus in Concilio tractarunt. Ipseque Gregorius per litteras eos hortatus est, ut judicium de illo ferrent ex æquitate. Nec ait, eos, si perperam judicent, judicii sui rationem apud se reddituros, sed apud omnipotentem Deum. Vide ejus Epistolam 36. lib. 10. Ex quibus constat pristinam disciplinam judicandorum Episcoporum adhuc in Africa viguisse; nec morem Romani Pontificis fuisse causarum ad se trahendarum. Nam primo Clementius apud Episcopos suæ Provinciæ accusatus, non provocavit ad Pontificem; sed ab Imperatore Judices petiit, qui judicium Episcopo Romano commisit. Secundo, displicuit istud Afris Episcopis, & statim atque illis licuit Clementium Primatem ad causam dicendam vocaverunt. Tertio, cum is allegasset se Romanæ Ecclesiæ esse subjectum, nihilominus tamen ab iis judicatus est. Notanda autem hic est per trasennam regia Gregorii sententia: *Si quæ culpa*, inquit, *in Episcopis invenitur, nescio quis Episcopus ei* (Sedi Apostolicæ) *subjectus non sit, cum vero culpa non exigit, omnes secundum humilitatis rationem æquales sunt*.

LXI. Ad eundem Gregorium confugit quidam Petrus, qui fuerat Episcopus in Africa, & ab Africanis Episcopis, ut par est credere, dejectus: huius causam non satis sibi perspectam definire Gregorius non est ausus; sed ad Columbum Episcopum Numidiæ, aliosque Episcopos scripsit Epist. 30. lib. 5. in qua hortatur eos, ut Petro servarent quidquid justum, canonicumque foret: *Quatenus*, inquit, *& rectitudinis vigor a vobis in omnibus impleatur, & causa ipsius secundum Dei timorem, & Ecclesiæ videatur regulas judicata*. Hocce appellationis exemplum profert Christianus Lupus ut evidentissimum.

LXII. Ego quidem fateor Gregorium existimasse sibi potestatem esse decernendæ retractationis sententiæ in eum latæ: at contendo nullo documento probari Africanos Antistites Gregorii sententiam approbasse, & judicium Petri retractasse. Hoc Lupo probandum fuit: nec enim dubitatur, quin Romani Pontifices jus appellationum etiam ex Africa admittendarum sibi vindicarint. Sed quæstio est, utrum Afri Episcopi Romano Pontifici hac in re morem gesserint.

LXIII. Porro tertium exemplum adductum a Lupo probat, eos appellationes ad Romanum Episcopum ægre tulisse. Paulus Episcopus accusatus a Synodo Numidiæ, & ab ea excommunicatus, cum vellet Romam ad Pontificem confugere, a Gennadio Patricio, & Afris Episcopis est prohibitus. Effugit tamen, & post biennium Romam pervenit. Statim adversus eum litteras ad Gregorium misit Gennadius, cumque Gregorius in Paulum esset propensus, Cancellarium suum Romam misit cum tribus testibus: at ei in mandatis dedit, ne Romæ adversus Paulum accusationem intenderet. Tum Gregorius nolens ferre judicium, Paulum Episcopum cum aliis duobus Episcopis, qui Romam venerant, in urbem Regiam ad Imperatorem abire permisit. Post illorum discessum, Romam pervenerunt Columbi Africani Episcopi litteræ, quibus significavit Gregorio ea, quæ acta erant in Paulum, eumque monuit adeo displicere Africanis potestatem illam, quam ille sibi arrogabat appellationum admittendarum, ut secum inimicitias susceperint, propterea quod frequentius ab eo litteras acciperet: hujus rei testis est Gregorius: *Quod enim*, inquit, *multorum inimicitias ob hoc, quod nostris vos frequentius Epistolis visitamus, pati dicitis, &c.* Inde constat, quantum invisa fuerit Africanis Episcopis, etiam ævo Gregorii, potestas illa admittendarum appellationum in causis Episcoporum, quam sibi arrogabant Romani Pontifices.

LXIV. Affert deinde Christianus Lupus nonnulla exempla Clericorum, qui a suis Episcopis vexati confugerunt ad Gregorium. Verum hæc nihil istum juvant. Primum enim, non probat Episcopos Africanos

Digitized by Google

canos istud approbasse. Deinde, nunquam Gregorius Clericorum ad se confugientium causam judicavit; sed eos ad judicium Synodi Provincialis remisit, nec alia ratione eos juvit, quam Epistolis commendatitiis, quibus Primatem, & Episcopos Provinciæ hortatur, ut quod æquum est judicent. Falsum autem est id, quod supponit Lupus, Gregorium istorum cognitionem ad se delatam delegasse Judicibus in Provincia; nec enim Gregorius Judices istos eligit, aut eis potestatem dat judicandarum causarum, quæ pertinebant ad Clericos, qui ad se confugerant; sed Clericos remittit ad suos Judices proprios, & naturales, ut illic judicentur. Legantur Epistolæ a Lupo citatæ lib. 1. Epist. 22. lib. 2. Epist. 33. lib. 10. Epist. 32. & 33. in quibus occurrunt hæc confugientium Clericorum exempla, & nihil invenietur in eis, quod aliud probet, quam id, quod a nobis est explicatum. Sed hæc de Ecclesiæ Africanæ appellationibus ad Romanum Pontificem dicta sufficiant: nunc de Gallicanæ Ecclesiæ disciplina disseramus.

De causis Gallicanorum Episcoporum a Zosimi Pontificatu usque ad Leonis, & Hilarii Arelatensis contentionem.

ZOsimus Pontifex dignitatis suæ amplificandæ perquam studiosus primam causæ Proculi Massilienſis cognitionem ad se trahere, eumque de Episcopatu dejicere conatus est, instante Patroclo Arelatensi. At factum istud in exemplum appellationum trahi minime potest, cum primam causæ hujus cognitionem ad se traxerit Pontifex, etiam contra Sardicensis Concilii sanctiones, quas aperte violavit.

II. Deinde nec Proculus, nec Episcopi Gallicani Pontificis sententiæ paruerunt; sed ille Sedem suam retinuit, & hi causam ejus probaverunt, ut erudite admodum probat Quenellius Dissertatione quinta apologetica pro S. Hilario cap. 16.

III. Primum enim Proculum ad Romani Pontificis tribunal, quo vocabatur, non accessisse constat ex Epistola Zozimi ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis tom. 2. Conc. col. 1570. in qua de Proculo sic conqueritur post examinatam, & discussam ejus causam: *licet ipse diu*, inquit, *expectatus fastidiose ferens sibi inducias attributas convenire dissimulet.*

IV. Secundo, Episcopi Gallicani depositionem Proculi ratam non habuere, ut colligitur ex ejusdem Zozimi Ep. ad Massilienses ibid. col. 1573. *Non miror*, inquit, *Proculum inconsueta fronte adhuc durare . . . . . ut toties commonitus prohibituſque non cesset*: Et postea addens: *sibi*, inquit, *jungit inquietæ mentis homines, & qui soli possunt favere damnato.* Hos autem, quos Zosimus inquietæ mentis homines appellat, Episcopos fuisse ex eo colligit Quenellius, quod his cessit Patroclus, nec Proculum exturbare potuit, ut constat ex ejusdem Zosimi Ep. 11.

V. Denique Proculum in Episcopatu permansisse constat ex Epistola Cælestini ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis 18. in qua accusatur consensisse ad necem fratris sui: *Massilienſis vero Ecclesia Sacerdotem*, inquit, *qui dicitur, quod dictu nefas est, in necem fratris sui taliter gratulatus, ut huic, qui ejus sanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus occurreret.* Hunc ipsum Proculum Massilienſem hanc calumniam passum esse apud Cælestinum verisimile est occasione necis Patrocli, qui a tribuno quodam Barbaro circa hæc tempora occisus est ad jussionem occultam, ut Prosper scribit, Felicis magistri militum. Hæc Quenellius, quibus nos addimus non solum a Gallis Zosimi judicium in Proculum ratum habitum non esse, sed & ab Augustino, & aliis Afris, qui anno Christi 427. miserunt ad eum libellum retractationis Leporii Monachi, tanquam ad Episcopum fratrem, & communione sibi junctum. Quin etiam Hieronymus Ep. ad Rusticum versus finem Proculum ubique celebrem fuisse attestatur, quippe Rustico Monacho juniori Hieronymum jam seniorem consulenti de vitæ suæ instituendæ ratione, respondet Hieronymus: *habes istic sanctum, doctissimumque Pontificem, qui viva, & præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque admonitionibus iter tuum dirigat*; ex his intelligere est, quam parvi facta fuerit ubique Zosimi

Digitized by Google

in Proculum ſententia.

VI. Unum ad hæc Lupus reponit, Proculum graviter equidem peccaſſe non parendo Zoſimi mandato, ſed eumdem *deinceps apud Bonifacium queſtum eſſe de Zoſimi judicio, expoſuiſſe cauſas ſuæ non comparitionis, & impetraſſe non duntaxat ſui gradus reparationem, ſed inſuper dignitatis Metropoliticæ.*

VII. Reſpondeo, hæc omnia eſſe commentitia, & gratis conficta. Bonifacius enim Zoſimi quidem decreta in gratiam Arelatenſis Epiſcopi reſcidit, & Sedis hujus auctoritatem a Zoſimo approbatam imminuit. At nihil ſpeciatim de Proculo Maſſilienſi ſanxit, imo conſtat ex Epiſtola Cæleſtini adducta, hunc ſemper inviſum fuiſſe Romanis.

VIII. Protulerat deinde Quenellius Lazari Aquenſium Epiſcopi exemplum, qui damnatus in Synodis Galliæ non provocavit ad Pontificem. Reſpondet Chriſtianus Lupus, primum huic jungendum Herotem Arelatenſem, qui ſimul cum Lazaro e Gallia ejectus eſt. Verum diſpar utriuſque eſt cauſa; nam Heros nullius criminis eſt accuſatus; ſed vir ſanctus fuit Martini diſcipulus, qui a populo Arelatenſi inſons ejectus eſt. At Lazarus, ſi fideshabeatur Zoſimo Ep. 4. cum etiamnum Clericus Britium Epiſcopum Turonenſem falſo accuſaſſet, in Synodis Gallicanis ac præcipue in Turonenſi damnatus eſt ab ipſo Proculo, qui tamen Proculus poſt aliquot annos eundem Lazarum Aquenſium ordinavit Epiſcopum, eo tempore, quo Conſtantinus quidam Tyrannus Gallias occuparat. Poſt ejus necem coactus eſt Lazarus aufugere, & cum Herote in Palæſtinam ſeceſſit: ex quibus evidenter conſtat, Lazarum nec primo damnatum in Synodo Turonenſi, nec poſtea ejectum Romam provocaſſe. Quod autem ait Chriſtianus Lupus, Herotem, & Lazarum appellaſſe ad Pontificem, & ab eo damnatos fuiſſe, falſum eſt: namque de iis hoc Cæleſtinus tantum ait: *Ubi de Epiſcopatu abdicando agitur, maria, terraſque luſtrant, nec ulla ſuffragia prætermittunt.* Quæ verba oſtendunt, eos ad Romanum Pontificem non provocaſſe, nec eum adiiſſe, ut reſtituerentur, ſed omnium ubique Epiſcoporum ſuffragia ſollicitaſſe.

IX. De Urſi, & Tuentii cauſa illud tantum monemus, neutrum appellaſſe ad Romanum Pontificem; ſed Urſum damnatum a Proculo, ab eodem poſtea fuiſſe ordinatum; Tuentium vero ab aliis, tum ob malos mores, tum ob Priſcilianam hæreſim damnatum Romam perrexiſſe, ibique ab errore reſipuiſſe, & poſt hæc ordinatum fuiſſe ab eodem Proculo. Hos igitur velut illegitime ordinatos pro Epiſcopis habendos non eſſe ſcribit Zoſimus, non vero eorum cauſam tanquam ad ſe devolutam per appellationem ſibi vindicat.

X. A Bonifacio Zoſimi ſucceſſore Valentini Epiſcopi cauſam ad Provinciæ Synodum remiſſam fuiſſe notarat Quenellius; hoc exemplum ad ſe trahere conatur Lupus, & in hac cauſa duo præcipue obſervat. Primum eſt, cauſam Maximi delatam fuiſſe ad Pontificem: alterum, ad remiſſionem ejus ad judicium Provinciæ eſſe velut quamdam delegationem.

XI. Reſpondeo, Valentinos Clericos ob eas, quæ tum erant inter Epiſcopos Narbonenſis Provinciæ de Primatu contentiones, recta Romanos Pontifices adiiſſe, & ſuum Epiſcopum apud illos accuſaſſe. Verum ab iſtis cauſam ſemper eſſe remiſſam ad Synodum Provinciæ, cujus erat ea de re judicare. Porro iſtud non eſt delegatio, cum in delegatione certi judices aſſignentur, non ſimpliciter partes remittantur ad ſuos judices proprios. Adde, quod Bonifacius ita decretum ſuum concipit, ut ſignificet judicium Valentini Epiſcopi ex communi jure, non ex delegatione pertinere ad Synodum Provinciæ: *Decrevimus*, inquit, *veſtrum debere intra Provinciam eſſe judicium;* quod concinit cum eis, quæ dixerat antea in ſimili cauſa Siricius: *Advertimus nobis judicandi formam non competere, veſtrum eſt, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiamferre de omnibus.*

XII. Notarat Quenellius, videri Cæleſtinum cauſam Danielis cujuſdam ad ſe evocaſſe, ſed hoc in exemplum trahi non poſſe, quia is erat homo, qui ab Orientalibus, apud quos multa flagitia perpetrarat, accuſatus fuerat apud ſummum Pontificem.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Reſpondet Chriſtianus, hunc tamen Gallicanum Antiſtitem fuiſſe, ac proinde exemplum hoc eſſe Epiſcopi Gallicani ad judicium Romani Pontificis vocati. Reſpondeo, hunc fuiſſe vocatum a Pontifice ad judicium antequam ordinaretur Antiſtes Gallicanus. Nam in Pontificis *dignitatem*, inquit Cæleſtinus, *hoc tempore, quo miſſis a nobis litteris vocabatur, obrepſit*; quapropter Epiſcopos Gallos monet, ut eum utpote illicite, & antequam purgaretur a criminibus ſibi objectis ordinatum a communione ſua ſegregent: *A ſanctitatis veſtræ cœtu*, inquit, *ſe noverit ſegregatum: qui ſe noſtro judicio debet objicere, ſi conſcientiæ ſuæ novit confidentiam ſe habere*. Itaque Cæleſtinus non vocavit Gallicanum Antiſtitem ad judicium, ſed Presbyterum Orientalem fugientem, & a ſuis apud ipſum accuſatum; quem illegitima ordinatio facta poſt vocationem eximere non poterat ab agenda cauſa apud eum, cui ab Orientalibus judicium erat delatum. Et certe idem Cæleſtinus Maſſilienſis Epiſcopi cauſam non ita ad ſe trahit, ſed eadem in Epiſtola eam Epiſcopis Provinciæ judicandam committit.

XIV. Sub Sixto III. anno 439. Armentarius Ebredunenſis civitatis contra Canones Epiſcopus ordinatus a Synodo Regenſi in ordinem eſt redactus, ipſo nec per appellationis libellum reclamante, nec Canones Sardicenſes in patrocinium vocante: id obſervarat Quenellius, cui ſilentio ſuo conſentit Lupus.

XV. Pervenimus nunc ad Leonis tempora, quem nemo neſcit mirum in modum laboraſſe, ut Sedis Romanæ auctoritatem, & privilegia in majus augeret, & aliorum Epiſcoporum poteſtatem imminueret. Verum non ſemper ille quidquid petebat obtinuit, id probant exempla, de quibus deinceps dicturi ſumus (*).

De cauſa Celidonii, & Hilarii Arelatenſis.

DE Celidonii, & Hilarii cauſa nihil addi poteſt iis, quæ de illa ab erudito viro Quenellio dicta ſunt in diſſertatione Apologetica pro S. Hilario ad finem operum Leonis: nos ea tantum in pauca conferemus, & Lupi adverſus iſtum objectiones refellemus.

II. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, qui Viennenſis Provinciæ Eccleſias ſuæ Metropoli ſubditas eſſe contendebat, in ſuis Paſtoralibus excurſibus Celidonium hujus Provinciæ Epiſcopum, ut oſtendit Quenellius, accuſatum olim intemptam ſuo adhibuiſſe conſortio, & ſæculari præfectura perfunctum, antequam ſacris initiaretur, aliquos extremo damnaſſe ſupplicio, indicta Synodo Epiſcoporum, auditis teſtibus, de Epiſcopatu dejecit. Celidonius in Synodo damnatus urbem Romam ad Leonem contendit, ibique conqueſtus eſt, ſe injuſto rigore damnatum. Hoc ubi comperit Hilarius, Celidonium Romam ſubſequitur, *& Apoſtolorum, Martyrumque occurſu peracto*, inquit Honoratus, *Beato Papæ Leoni ſe illico præſentat cum reverentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, ut Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret, aſtruens aliquos apud Gallias publicam merito excepiſſe ſententiam, & in urbe ſacris altaribus intereſſe. Rogat atque conſtringit, ut, ſi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit, ſecreto jubeat emendari: ſe ad officia non ad cauſam veniſſe, proteſtandi ordine, non accuſandi, quæ ſunt acta ſuggerere. Porro autem, ſi aliud velit, non futurum eſſe moleſtum*. Non ſtatim tamen urbe Roma diſceſſit

(*) Quod S. Leo controverſiam de jure metropolitico inter Hilarium, & Celidonium cognoverit, non videtur ſatis cauſſæ eſſe, cur tantopere in R. Pontificem ſanctitate, & doctrina Clariſſimum Auctor invehatur. Et ſane Celidonius ipſe in Synodo Arelatenſi damnatus urbem Romam ad Leonem contendit. Cauſſa igitur ad Leonem delata eſt, non ipſe Leo cauſſam ad ſe traxit. Tum Auctor ipſe concedit aliquando bono pacis fuiſſe Epiſcopalia judicia Romano Pontifici reſervata; uti in cauſſa Cæciliani ætate Auguſtini pag. 154. & 158. Profecto *ſi bono pacis*, & loquitur Optatus Millev. *& ut ſchiſmatis tolleretur occaſio* R. Pontifex, tanquam Petri Succeſſor, & Primatum in Eccleſia tenens, jure officii ſe difficillimis Eccleſiæ rebus immiſcet, non video, cur bono pacis non potuerint aliquando R. Pontifici Epiſcopalia quædam judicia reſervari?

Digitized by Google

ſceſſit, ſed in Synodo nunquam voluit communioni Celidonii conjungi, & antequam cauſa ejus retractaretur, Roma diſceſſit, ne iſtius Synodi judicium videretur agnoſcere. Poſt ejus diſceſſum Leo Celidonium abſolvit, & reſtituit. Poſt hæc ad Viennenſes, & Gallos Epiſcopos ſcripſit, & per litteras Hilarium omni Metropolitico jure privavit. *Abſolutus eſt*, inquit Leo cap. 1. *Celidonius Epiſcopus, quoniam ſe injuſte ſacerdotio fuiſſe dejectum manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente, monſtraverat; manifeſſet namque in illum prolata ſententia, ſi objectorum veritas extitiſſet.* Hæc de Celidonio; & de Hilario ſic deinde ſtatuit: *Hilarius ultra non audeat conventus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini judicia ſe inſerendo turbare: qui non tantum noverit ſe ab alieno jure depulſum; ſed etiam Viennenſis Provinciæ, quam male uſurpaverat poteſtate privatum:* & infra: *cum ſuæ tantum civitatis Sacerdotium illi pro Sedis Apoſtolicæ pietate præceptio noſtra ſervaverit, non ergo interſit ulli ordinationi, non ordinet, qui meriti ſui conſcius cum quæreretur ad cauſam, turpi fuga ſe crediderit ſubtrahendum, exors Apoſtolicæ communionis, cujus particeps eſſe non meruit.* Ex iis conſtat, Metropolitico jure privatum fuiſſe Hilarium a Leone, non autem depoſitum, ut nonnullus ſomniavit. Porro S. Leo cernens hoc inceptum ſuum novum eſſe, & ſententiam ſuam in Gallia nullam vim habituram, Reſcriptum a Valentiniano obtinuit, quo mandatur Ætio, ut judicium illud executioni demandet. Perſtitit tamen Hilarius in ſententia ſua, & quamquam ſtuduerit Pontificem delinire, nunquam tamen ſententiam in Celidonium revocavit, aut Leonis judicio acquievit. Hæc eſt integra hujus cauſæ hiſtoria tum ex Leone, tum ex Honorato. Ex qua conſtat primo, de appellationibus concertationem fuiſſe inter Leonem, & Hilarium. Secundo, Gallicanos Antiſtites exiſtimaſſe Leonem jus non habere retractandorum judiciorum in Provincia latorum. Tertio, Leonem opus habuiſſe lege imperatoria, ut poſſet ejus judicium in Gallia executioni mandari.

III. Scio equidem S. Leonem in eadem Epiſtola contendere, novum non eſſe iſtud jus his verbis: *Nobiſcum*, inquit, *veſtra fraternitas, recognoſcat Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ Provinciæ Sacerdotibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata eſſe judicia.* Verum hic duo confundit Leo, quæ diſtinguenda ſunt. Relationes quippe, & conſultationes non diſtinguit ab appellationibus; at verum eſt equidem, conſultos fuiſſe ſæpe Romanos Pontifices, iiſque relatum de rebus gravioribus, præſertimque in cauſis fidei, vel dubiæ diſciplinæ. Unde ſanctus Hieronymus in Epiſtola ad Ageruntiam teſtatur ſe apud Damaſum Romæ operam dediſſe, ut variis Orientis, atque Occidentis Conſultationibus reſponderet. Idem quoque conſtat ex reſponſis Siricii, Innocentii, & aliorum Leonis prædeceſſorum. Has conſultationes, ſeu relationes Innocentius I. ait, unam eſſe eamque maximam e curis quibus Pontifices Romani occupantur: *Inter ceteras*, inquit in reſponſione ad Epiſcopos Concilii Milevetani tom. 2. Conc. 1287. *Romanæ Eccleſiæ curas, & Apoſtolicæ Sedis occupationes, quibus diverſorum conſulta fideli ac medica diſceptatione tractamus.*

IV. Sed iſtud privilegium non fuit peculiare Epiſcopi Romani, licet in eo fuerit eximium ob Primatum ejus, majoremque Sedis Romanæ auctoritatem. Namque videmus Cyprianum, Athanaſium, Baſilium, Gregorium, Nazianzenum, Auguſtinum, & alios Antiſtites inſignes ab omnibus orbis partibus conſultos fuiſſe.

V. Nec vero Romani Pontifices ita conſulti præſumebant aliquid novum decernere, ſed id unum reſponſis ſuis præſtare conabantur, ut Canonum, & antiquæ traditionis diſciplinam obſervandam proponerent. Id teſtatur Innocent. Epiſt. ad Victricium tom. Conc. 2. col. 1250. *non quo nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen Apoſtolica, & Patrum Conſtitutione ſunt conſtituta.* Hinc ſanctus Leo ſua, & majorum ſuorum reſponſa de Canonum promulgata eſſe diſciplinis perhibet, & ſuam ſollicitudinem eo tantum extendit, ut ne quid

Digitized by Google

quid liceat novitati.

VI. Est etiam aliud genus relationum, quibus solebant Antitistes sibi invicem ac præsertim Episcopis magnarum Sedium significare, tum ea quæcunque gravioris momenti contingebant, tum etiam Episcoporum alicujus nominis, ad quos scribebatur, depositiones, ut scirent, quibus esset impertienda communio, & quibus deneganda. Relationum hujusmodi ad omnes Episcopos præsertim ad Episcopos magnarum Sedium innumera extant exempla; nec omnino immerito sanctus Leo videretur ejusmodi relationes sibi vindicare. Æquum enim est, & in more semper positum fuit, ut primus Episcopus de gravioribus judiciis certior fieret.

VII. Quantum vero ad appellationes in causis Episcoporum, retractata, aut confirmata fuisse a Sede Apostolica judicia in eos in Provinciis lata non solum non videmus, sed contrarium in more positum fuisse ante S. Leonis tempora ex dictis satis liquet. Unde in hac Epistola humani nonnihil passus est S. Leo, plus justo commotus in Hilarium, quem tanquam mente *tumidum*, *verbis arrogantioribus elatum*, *ac pro more suo mentientem* traducit.

VIII. Objicit Christianus Lupus istam Valentiniani legem, in qua Imperator mirifice extollit auctoritatem Pontificis Romani: *His talibus*, inquit, *& contra Imperii majestatem, & contra reverentiam Apostolicæ Sedis admissis . . . & erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceat?* Ubi, inquit Lupus, asserunt Imperatores, se confirmare tantum antiquam consuetudinem, nec donare istud privilegium Romanæ Ecclesiæ, sed debitum roborare.

IX. Respondeo, legem Imperatoris ad Leonis preces concessam fuisse inauditis Gallicanis Episcopis, eique fidem adhibitam fuisse ab Imperatoribus, dicenti se Episcoporum Gallicanorum judicandorum jus ex antiquo habere. Quare hoc edictum Valentiniani pluris fieri non debet, quam ipsa auctoritas Leonis, qui in sua causa judex esse non potest.

X. Objicit idem Lupus Epistolæ Aviti Viennensis verba ad Faustum, & Symmachum Senatores Romanos, quæ sic incipit: *Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem orbi venerabilem pro rependendis divinis humanisque expeteremus officiis.*

XI. Respondeo, illum, qui hujusmodi argumentis utitur satis prodere, se causam pessimam defendere, etenim non loquitur hic Avitus de judiciis, aut appellationibus Episcoporum, sed ait sibi, suisque Collegis Romam eundum esse, ut Symmacho opem ferrent.

XII. Objicit tertio capitula Ludovici Pii, in quibus appellatio conceditur ad Romanum Pontificem in gravioribus causis, & Episcoporum secundum antiquam traditionem, atque Canonum auctoritatem.

XIII. Respondeo traditionem appellandi inoleviſse a Leonis Pontificis temporibus, Canones autem illos, de quibus hic mentio fit, esse Sardicenses.

XIV. Objicit quarto ipsum Hilarium pœnitentiam egisse, at illud nequaquam probat. Nam Honoratus equidem testis est eum misisse Romam Legatos. Primo Ravennium, ac deinde Nectarium, & Constantium, ut sua humilitate placaret Pontificis animum. At non propterea a sententia sua recessit, imo ex Epistola Auxiliaris Præfecti ad Hilarium, quam refert Honoratus contrarium constat, sic scribit ille: *Locutus sum cum* S. Papa Leone, *hoc loco credo aliquantum animo perhorrescis, sed cum tui propositi tenax sis, & semper æqualis*, inde is ea postea consulit, ut mollius loquatur, *cum aures Romanorum quadam teneritudine plus æquo trahantur*. Has Auxiliaris laudes extenuat quantum potest Christianus Lupus, sed hac de re nihil dico. Sufficit, ut ex his constet Hilarium semper æqualem. *At*, inquit Lupus, *ni palinodiam cecinisset Hilarius, nunquam eum Ecclesia Romana inscripsisset suis sanctorum tabulis*,

XV. Respondeo, hic æquitatem Ecclesiæ Romanæ perspici, quæ noluit sanctissimum Antistitem ea, quam merebatur laude fraudari, licet privatas habuisset cum Præsule Romano lites.

XVI. Post hæc capite quinto varias quæstiones

ſtiones tractat Chriſtianus Lupus, quarum nonnullæ a nobis ſunt excutiendæ.

XVII. Primo ait, Hilarium nec Primatum Pontificis denegaſſe, nec Provincialis Synodi auctoritatem inconcuſſam eſſe arbitratum, nec ἀυτοκεφαλείαν induxiſſe, ſed tantum conqueſtum, quod Eccleſiarum ſtatum Pontifex perturbaret, quodque ſineret Epiſcopos in urbe Roma altaribus intereſſe, qui publicam in Gallia merito ſententiam tulerant. Unde concludit Chriſtianus Lupus, Hilarium non abſtuliſſe appellationes Pontifici, ſed tantum duo circa appellationis modum prætendiſſe. Primo, ne appellationi ſuſpenſivus effectus tribueretur.

XVIII. Secundo, ne retractationum judicium Romæ fieret in tribunali Apoſtolico.

XIX. Reſpondeo primo, his duobus ſublatis auferri appellationem, & reviſionem tantum concedi. Secundo, plus poſtulaſſe Hilarium, nempe ut inconcuſſum eſſet Synodi in Celidonium judicium, nec a Leone ullo modo refricaretur. Unde cum Romam ille venit, non petiit ut Pontifex judices in Gallia daret, utque examinaret, num cauſa eſſet retractanda, ſed palam edixit, *ſe ad officia non ad cauſam veniſſe proteſtandi ordine, non accuſandi*. Non petiit, ut Epiſcopi illi depoſiti in Gallia iterum judicarentur? ſed conqueſtus eſt abſolute, eos, qui judicati erant, ac damnati, in communionem a Leone contra Canones ſuſcipi. Itaque omnem omnino retractationem, aut reviſionem judicii a Pontifice fieri poſſe non eſt arbitratus, ſed ultimum exiſtimavit eſſe Synodi Provinciæ judicium. Unde nunquam poſt hæc cum Celidonio voluit communicare. Adde, quod S. Leo queritur Hilarium appellationes ipſas, & retractationes non admiſiſſe, & ita Viennenſis Provinciæ Epiſcopos ſuæ poteſtati ſubdere voluiſſe, ut ſe *beato Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum*.

XX. Ait ſecundo Chriſtianus Lupus victorem fuiſſe Leonem, ejuſque ſententiam executioni fuiſſe mandatam, & Celidonium in Epiſcopatu permanſiſſe. Fatetur tamen id a ſe ad oculum oſtendi non poſſe. Verum etiam ſi id darem, nihil inde in præjudicium Gallicanæ Eccleſiæ inferretur. Nam id per vim factum fuiſſet ex Imperatoris mandato, reſiſtente quantum fieri potuit Hilario, & verbis cauſam ſuam defendente. Illud certe conſtat, Arelatenſem civitatem poſt mortem Hilarii Metropolitico jure non fuiſſe privatam, ut oſtendit Quenellius cap. 8. & 9. partis primæ diſſertationis ſuæ de ſancto Hilario.

XXI. Affirmat deinde Lupus, Hilarium fuiſſe Romam revocatum a Pontifice ad judicium. Sed id ab eo ſupponitur, & probari nullo poteſt argumento. Ultima Lupi obſervatio eſt de auctore vitæ Hilarii: tribuitur illa Honorato Maſſilienſi in Catalogo Gennadii; & quamvis in nonnullis Gennadii Mſſ. ille ſcriptor prætermittatur, attamen vix quicquam dubii eſſe poteſt, quin iſta ſint Gennadii. In vetuſto Mſſ. tribuitur Reverentio Hilarii ſucceſſori. At nullus eſt ejus nominis Hilarii ſucceſſor, Ravennium autem, qui Reverentii nomine ſignificari poſſet, hujus ſcriptorem non eſſe perſpicuum; quare nulli melius, quam Honorato Maſſilienſi tribui poteſt hoc opus. Verum cujuſcunque tandem ſit ſcriptoris, eſt docti, pii, & antiqui, qui res Hilarii optime noverat.

XXII. Ceterum in hac Celidonii cauſa ſanctus Leo in Canones etiam Sardicenſes multis modis peccavit, ut obſervavit Quenellius. Primo enim cauſam iſtam Romæ judicavit contra Synodi Sardicenſis ſtatutum, quæ jubet ut in Provincia cauſæ retractentur. Secundo, abſque priorum judicum communione illam retractavit, quod etiam eſt contra ejuſdem Sardicenſis Concilii mentem, ut oſtendimus. Tertio, Celidonium damnatum, communionis ſuæ participem fecit, & ſacris altaribus intereſſe paſſus eſt ante cauſam ejus retractatam, quod Nicæni Concilii Canone 5. Eliberitani c. 53. Arelat. 1. Can. 16. Taurinenſis Can. 7. Araſic. 1. c. 11. Arelatenſis 2. Can. 8. Innocent. 1. Epiſt. ad Victr. diſtricte prohibetur; nec Sardicenſis Concilii Canonibus permittitur. Quarto, edictum obtinuit ab Imperatore Valentiniano Regulis Eccleſiaſticis omnino contrarium, quod privilegiis, & libertatibus Eccleſiarum maxime derogat.

XXIII. Ab his omnibus Leonem purgare conatur Chriſtianus Lupus. At non negat

Digitized by Google

negat eum sic egisse, sed contendit id juris Romanum Pontificem non modo ex Sardicensibus Canonibus, sed ex Apostolica traditione habere; quod cum abunde huc usque refutatum sit a nobis, non est, quod hic diutius immoremur.

De nonnullis causis Illyrici.

NUlla est regio extera, in quam tantum auctoritatis sibi tribuerint Romani Pontifices, ac in Illyricum. Non mirum ergo si nonnulla extent appellationum ex Illyrico exempla, imo mirum magis est, nullum ferme ex iis reperiri, ex quo non constet, Episcopos Illyrici appellationes istas indigne tulisse.

II. Sub Innocentii Pontificatu Bubalius, & Taurianus damnati in Illyrico ad Pontificem hunc confugerunt. Sed quamvis causa illorum ab eo retractata iterum damnati sint; ægre tamen istud Innocentii factum Illyriciani tulere, & per litteras bis apud ipsum conquesti sunt. Constat ex ejus Epistola 6. *Mora*, inquit, *Coepiscoporum Maximiani, & Eumenii, vel potius importunitas temporum fecit, ut vos iteraretis de Bubalio, & Tauriano querimoniam;* & postea: *grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris cujuscunque retractari judicium, quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in luce.*

III. Ad satisfaciendum Illyricianorum querimoniis non allegat Innocentius specialem Sedis suæ prærogativam, nec Sardicenses Canones in medium profert; sed tantum dicit, grave videri non debere Episcopis, si judicium suum ab aliis retractetur, quia inde veritas magis elucescit.

IV. Cetera fere omnia appellationum ex Illyrico exempla desumuntur ex Epistolis Pontificum, quæ recitatur in actis Concilii Romani sub Bonifacio II. anno 431. quæ primum edita sunt ab Holstenio ex Mss. Codice Bibliothecæ Barberinæ, quæ monumenta nonnulli in dubium revocant, sed, dato quod vera sint, de singulis exemplis pauca juvat observare.

V. Primum est Perigenis Corinthi Helladis Metropolitæ, qui cum a Patrensibus, a quibus ordinatus fuerat Episcopus, communi totius populi consensu rejectus foret, Corinthi, ubi natus erat, habitavit solo Episcopi honore contentus. At post mortem Episcopi hujus urbis in ejus locum constitutus est. Hanc ordinationem confirmavit Bonifacius, & Rufo Thessalonicensi mandavit, ut Perigenem adversus Illyricianos Episcopos, qui ordinationem ejus veluti translationem aversabantur, defenderet; at Illyriciani nihil his moti statuerunt Synodum convocare ad examinandam Perigenis causam. Id piaculum visum est Bonifacio, qui propterea Græciæ Episcopos grandi Epistola objurgavit, & ne id facerent, multis minis deterruit: quin etiam Imperatoris Honorii auctoritatem interposuit, ut a fratre Theodosio rescriptum obineret per quod Illyricum potestati Romani Pontificis subjicitur. Verum ista lex non videtur robur habuisse, nec enim Codici Theodosiano est inserta, sed alia plane contraria data ab eodem Theodosio anno 413. qua Illyricum *secundum pristinos Ecclesiasticos Canones regi præcipit*, hoc est a Metropolitanis, & in causis dubiis referri jubet ad Sedem Constantinopolitanam: *tum si quid*, inquit, *dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis Antistitis urbis Constantinopolitanæ*. Itaque si vera est lex illa, quæ tantum refertur in Concilio Romano sub Bonifacio II. lata tantum est a Theodosio, ut Honorio fratri id petenti in speciem satisfieret. At nec promulgata est, nec ullam vim habuit, imo contraria plane lex obtinuit. Sed ut redeamus ad propositum, in hac Perigenis causa quæstio non erat de appellationibus, sed de ordinationibus Metropolitanorum Illyrici, quas Romani Pontifices ad se, suumque Vicarium Thessalonicensem Antistitem pertinere contendebant. Verum id maxime observandum est Perigenem, qui ad obtinendam Sedem Corinthi auctoritatem Romani Pontificis adhibuerat, paulo post jugum excussisse, & se a Thessalonicensis Episcopi obedientia subtraxisse, ut constat ex Epistolis Sixti, qui post Cœlestinum Bonifacii successorem Pontifex fuit, quæ omnia habentur in Concilio Romano anno 431. tom. 4. Conc. circa finem. Sub eodem Bonifacio I. Perre-

Digitized by Google

vius quidam Theſſaliæ Epiſcopus ab hujus regionis Epiſcopis Eccleſia pulſus eſt, ordinato in ejus locum Maximo. Hujus cauſam Pontifex Rufo Theſſalonicenſi judicandam committit, Epiſcopos illos, qui iſtum expulerant a communione ſua ſummovendos eſſe judicat, *ita ut*, inquit Rufo, *remedium ſolum interventionis tuæ gratiam habere cognoſcant*. Id eo conſilio dictum a Bonifacio fuerat, ut illi Rufi Theſſalonicenſis tribunal agnoſcerent. At illi e contra Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ auxilium imploraverunt, ut ſibi libertates ſuas conſervaret, adeoque conſtanter pro illis dimicabant, ut Rufus Theſſalonicenſis paratus fuerit eis cedere, & feciſſet utique, niſi Bonifacius eleganti Epiſtola ipſum confirmaſſet. Verum omnes Theſſalorum conatus irritos effecit Imperatoris Theodoſii reſcriptum ab Honorio in gratiam Bonifacii impetratum, quo freti Romani Pontifices Bonifacio poſteriores appellationum admittendarum, & ordinationum Epiſcoporum Illyrici, ac præcipue Metropolitanorum proficiendorum jus Vicario ſuo Theſſalonicenſi Epiſcopo commiſerunt. Verum, ut monuimus, nunquam id potuit obtinere, quia ſcilicet hujus regionis Epiſcopi habebant vicinum Conſtantinopolitanum magnæ auctoritatis Epiſcopum, quique ſtudebat non minus ac Romanus Diœceſim ſuam extendere. Ab iſto vexati ad illum confugiebant. Hinc Sixtus Romanus ſcribit ad Proclum Conſtantinopolitanum, ne Epiſcopos ad curam Theſſalonicenſis Vicarii ſui pertinentes ſine ejus conſenſu admittat, æquum eſſe dictitans, ut alter alterius honori debita reſervent; utque Proclum ad id faciendum impelleret, monet ſe haud ita pridem Idduam Smyrnenſem Epiſcopum a Proclo damnatum ad ſe confugientem non ſuſcepiſſe: *Habes*, inquit, *recentiſſimum nuper habitæ actionis exemplum fratris noſtri Idduæ, circa quem tuæ fraternitatis decrevimus judicium cuſtodiri, cognitioni tuæ facere nolentes injuriam*. Ex his conſtat, Sixtum non ſibi tribuiſſe jus appellationum extra Patriarchatus ſui limites. Sed hoc poſtulaſſe, ut quemadmodum ille Epiſcopos ad ſe ex alterius Patriarchatu confugientes non recipiebat, ita Conſtantinopolitanus Epiſcopos Illyrici, & Græciæ, quos ad ſuam pertinere arbitrabatur, minime ſuſciperet.

VI. Nihilominus tamen Conſtantinopolitanus Antiſtes a propoſito non deſtitit, & Illyricum ſaltem Orientale ſuæ Diœceſi vindicavit, & ipſe Theſſalonicenſis Epiſcopus multum remiſit de ſua in Sedem Apoſtolicam obſervantia, ut conſtat ex Epiſtola Hormiſdæ. 3. 22. & 73. nec non Martini I. Epiſt. 12. Itaque hæc contentio ſub Juſtiniano maxime recruduit; nam ille legem Theodoſii, qua Illyrici cauſas difficiliores ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum referri jubet novellis ſuis 11. & 131. renovavit. Cumque Stephanus Lariſſæ Epiſcopus ab Epiphanio Conſtantinopolitano dejectus foret, ad Romanum Pontificem provocavit, utque provocationem ſuam firmiorem redderet, protulit Epiſtolas Pontificum Romanorum, quibus oſtendere conatus eſt Romanam Eccleſiam ſpecialiter ſibi curam Illyrici vindicaſſe: quid circa hunc a Bonifacio geſtum fuerit certo ſciri non poteſt, cum non extent cetera hujus Concilii acta. At ex Epiſtola 4. Agapeti colligimus, eum non fuiſſe reſtitutum, ſed Achillem in ejus locum ordinatum, non obſtante judicio, & patrocinio Sedis Apoſtolicæ. *Unde*, inquit Agapetus, *& de Stephani perſona ſimul, & cauſa non credatis alicujus nos ſtudio defenſionis impelli ..... quod autem clementia veſtra fratris, & Coepiſcopi noſtri Epiphanii dignatâ eſt excuſare perſonam, quid in prædicti Achillis conſecratione veſtra potius juſſio, quam illius ordinatio meruiſſet, credimus quod & ipſe cognoveris jure culpatum, quod tum piiſſimo, & clementiſſimo Principi beati quoque Petri privilegia defenſanti non vel opportune vel importune ſuggeſſerit, quid in hac parte Sedis Apoſtolicæ reverentia deberetur.*

VII. Ex eadem Epiſtola diſcimus primo, Juſtinianum obtuliſſe Agapeto, ut cauſa iſta judicaretur ab ejus Legatis. Secundo, eundem Agapeto imperaſſe, ut interim Achilli communionem redderet, quod ab ipſo haud æque factum eſt. Tertio, Juſtinianum poſtulaſſe ab Agapeto, ut vices ſuas non amplius Theſſalonicenſi, ſed Juſtinianeæ civitati largiretur, ut hoc pacto

Sedis

Sedis hujus Episcopus majorem haberet auctoritatem. Hæc est ratio, propter quam Justinianus Agapetum delinire studebat, & judicium causæ Stephani, ac Achillis per Legatos ejus fieri consentiebat: quid autem exinde sit gestum in causa Stephani, ignoratur.

VIII. Post hæc tempora hinc & inde certatum a Romano, & Constantinopolitano Antistite, ad cujus Diœcesim Illyricum adjungeretur, donec Imperator Leo Isaurus omnem illum tractum in odium Romani Pontificis Constantinopolitano Episcopo adjudicavit.

De causa Eutychis.

QUi S. Leonem appellationum ex Occidente non solum, sed ex Oriente jus habuisse contendunt, solent Eutychis, Theodoreti, ac Flaviani causas in medium proferre. Singulæ igitur nobis in iis, quæ spectant ad propositum excutiendæ sunt.

II. Eutyches Archimandrita damnatus a Flaviano in Synodo Constantinopolitana quasi cum Apollinari sentiens, ut latam in se damnationis sententiam quoquo modo evitaret, appellavit ad Concilium Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, Thessalonicensis Episcopi. Id constat primo ex ipso Eutyche, qui in latrocinio Ephesino, cujus acta referuntur in Concilio Chalcedonensi tom. Conc. 4. col. 142. dixit, se damnatum a Flaviano cum provocaret ad Concilium, & Episcopos: *nullum*, inquit, *verbum faciente Flaviano de appellatione mea ad vestram sanctitatem . . . . sed sicut potestatem habens omnia de fide solus agere, & nihil vestræ sanctitatis de talis æquitate judicii reservare, condemnavit me, & ab Ecclesia, ut putabat, abscidit, & sacerdotio, ut putabat, privavit ..... sed & post appellationem in me prolatam legi jubebat sententiam, & anathematizabat me, & eos, qui conveniebant ad me . . . . . non expectans vestræ sanctitatis judicium, sed & subscribere dictatam adversum me sententiam compellebat, cum magis oportuerit omnibus Pontificibus scribere, quos appellaveram.* Deinde idem ait Constantinus Monachus Eutychis defensor, ac Legatus in Synodo Constantinopolitana ibidem col. 244. *Eutyches*, inquit, *dum legeretur damnatio appellavit sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis, & hæc in gestis non sunt inserta.* Licet autem verum esset, eum appellasse, falsum tamen erat, eum præsente Concilio id fecisse. Nam Patritius Florentius, qui Imperatoris jussu adfuerat Synodo, aliter rem se habuisse respondit: *turba facta*, inquit, *& dissoluto conventu Eutyches dixit ad me silenter, appello ad Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse latere hoc sanctissimum, & Reverendissimum Archiepiscopum Flavianum, abscedens dixi ei.* Hinc factum, ut Episcopi, qui huic Concilio interfuerant constanter professi sint, se Eutychem appellantem minime audivisse: *nihil*, inquit Julianus Coensis, *ab Eutyche Monacho audivi in confessu*; & Seleucius Amasenus: *dum esset Concilium, & inquisitio perveniret, nihil tale cognovimus dictum ab Archimandrita Eutyche, & reliqui omnes Episcopi confirmarunt, & nos eadem confitemur.* Ipse etiam Flavianus in Epistola ad Leonem prima Eutychem mendacii arguit, quod diceret se tempore judicii libellos appellationis dedisse, nec tamen diffitetur idem, quin post judicium Eutyches dixerit se appellasse: *non audivi*, inquit, *ab illo, sed a viro magnificentissimo, & glorioſissimo ex Consule & Patricio, ascendente me in superiora domus post solutam Synodum.*

III. Ex his primo loco constat, Eutychem non appellasse ad solum Romanum Pontificem, sed ad Concilium tum Romani, tum Alexandrini, tum Hierosolymitani. Secundo, appellationem istam Eutychis verbis tantum emissam fuisse in secreto, non autem publice, & scriptis secundum formam judiciorum. In prædicta porro appellatione Eutyches Antiochenum Patriarcham Domnum omisit, non quod sententiæ in Eutychem latæ subscripsisset, ut falso arbitratus est Petrus de Marca, nondum enim pervenerat ad Domnum hujus sententiæ notitia, cum hæc Florentio in aurem dixit Eutyches; sed quia Eutychis hæresim primus oppugnaverat Domnus da-

Digitized by Google

tis ad Imperatorem adversus eum Synodicis litteris, quas refert Facundus lib. 8. cap. 5. Adde, quod vetus erat Alexandrinæ Ecclesiæ, cujus patrocinio gloriabatur Eutyches, cum Antiochena dissensio, ea ferme de re, quæ tum inter Eutychem, & Flavianum agebatur: sed his missis, videamus, quæ deinceps secuta fuerint.

IV. Eutyches videns nullam appellationis suæ rationem habitam fuisse, libellum querimoniæ misit ad Leonem, *in quo questus est se, accusante Eusebio, immerito communione privatum; maxime, cum se vocatum adfuisse testetur, nec suam præsentiam denegasset: adeo ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret.*

V. Hoc libello querimoniæ accepto sanctus Leo ad Flavianum scripsit Epist. 20. & 21. ad Theodosium, quibus queritur Flavianum nihil ad se retulisse de judicio in Eutychem lato, nec ullam appellationis ejus rationem habitam; petitque, ut de criminibus Eutychi objectis instruatur, ut possit de cognitis judicare. Hinc patet Leonem conatum esse causam Eutychis ad se trahere, at Flavianum propterea suspendisse effectum judicii in Eutychem falsum omnino est. Quid igitur egerit videamus: rescripsit ille Leoni, Eutychem Valentini, & Apollinaris errorem renovantem ab ipso fuisse damnatum, & ipsa in istum acta transmisit. Sed quo consilio? num ut S. Leo causam ejus retractaret? audiamus ipsum: *ut*, inquit, *sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui, quid ille scripsit, quasi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam conjunctionem loquantur.* Itaque non refert istam causam ad Leonem Flavianus, ut eam ille retractaret, aut confirmaret; sed tantum ut Episcopis Occidentalibus sententiam in eum latam significaret, ne illi imprudentes cum Eutyche communicarent. Supponit ergo, sententiam in eum latam decretoriam fuisse, & ejus vi Eutychem ab omnibus communione privandum esse. Hæc Epistola Flaviani scripta est cum ad Leonem Concilii Constantinopolitani acta direxit, & prima esse videtur. In altera Epistola Flaviani ad Leonem, quæ posterius est scripta, si tamen genuina sit, hæc enim latine tantum extat, & ostendetur a nobis alibi non carere ῥοθίαις, aut saltem interpolationis suspicione, verum dato quod sit genuina, in ea queritur Flavianus, Eutychem *passum justam, & Canonicam damnationem cum debuisset secundis salvare priora, & per pœnitentiam, multasque lachrymas placare. Non solum hoc non feciisse, sed etiam per omnia turbare Ecclesiam tentasse, propositiones injuriarum publice ponens . . . . super hæc preces offerens piissimo, & Christi amantissimo Imperatori, & easdem arrogantia, & petulantia plenas.* Addit ex litteris Leonis sibi a Pansophio redditis intellexisse se, *Eutychem libellos direxisse Leoni, plenos omni fallacia, atque calliditate, dicentem, judicii tempore libellos se dedisse appellationis*; & Flaviano, & Concilio: *quod nunquam ab eodem*, inquit, *factum est, sed etiam & in hac parte mentitus est tanquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis vestris auribus putans.*

VI. Deinde Pontificem hortatur, ut communem hanc causam propriam sibi faciat non rem ad se trahendo, sed suum addendo suffragium Orientalium votis, ut sic Imperator, qui de Synodo congreganda cogitabat, & videbatur in Eutychem propensus, judicium Flaviani ratum haberet. *Confortate*, inquit, *& piissimi, & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem, causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas litteras, removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Postulat ergo tantum Flavianus, ut observat Quenellius, Leonis *solatium*, non judicium, *defensionem*, non *confirmationem*, *scripta propria*, non *Synodalia Decreta*. Imo nihil aliud postulat, nisi ut Pontifex addens suum suffragium sententiæ in Eutychem la-

tæ

tæ, & de illa reſcribens ad Imperatorem ipſum confirmet, & ab univerſalis Synodi convocatione, quæ tum periculoſa, & inutilis videbatur, abſtineat.

VII. Acceptis Flaviani litteris ſanctus Leo idem primum cum eo ſenſit rem, de qua agebatur, Synodali non egere tractatu. Verum poſtea Synodum fore haud inutilem arbitratus, ad Imperatorem de ea in Italia convocanda ſcripſit; ſed antequam ejus litteræ redderentur Theodoſio, jam tum iſte Synodum indixerat, namque Leonis litteræ datæ ſunt primo calendas Junias, patet autem ex ſeſſione Concilii triginta Epiſcoporum 5. Idus Aprilis habita indictam jam tum fuiſſe Synodum; ſic enim in ea loquitur Meliphtongus: *Poſtulamus ejus Theodoſii referri clementiæ ..... præcipue quia univerſalem Synodum præcepit fieri;* & ibidem Euſebius Dorylæi: *Conjuro vos*, inquit, *per ſanctam, & conſubſtantialem Trinitatem futuro Concilio univerſali ſecundum ſanctionem Chriſti amicorum Principum hoc negotium reſervari.*

VIII. Ex his, quæ huc uſque diximus, conſtat primo, Leonem non ſibi ſumpſiſſe ſupremum judicium cauſæ Eutychis, ſed tantum ſuffragium ſuum addidiſſe judicio Flaviani. Secundo, eum nunquam exiſtimaſſe inutilem Synodum ob auctoritatem Suæ Sedis: *ſed quia*, inquit Epiſt. 33. ad Theodoſium, *non talis quæſtio orta eſt, de qua aut poſſit, aut debeat dubitari.* Tertio, illum ipſum poſtea poſt dictam ea de re ſententiam, Concilium tamen poſtulaſſe. Quarto, Imperatorem non exiſtimaſſe cauſam Eutychis a ſolo Leone retractari debere; quandoquidem antequam ejus ſententiam reſciret, Synodum indixit. Quinto, Eutychem non appellaſſe ad ſolum Romanum Pontificem, nec ei ſoli appellationem ſuam detuliſſe, cum eodem ipſo tempore, quo queſtus eſt apud eum de Flaviani ſententia, ad Dioſcorum etiam ſcripſerit, & ab Imperatore obtinuerit, ut Synodus Oriente congregaretur.

IX. Ex his etiam patet, Lupum Chriſtianum graviter errare cum ait, *Eutychem appellationem, quam ad tres Patriarchas induxerat, introduxiſſe coram ſolo Papa Leone; nec eum tunc poſtulaſſe generalem Synodum, ſed cum omnibus ſuæ appellationis ſolemnibus proceſſiſſe ad ſolum Papam.*

X. Hic, inquam, non uno modo hallucinatur Lupus. Primo enim falſum eſt, Eutychem introduxiſſe ſuam appellationem coram Leone; nec enim apud eum cauſam appellationis egit, ſed tantum libellum querimoniæ ad eum miſit. Secundo, multo minus verum eſt, eum cum omnibus proceſſiſſe ad ſolum Papam; nec enim Romam venit, ut ibi judicaretur, nec Flavianum ad cauſam illic dicendam citavit, nec cauſam ſuam ſolius Romani Pontificis ſubmiſit judicio; ſed tantum ad eum de iniuriis, quas a Flaviano ſibi illatas putabat, ſcripſit. Tertio, eodem ipſo tempore, quo ſcribebat ad Leonem, ab Imperatore Synodum poſtulavit, utque indiceretur perfecit. Colligitur ex dictis, & confirmatur ex Liberato Diacono in Breviario: *Eutyches*, inquit, *petit Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, ut quærat, quæ de illo acta ſunt, & cauſam examinaret, & perficeret apud Principem univerſalem Synodum fieri, ut probaretur*, (hoc eſt, examinaretur) *judicium Flaviani; ſcripſit ergo Dioſcorus Theodoſio Imperatori, quia aliam fieri Synodum generalem oporteret.* Itaque dici potius deberet, Eutychem appellationem ſuam apud Alexandrinum, quam apud Romanum Epiſcopum perſecutum eſſe. Revera autem appellatio facta erat ad Concilium, & de illa Concilium judicavit. Sed quoniam contra leges Eccleſiaſticas Synodus Epheſina judicium tulerat, Synodum Chalcedonenſem congregari oportuit, quæ ex æquitate judicium tulit, & Flaviani ſententiam confirmavit, ac Leonis Epiſtolam probavit.

XI. Adverſus hæc opponit Davidius, S. Leonem judicium tuliſſe de Eutyche, & ſententiam in eum latam confirmaſſe, ut Synodi Chalcedonenſis Patres teſtantur, ita ſcribentes ad Leonem, *Eutychem pro impietate damnatum ſuæ tyrannidis decretis innoxium ſtatuit, & dignitatem, quæ a veſtra ſanctitate ablata fuerat, illi reſtituit.* Alloquuntur hic illi Leonem, a quo proinde dicendum eſt Eutychem fuiſſe dejectum. Reſpondeo, dubium nón eſſe, quin S. Leo ſuffragio ſuo Eutychem damnaverit, & pedibus

Digitized by Google

dibus ierit in ſententiam Flaviani de dejectione Eutychis. Hinc Concilii Chalcedonenſis Patres dicunt ablatam a Leone Eutychi dignitatem, quia probavit judicium Synodi Conſtantinopolitanæ contra Eutychem latum.

XII. Cetera tum Davidii, tum Chriſtiani Lupi argumenta ſigillatim excutere non libet, cum illorum fundamenta abunde diruta ſint.

De cauſa Flaviani.

FLavianus ille, a quo damnatum Eutychem diximus, in Synodo Epheſina, quæ latrocinium dicitur ob violentiam Dioſcori, & fautorum Eutychis, injuſte damnatus, ubi ſententiam in ſe a Dioſcoro pronuntiatam audivit, hæc ait, quæ extant tom. 4. Conc. col. 305. παραιτοῦμαί σε, hoc eſt, *recuſo te*, & Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus dixit, κοντραδίκιτωρ, *contradicitur*. Sunt qui legunt pro *recuſo te*, *appello a te*, ſed hi verba græca in alienum ſenſum traducunt. Unum tamen habent, quod opponant, nempe recuſationem judicii fieri debere ante judicium, appellationem autem poſt judicium. Quod quidem verum eſt, ut obſervat Quenellius: *cum legitimus Judex merito in ſuſpicionem venit, vel ab incompetente judicium adornatur; at nihil tale in Epheſino Concilio reperias, initio enim Synodus legitime congregata, juſſu Principis, aſſenſuque Pontificis recuſari non poterat.* Reſtat igitur, ut tunc primum potuerint recuſari Dioſcorus, ejuſque Synodus, quando ille ſibi omnia vindicans, innocentem Flavianum nullius criminis, aut erroris convictum damnare aggreſſus eſt: ac proinde Flavianus potuit tum temporis judicium ejus recuſare. Verum hujus Synodi Epiſcopi nulla recuſationis iſtius, nulla interceſſionis Legatorum Leonis ratione habita, Flavianum damnaverunt.

II. Is autem cum nihil reliquum ſibi videret, libellum Legatis Leonis dedit appellationis, ut teſtatur ipſe Leo. Hac de re conveniunt omnes: ſed quæritur, ad quem Judicem hæc appellatio interpoſita fuerit.

III. Bellarminus, Davidius, Chriſtianus Lupus, & alii contendunt, eam eſſe interpoſitam ad ipſum Leonem. Verum hos ſuo ſilentio ſatis revincit ſanctus Leo; nam licet ille fuerit auctoritatis ſuæ commendandæ ſtudioſus, licet non ſemel dicat, appellationem interpoſitam, nunquam dicit eam ad ſe interpoſitam. Nec ipſe eam admiſit, aut ejus judicandæ poteſtatem ſibi arrogavit; quin imo neceſſitatem Synodi generalis convocandæ deduxit ex appellatione Flaviani; ſic ex Epiſtola 39. *ut quia & noſtri*, inquit, *fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flavianus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari. . . . convenientibus utique Orientalium Provinciarum Epiſcopis;* Et Epiſtola 40. *Omnes*, inquit Leo, *partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lacrymis ſupplicant Sacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, &c.* ut ſupra. Quid neceſſe fuiſſet, Synodum petere ob appellationem Flaviani, ſi quidem illa non ad Synodum, ſed ad Leonem interpoſita fuiſſet.

IV. Opponit primo Chriſtianus Lupus hæc Leonis verba: *quam autem poſt appellationem interpoſitam neceſſario id poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum teſtantur Decreta.* Intelligens his verbis Sardicenſes Canones, quorum unum ſubnectit Epiſtolæ ſuæ; ſed, inquit Chriſtianus Lupus, Canones Sardicenſes ſtabiliunt appellationes ad Romanum Pontificem.

V. Reſpondeo, ſententiam Lupi his verbis jugulari, necnon probari Canones Sardicenſes perperam ab ipſo intelligi. Quid enim ex his concludit Leo? ſibi ſoli poteſtatem eſſe retractandi Romæ judicii? nil minus: unum hoc infert poſt, appellationem Flaviani convocandam eſſe Synodum.

VI. At, inquies, in Canonibus Sardicenſibus nullius appellationis fit mentio, præterquam ad Romanum Pontificem: ergo S. Leo ſenſit Flavianum ad ſe appellaſſe.

VII. Reſpondeo, Leonem non adducere Sardicenſes Canones, ut probet appellationem Flaviani legitimam eſſe, ſed ut oſtendat poſt appellationem ejus neceſſariam eſſe Synodum. Hoc autem optime ex Sardicenſibus Canonibus colligitur, qui jubent in caſu appellationis fieri novam Synodum, & ite-

Digitized by Google

& iterari judicium. Hac tantum de causa Sardicenses Canones allegat. Hinc in eo Canone, qui Græce refertur in hujus Epistola, quique videtur esse quartus Sardicensis, non fit mentio Romani Episcopi, sed tantum novi judicii redintegrandi, cum Episcopus depositus fuerit contestatus se inique judicatum esse. Quod argumento est, Leonem Canonem hunc eo tantum consilio laudasse, ut ex eo inferret Synodum esse congregandam, non ut probaret appellationem Flaviani ad se factam secundum formam Sardicensibus Canonibus præscriptam esse judicandam.

VIII. Urget idem Lupus. Ex Epistolis 41. 42. & 45. ejusque Leonis, colligitur Leonem irritum habuisse latrocinii Ephesini Decretum, & Flavianum semper pro Episcopo habuisse: unde hæc concludit: *Admittit* inquit, *Flaviani appellationem, ipsum revestit Episcopatu, firmat in Episcopali ad omnes Ecclesias communione, ejus appellationi dat effectum suspensivum.*

IX. Respondeo, Leonem merito judicium latrocinii Ephesini irritum habuisse, quippe quod per vim latum fuerat in innocentem Flavianum; at non propterea concludi posse appellationem a Flaviano ad Leonem interpositam: nec enim ullum speciale judicium tulit, sed quandoquidem ea, quæ gesta fuerant, per vim, & contra jus, fasque gesta esse intelligebat, proposcit a Theodosio Epistola 40. ut omnia in eo statu esse juberet, *in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus convocaretur, quoniam*, ut inquit Epistola 45. *ea, quæ in Epheso contra justitiam, vel Canonum disciplinam per unius hominis impudentiam gesta erant, nulla Catholicæ fidei ratio rata esse permitteret.* Nec causam Flaviani ventilavit, aut revestivit eum Episcopatu, a quo eum non excidisse certum fuerat, quia judicium erat per vim latum, nulla ratione recusationis Flaviani, aut intercessionis Legatorum habita. Hinc nullum dubium esse poterat, quin Flavianus ab omnibus Episcopis esset suscipiendus in communionem, & quin judicium in illum latum non modo suspendendum esset, sed etiam pro nullo, atque irrito habendum. Hinc Hilarius Diaconus in Epistola ad Gallam Placidiam ait, non modo Papam, sed & omne Occidentale Concilium reprobavisse *omnia, quæ in Epheso contra Canones, & per odia sæcularia a Dioscoro Episcopo gesta fuerant, & nulla ratione in Occidentis partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti Dioscori non sine læsione fidei, & præjudicio sanctissimi viri, innoxiique commissa sint.* Non rescidit itaque Leo judicium Ephesini latrocinii, sed reprobavit ut irritum, & contra Canones gestum.

X. Opponit secundo Christianus Lupus Epistolam Valentiniani Imperatoris ad Theodosium, in qua hæc habentur: *Quatenus beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicare . . . Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta est de fide, huic itaque postulanti, & conjuranti salutem nostram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam, qua vertitur sollicita ratione cognoscens sententiam ferat, quam fides, & ratio divinitatis exposcit.*

XI. Respondeo primo, hoc Valentiniani scriptum a Leone videri dictatum, nec proinde mirum esse, si in gratiam Pontificis sit confectum.

XII. Respondeo secundo, hic nihil haberi, quod probet Flavianum ad solum Leonem appellasse, imo ex his colligi, Flavianum ad omnium Occidentalium judicium provocasse: quod disertius exponit in litteris suis ad Theodosium Galla Placidia Valentiniani mater: *Non enim*, inquit, *modicum detrimentum est, quod fides perturbata sit ad arbitrium unius hominis, qui in Synodo Ephesinæ Civitatis odium, & contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia, & metu impetens Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum Flavianum, eo quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos illarum partium per*

eos

Digitized by Google

eos, qui directi fuerunt ad Concilium. Næ cæcos oportet esse eos, qui post tam apertum testimonium contendunt libellum appellationis Flaviani fuisse ad solum Leonem Papam, non ad Concilium. Porro ex hac Epistola, quæ græce extat, supplendum illud est in altera ejusdem Placidiæ ad Pulcheriam, cujus versionem tantum habemus, hoc in loco mendosam, sic se habet: *ut omnibus antiquis permanentibus ad Apostolicæ Sedis, in qua primus Apostolorum Petrus, qui etiam claves Regni cœlestis, Sacerdotii Principatum tenuit, Episcopatus causa mittantur*. Hæc Epistolæ verba omnino corrupta sunt, & sensu plane vacua. Restituendus genuinus textus ex alia Placidiæ Epistola ad Theodosium, quarum eadem est sententia, *ut secundum formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & nos tanquam præcellentem veneramur in Statu Sacerdotii, illæso manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur*. Petit ergo Placidia judicium transmitti non ad solam Sedem Apostolicam, sed ad Concilium hujus, ad quod proinde provocarat Flavianus.

XIII. Respondeo tertio, quod etiamsi daretur id, quod falsum est, Flavianum ad Leonem appellasse; ex dictis jam constat non alio fine, aut Concilio libellum appellationis eum dedisse, nisi ut ejus opera obtineret, ut in Concilio universali causa ejus retractaretur; & sic intelligendus videtur Liberatus, cum ait Flavianum damnatum Sedem Apostolicam per ejus Legatos appellasse, hoc est, confugisse ad eam Sedem, ut ejus opera Synodum obtineret. Adde, quod aliud est Sedes Apostolica, aliud Romanus Pontifex, cum nomine Sedis Apostolicæ non solus intelligatur Papa, sed cum eo Episcopi Provinciarum suburbicariarum, qui ad ejus Concilium conveniebant.

XIV. Opponit tertio Christianus Lupus Domni Antiocheni abdicationem, & Maximi ordinationem factam in latrocinio Ephesino, quæ idcirco non est rescissa, quia Romanus Pontifex Leo cum eo communicarat.

XV. Ad istud exemplum respondeo, Domnum fuisse damnatum a latrocinio Ephesino, ut probat Quenellius in Dissertatione de causa Domni, & in ejusdem paulo post mortui locum post hæc ordinatum fuisse Maximum. Quid ad ista sanctus Leo, & Synodus Calcedonensis? Domnum restituere non poterat, utpote jam mortuum, nihil ergo impediebat quominus Maximi ordinationem ratam haberet pro bono pacis. Itaque falsum est Leonem ceteros Episcopos revestivisse, hunc non item; generatim enim petiit, ut omnia in eo statu manerent, in quo erant ante Synodum a Dioscoro celebratam, nec unquam Domnum ab ea lege excepit, sed cum ille mortuus foret, & in ejus locum ordinatus Maximus, S. Leo istum non secus ac Anatolium in communionem suscepit. Factum Leonis confirmavit Synodus Chalcedonensis, & Maximi ordinationem ratam habuit. Ex quibus intelligere est, non solum Pontificem retractasse, aut judicasse causam Maximi, sed eum privatim pro bono pacis Maximum in communionem suscepisse, non secus ac Anatolium, & utriusque ordinationem ab universa Synodo Chalcedonensi fuisse confirmatam; sed de causa Domni plura dicemus alibi.

De causa Theodoreti.

THeodoretus Episcopus Cyri, qui causæ Joannis acerrimus fautor fuerat, & Eutychis, ac Dioscori sententiæ infensissimus habebatur, in Synodo Ephesina Dioscori absens, imo & adesse litteris Imperatoriis prohibitus, damnatus, quo post hanc sententiam nisi ad Occidentales confugeret, non habebat. Imperator enim Pseudosynodi sententiam tuebatur, Domnus Antiochenus a Dioscoro illectus Flaviani damnationi consenserat, & ipse postea fuerat ab eadem Synodo damnatus, Flavianus Constantinopolitanus supremum diem obierat: omnes ferme Orientales consentiebant sententiæ in Flavianum latæ. Quis igitur dubitare possit, quin tum Theodoretus appellaturus fuerit ad Romanum Pontificem, si potestatem ille habuisset admittendarum appellationum ex Oriente, & retractandarum causarum, quæ ad Episcopos spectant. Hinc appellationum istarum patroni non dubitant asserere inter-

Digitized by Google

terpoſitam, Theodoreto ad Romanum Pontificem a judicio latrocinii Epheſini. At quam leviter id aſſerant, docet ipſa Theodoreti Epiſtola ad Leonem, in qua ne verbulum quidem occurrit, quo probari queat eum appellaſſe; quin imo contrarium ex ea colligitur. Primum igitur in ea fidem ſuam exponit, docet ſe inauditum, & abſentem damnatum, Pontificis opem, & conſilium implorat; expectare ſe dicit Apoſtolicæ Sedis ψῆφον, hoc eſt, calculum, & conſilium, non autem κριτηρίον, hoc eſt, judicium, ut ſcilicet ab eo doceatur, an judicio Dioſcori ſtare debeat, quod ipſum ſic exponit: *Ante omnia autem rogo, ut ſciam a vobis, an injuſtæ huic depoſitioni oporteat acquieſcere, an non: veſtram enim expecto ſententiam, & ſi judicatis me ſtare debere aſſertis, ſtabo.* Non petit igitur Theodoretus a Leone, ut judicium in ſe latum retractaret, & juridicam ſententiam de cauſa ſua ferret; ſed tantum, ut conſilium daret, num ſententiæ Epheſini judicii licet injuſtæ, ſtare deberet, an potius ad Concilium Occidentalium provocare. Et hac in re opem, atque auxilium Romani Pontificis implorat. Conſtat id ex Epiſtola ejuſdem eodem tempore ſcripta ad Renatum Romanum: *Hac igitur*, inquit, *de cauſa tuam oro ſanctitatem, ut perſuadeas ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Archiepiſcopo, ut Apoſtolica utatur auctoritate, & præcipiat ad veſtrum convocare Concilium.* Et in Epiſtola ad Anatolium petit cauſam ſuam examinari non a ſolo Romano Pontifice; ſed ab Epiſcopis: *Magnitudinem tuam*, inquit, *obteſtor, hanc a victore Auguſto gratiam petas, ut in Occidentem veniam, ibique a Deo chariſſimis Epiſcopis judicer; at ſi vel minimum a fidei regula deflectere videar, in medium maris profundum dejiciar.* Et Epiſtola 138. ad eundem: *Ad hæc Deo dilectam illorum ſublimitatem obteſtamini, ut recte inſtitutis finem imponant.* Idem habet in Epiſtolis 139. & 140. ex quibus conſtat, Theodoretum non appellaſſe ad Pontificem Leonem, ſed tantum ab eo conſilium, & opem imploraſſe, ac petiiſſe ab Imperatoribus, ut in Concilio Occidentalium judicaretur.

II. Quid deinde geſtum fuerit, inquiramus: contendit Chriſtianus Lupus, Theodoretum a Leone fuiſſe reſtitutum, & reveſtitum Epiſcopatu, idque probare conatur, tum ex Epiſtola Leonis 93. ubi hæc ait: *Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te ſecundum Apoſtolicæ Sedis judicium demonſtravit:* tum ex Synodi Chalcedonenſis actis, in quibus Theodoretus dicitur redditus Epiſcopatui a Leone. E contra Paſchaſius Quenellius obſervat, & probat, ex his minime colligi aliquod ſpeciale de reſtitutione Theodoreti judicium a Leone emiſſum, ſed ſolummodo Leonem communionem cum eo non abrupiſſe ob Decretum latrocinii Epheſini, quod plane irritum erat: *Nec enim*, inquit, *aliter S. Leo Theodoretum, quam Flavianum, & alios reſtituit, petens ſcilicet, ut cuncta in eodem ſtatu eſſent, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregaretur.* Et certe judicium Leonis in gratiam Theodoreti latum, nihil aliud fuiſſe, quam litteras communionis, conſtat ex ſententia Legatorum ipſius Leonis act. 8. Concilii: *Theodoretum*, inquiunt, *ſanctiſſimus, ac beatiſſimus univerſæ Eccleſiæ Epiſcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem ſuſcepit; ſicut litteræ ab eo ad noſtram humilitatem directæ teſtantur, &c.* Hi certe non omiſiſſent Decretum Synodale a Leone latum in gratiam Theodoreti, ſi quod ejuſmodi fuiſſet, nec ſolam communionem allegaſſent. Licet autem Synodus ob iſtam communionem Theodoretum in ſuo conſeſſu, invitis Ægyptiis, ſedere paſſa fuerit, non tamen arbitrata eſt, eum aliquo judicio fuiſſe purgatum. Sed cauſam ejus reſervavit, & interim hunc tum ob communionem ejus cum Leone, tum ob juſſum Imperatoris admiſit. Sic enim pronuntiant Judices: *præjudicium ex perſona reverendiſſimi Epiſcopi Theodoreti nulli generabitur, reſervata poſt hæc omni accuſatione, & vobis, & illi, & quæ invicem exercere volueritis.* Cum igitur ea, quæ graviora videbantur in Concilio examinata ſunt: de cauſa Theodoreti quæſitum eſt act. 8. in ea Theodoretus veluti in medium prodiit, dixitque, ſe preces obtuliſſe Imperatori, & libellos Romano Pontifici, quibus ſcilicet, ut antea obſervavimus, petebat cauſam ſuam exa-

minari in Synodo, & fidei ſuæ rationem reddebat : poſtulavit ut relegerentur ; at Synodi Patres hoc unum ab eo petierunt, ut anathematizaret Neſtorium ; cumque id feciſſet Theodoretus, & dixiſſet ſe ſubſcripſiſſe Leonis Epiſtolæ, judices pronuntiarunt, omnem jam de illo dubitationem eſſe ſublatam, cum anathema dixerit Neſtorio, a Leone ſuſceptus ſit, & fidei definitioni conſenſerit ; ſupereſſe tantum, ut Synodi ſententia Eccleſiam ſuam recipiat, ut ſanctus Leo Archiepiſcopus judicavit ἀδικαίωσιν, hoc eſt juſtum, & æquum eſſe cenſuit. Tum omnes Epiſcopi acclamarunt, Theodoretum dignum eſſe ſede ſua, & ſinguli deinceps ſuffragium tulerunt de ejus reſtitutione, ac demum judices pronuntiarunt: *ſecundum Decretum ſancti Concilii Theodoretus ſanctiſſimus Epiſcopus Eccleſiam civitatis Cyri recipiat*. Conſtat ergo, Theodoretum non eſſe judiciali Decreto reſtitutum ante judicium univerſalis Synodi, quamvis nec ſanctus Leo, nec Maximus, nec Anatolius, nec denique Orientalium ullus communionis nexum cum eo abruperit : atque ideo illum ad Concilium admiſerunt ante judicium de cauſa latum. Ex dictis liquet primo, probari minime poſſe Theodoretum ad Leonem appellaſſe. Secundo, illum non fuiſſe reſtitutum a Leone vi alicujus decreti, aut judicii, ſed tantum ſuſceptum in communionem. Tertio, hujus cauſam plene, ac integre diſcuſſam in Synodo Chalcedonenſi, eumque in illa poſt anathema dictum Neſtorio ab omni ſuſpicione hæreſeos liberatum, & Sedi ſuæ penitus redditum. Quæ quidem tria omnes omnino Chriſtiani Lupi de Theodoreto commentationes evertunt.

De Eutherii Thyanenſis, & Helladii Tarſenſis Epiſtola ad Xiſtum, necnon de Eutychianæ appellationis libello ad Leonem, quæ monumenta Lupo obſtetricante prodeunt in lucem.

HUc uſque nihil ferme objecit Lupus, quod non fuerit ab aliis decantatum, at ſub finem libri ſui duo monumenta profert hactenus ignota, quæ cauſæ ſuæ non parum favere gloriatur.

II. Primum ex Epiſtola Eutherii Thyanenſis, & Helladii Tharſenſis ad Xiſtum ſcripta, quam latine ex manuſcripto Codice Cardinalis Caſenatæ deſumpſit, in quo manuſcripto jactat ſe Lupus pluſquam ducentas Orientalium litteras inveniſſe, plurimum illuſtrantes acta Epheſini Concilii, & Chalcedonenſis hactenus ignotas, quas propediem ſe in lucem emiſſurum eſſe ſpopondit, quod & poſtea fecit, atque utinam, non modo latinam iſtarum Epiſtolarum verſionem, ſed & græcum haberemus textum, ex iis forte aliquid lucis horum temporum hiſtoriæ accederet. Sed ut de aliis nihil dicam, Epiſtolam Helladii hic ab ipſo relatam valde dubiam eſſe affirmo. Hæc enim ampullata eſt, næniis, ac fabulis plena, ejuſque tum ſententiæ tum verba impoſtoris ignorantiam, & ſtupiditatem arguunt. Sic autem incipit : *Multam providentiam per ſingula tempora faciens Dominus Chriſtus, alio tempore alia præparavit luminaria ad eorum ducatum, qui bonæ ſunt voluntatis, conjunctionemque contrariorum .... ſicut etiam ſub illo amore Pharaone beatum Moyſem contra Jannes, & Mambre, & ſuper Simonem Petrum bene orientem ; ſic & contra eos, qui nunc inſurrexerunt tuam protulit ſanctitatem, per quam bonæ ſpei ſumus, & nos quod orbis terrarum ab Ægyptio liberetur errore, qui Moyſes exiſtens omnem quidem Ægyptum percuties ; ſalvabis vero omnem Iſraëlitam populum orthodoxum : igitur contra veritatem multis millibus geſtis, & mundiſſima ortodoxiæ margarita multas concipiente inimicitias, & quantas nulla unquam tradit hiſtoria .... noſtrum quidem eſt, qui triplices, multipliceſque patimur tempeſtates, & pene in pyratas incidimus, ad eum clamare, qui a Deo productus eſt gubernator, eumque pro amore veritatis, quantum poſſibile eſt, edocere ; tuæ autem gratiæ ſapientiæque eſt, non deſpicere neque tranſcurrere hujuſmodi quæſtionem, tantamque cauſam, ſed & perſcrutari cum dilectione boni laboris, & imponere emendationem cum tota conſtantia*. Quis iſtæc legens non ſatis intelligat, hæc eſſe recentioris cujuſdam Itali figmenta, quæ a Græcorum ſententia longiſſime abſunt.

III. Pergit idem ; *& olim ſi quidem, ſæpius*

Digitized by Google

ſæpius jam, ex Alexandria hæreticis zizaniis inſurgentibus ſufficit veſtra Apoſtolica ſedes per univerſum tempus illud ad mendacium convincendum, impietatemque convincendam, & corrigenda, quæ neceſſarium fuit, muniendumque orbem terrarum ad gloriam Chriſti tam ſub illo ter beato, & inter ſanctos habendo Damaſo, quam ſub pluribus aliis glorioſis, & admirabilibus. Quæro, quandonam Damaſus, & alii Pontifices emergentia ex Ægypto hæreſeos zizania convicerint, & repreſſerint? Duo exempla profert Chriſtianus Lupus Petri Alexandrini, & Maximi Cynici, ut putat, appellationes. Atqui neuter appellavit, neuter reſtitutus eſt a Damaſo, ſed ille a populo receptus, hic ab Alexandrino Epiſcopo ordinatus Antiſtes Conſtantinopolitanus, receptus minime eſt. Adde, quod in neutrius cauſa de zizaniiis hæreleos agebatur, & ideo imperite in exemplum adducitur. Videtur impoſtor ad Arii cauſam ſpectare, ſed illa præterquam quod non eſt compreſſa Romani Pontificis auctoritate, nihil ad Damaſum ſpectat, qui poſt extinctum Arium ſuſcepit Pontificatum. Hoc autem impoſtoris opus eſſe arguunt hæc verba: *tam ſub illo ter beato, & inter ſanctos habendo Epiſcopo Damaſo, quam ſub pluribus aliis glorioſis, & admirabilibus.* Qui ſunt iſti glorioſi, & admirabiles Pontifices, qui poſt Damaſum uſque ad Sixtum, hæreſim ex Ægypto naſcentem compreſſerunt. A Damaſo ad Sixtum ſex ſunt tantum Pontifices, quibus cum Ægyptiis nulla de fide dimicatio fuit. Videtur impoſtor ad ea, quæ Pontificatum Sixti ſecuta ſunt, attendiſſe.

IV. Verum Epilogus ejuſdem Epiſtolæ non minus facetus eſt; ſic ſe habet: *hæc pauca de plurimis cum multa abbreviatione conſcripſimus ſcientes, quod horum malorum nimietas non ſolum Jeremiæ lamentationibus digna ſit, ſed & univerſam tragœdiam ſuperaverit.* Hæc, & alia ejuſmodi ab Epiſcoporum gravitate aliena ſunt, & recentioris cujuſdam nugamenta eſſe potius videntur.

V. Verum quidquid ſit, etiamſi iſtæc Epiſtola eſſet extra omne dubium, nihil tamen ex ea poſſet Lupus inferre, nec enim illi provocant ad Romanum Pontificem a judicio in ſe lato, ſed tantum ejus opem implorant: *Cujus*, inquit, *rei gratia & nos præſumimus has ſupplicationes offerre, ut adjuvetis orbem terrarum, & in illa parte, quæ errat, & in illa, quæ tyrannidem ſuſtinet*; & in fine: *Rogamus vero, & ſanctis tuæ religioſitatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas ſalutarem, & auferas mundi naufragium, omniumque horum inquiſitionem jubeas fieri, & his illicitis cæleſtem ſuperduci correctionem.* Petunt ergo tantum auxilium, & opem Romani Pontificis, non autem ejus de ſua cauſa judicium.

VI. Alterum monumentum ibidem a Lupo prolatum eſt Epiſtola Eutychis ad Leonem ſcripta, poſtquam damnatus eſt, quæ quidem Lupo non parum obeſt, & ea, quæ de Eutychis negotio a nobis ſupra dicta ſunt, mirum in modum confirmat.

VII. Ex ea enim colligitur, Eutychem ad Leonem confugiſſe, non quidem quaſi appellantem ad judicium, ut reſtitueretur, ſed tantum poſtulantem, ne propter ſententiam in ſe latam a communione Epiſcopi Romani removeretur: *Obſecro*, inquit poſt expoſitam fidem ſuam, *nullo mihi judicio facto ex iis, quæ per inſidias contra me geſta ſunt, quæ viſa vobis fuerit ſuper fidem proferre ſententiam, & nullam deinceps permittere a factioſis contra me ſententiam procedere, & non excuti, & eximi de numere orthodoxorum eum, qui in continentia, & charitate ſeptuaginta annos vitam peregit ita, ut in ipſo exitu vitæ naufragium patiatur.* Rogat ergo Leonem Eutyches, ut ſe pro orthodoxo habeat: nec ob judicium Flaviani a communione ſua removeatur. At ne verbo quidem ſignificat in hac Epiſtola, ſe appellare, aut appellaſſe Romanum Pontificem. Huc tamen trahere conatur Lupus hæc verba: *Rogabam, ut innoteſcerent iſta ſanctitati veſtræ, & quod vobis videretur, judicaretis, omnibus modis me ſecuturum, quæ probaſſetis.*

VIII. Verum his verbis appellationem non contineri docet Baſilius in Synodo Conſtantinopolitana act. 1. Concil. Chalcedon. col. 244. tom. 4. Conc. *Scio*, inquit, *quia dixit religioſus Archimandrita Eutyches: ſi præceperint mihi patres Romanus, & Alexandrinus, dico hoc ipſum, hoc au-*

Digitized by Google

tem non quasi appellans dixit, sed dicens, non sum ausus dicere propter patres. Itaque gratias habemus Christiano Lupo, qui nobis subminiſtravit Epiſtolam illam Eutychis ad Leonem, cum ex ea conſtet, Eutychem libellum appellationis non dediſſe ad Pontificem, ſed tantum ab eo petiiſſe, quid ille de fide Incarnationis ſentiret pollicitus ſe conſenſurum iis, quæ probaſſet.

De cauſa Joannis Talaïæ, nec non de exemplis judiciorum Eccleſiaſticorum apud Græcos uſque ad diviſionem Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ.

HUc uſque Chriſtianum Lupum, & alios ejuſdem cum ipſo ſententiæ aggreſſi ſumus; nunc etiam cogimur ab ipſomet Marca diſſentire in cauſa Joannis Patriarchæ Alexandrini, quem Petrus Mongus, jubente Imperatore Zenone, & conſentiente Acacio Conſtantinopolitano, Epiſcopatu deturbavit. Ille ejectus Antiochiam ad Calendionem Antiochenum perrexit, & ſumptis ab eo interceſſionis litteris, ad Romanum Pontificem appellavit, Romamque profugit ad Symplicium tum temporis hujus urbis Epiſcopum: eo mortuo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum anno 483. ſortitus eſt Clemens, qui Legatos Vitalem, & Miſenum ad Zenonem miſit, quibus in mandatis dedit, ut peterent Concilium Chalcedonenſe confirmari, Petrum Mongum exturbari, & Acacium Romam mitti, adjiciens, ut Acacium, ni ſponte Romam properaret, ad dicendam cauſam citarent.

II. Illi vero nihil eorum, quæ in mandatis habebant perfecerunt, ſed cum Acacio communicarunt, paſſique ſunt, ut Petri nomen in dypticis publice recitaretur. Quamobrem hi in Synodo Romæ tum habita accuſati a communione ſuſpenſi ſunt. In eadem Synodo ſententia excommunicationis in Acacium lata. Verum iſta nullum robur habuit in Oriente; nec enim Joannes eſt reſtitutus, nec Mongus, aut Acacius ſedibus ſuis exturbati ſunt.

III. Ex his colligit Petrus de Marca, in cauſis fidei ad Romanum Epiſcopum appellari poſſe etiam ab Orientis Synodis. Verum iſtud exemplum non videtur ad propoſitum pertinere; primum enim nullum erat judicium in Joannem latum in ulla Synodo, ſed tantum per vim a Mongo exturbatus fuerat ſuffragante Imperatore, nec repugnante Acacio; quando igitur dicit Liberatus, eum appellaſſe, non proprie id accipiendum quaſi a judicio in ſe lato provocarit; ſed quia vexatus confugit, & opem imploravit a Sede Apoſtolica. Secundo, hinc quidem apparet, Pontificem Romanum ejus reſtituendi, & Acacii ad cauſam dicendam evocandi jus ſibi vindicaſſe ſecundum Sardicenſes Canones, & legem Valentiniani: at Orientales iſtud jus Pontifici detuliſſe, ex his minime probatur. Tertio, Joannes Talaia non omnino innocens videtur; quippe qui contra jusjurandum proprium ad Sedem Alexandrinam foret evectus. Nec Acacius adeo nocens erat, cum Petrus Mongus, cum quo communionem habebat, profiteretur ſe Synodi Chalcedonenſis decretis adhærere. Quarto, Felix in hac cauſa ſe geſſit tantum, ut executorem Concilii Chalcedonenſis: unde *merito*, inquit Felix ad Vetranionem, *prædictus Acacius Apoſtolicæ Sedis, quæ nunc executrix utique ſæpe dicti Chalcedonenſis Concilii pro fide Catholica tunc probati non defuit*.

IV. Unde Gelaſius in Epiſt. ad Fauſtum ait, deceſſorem ſuum *veteris executorem fuiſſe non novellæ ſanctionis, quod*, inquit, *Præſuli non ſolum Apoſtolico facere licet, ſed cuicunque Pontifici*. Hinc patet, Felicem nihil in hac cauſa geſſiſſe propria auctoritate, ſed tantum auctoritate Chalcedonenſis Concilii.

V. Quinto, cauſam Joannis Talaïæ non ſolus judicavit Felix, ſed in Synodo Occidentalium.

VI. Sexto, cauſa Joannis ad Romanum Pontificem ex utriuſque partis conſenſu devolvebatur; nam ut teſtis Gelaſius Epiſt. 13. Acacius, & Imperator promiſerant Legatis, eam Sedi Apoſtolicæ eſſe reſervandam.

VII. Septimo, peculiaris erat ratio, propter quam Joannes Talaia a Pontifice Romano judicandus erat; quia cum eſſet ſecundæ Sedis Epiſcopus, indecens videbatur eum

Digitized by Google

eum ab alia Sede, quam a prima judicari, ut docet Gelasius Epist. 13. Ex his abunde liquet, causam istam Joannis Talaïæ in exemplum appellationum trahi minime posse, ut a Petro de Marca factum est.

VIII. Verum idem multo gravius errat, cum dicit in eodem capite Romanos Antistites in causis fidei primam ad se earum cognitionem traxisse; miror id excidisse viro justitiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ tam perito. Quis enim nescit, omnes ferme hæreses, & hæreticos a propriis Episcopis, aut Conciliis Provinciæ fuisse damnatos, inconsulto Romano Pontifice? Ita Ophitarum hæresis a Synodo Episcoporum quondam in Bythinia damnata, Caianorum in Concilio Syriæ proscriptus error. Cerdon ejusque discipuli ab Orientalibus damnati. Pauli Samosateni impietas ab Orientalibus confossa. Arius ab Alexandro proscriptus. Eusthatii deliræ opiniones a Gangrensi Synodo reprobatæ. Eunomæorum audacia in Concilio viginti Episcoporum repressa. Apollinaristarum error in Alexandrino Concilio proscriptus. Eutychis hæresis a Flaviano damnata. Pelagii errores in Conciliis Diospolitano, Carthaginensi, & Milevitano proscripti. Priscillianistarum fœditas a Gallis, & Hispanis expulsa. Semipelagiani in Concilio Arausicano damnati. Felicis, & Elipandi dogma in Synodo Francofordiensi rejectum, &c. Finis enim nullus esset, si cuncta vellem enumerare damnatarum a Synodis Provinciarum hæreseon exempla, & quidem inconsulto Romano Pontifice. Non diffiteor tamen, quin aliquando de illarum damnatione relatum fuerit ad Romanum Episcopum. Verum istud privilegium, quod præ ceteris Romano competebat Episcopo, ad ceteros etiam magnarum Sedium Episcopos pertinebat, ad quos judicia Synodorum paulo majoris momenti referebantur, non quidem ut retractarentur, sed ut unanimi consensu confirmarentur, & hæretici rejicerentur ab omnibus. Sic Synodus Antiochena ad Romanum, Alexandrinum, & alios Præsules retulit de damnatione Pauli Samosateni: sic Alexander Alexandrinus de damnatione Arii certiores fecit Episcopos quamplurimos Orientis, & imprimis Constantinopolitanum Antistitem, & alii quamplurimi idem sæpe fecerunt.

IX. Verum ubi res videbatur esse minoris momenti, ut Eustathii damnatio, aut quando quis ob errorem jam unanimi consensu proscriptum damnabatur, ut in Eutychis negotio, tunc vel ejusdem tantum Provinciæ Episcopi, vel saltem viciniores admonebantur. Non tamen nego, quin relationes hujusmodi sæpe sæpius ad Romanam Sedem factæ fuerint duabus de causis. Prima, ob ejus Primatum. Secunda, quia una Ecclesia Romana ab Orientalibus admonebatur vice omnium Occidentalium, ac præcipue Italorum, & Gallorum, ut per eam quid in Oriente gestum foret, isti cognoscerent. Verum præcipua relationum istarum necessitas oritur ex unitate fidei, quæ debet esse inter omnes Ecclesias eodem communionis vinculo conjunctas.

X. Idcirco cum aliquis damnatur ob fidem, de causa communi agitur. Nam simul cum eo damnantur quicunque cum illo sentiunt: hinc factum, ut ita damnati confugere possunt ad Ecclesias secum sentientes, si quas reperirent, utque illæ vicissim Ecclesiæ possent istos tueri, & illos, a quibus lata est sententia a communione sua removere, quia communio esse non debet inter eos, qui diversam fidem habent. Hinc oritur inter Ecclesias schisma, ad quod tollendum nullum efficacius videtur esse remedium, quam Concilii universalis convocatio, in quo inter dissidentes Ecclesias judicium fertur. Id cernere est in causa Arii, & aliis fere omnibus, quæ Ecclesiam magnis motibus turbarunt. Sed ut rem in pauca conferam; constat ex dictis, Romanum Pontificem non posse ad se trahere cognitionem primam causarum fidei, nec eam per appellationem ad ipsum devolvi, tanquam ad supremum judicem; sed tantum ei licere doctrinam illam, quam veram esse putat, defendere, & diversa sentientes a communione sua removere, ac demum Concilium etiam postulare, aut convocare (si opus fuerit, aut si necessitas postulaverit) ad disceptandam controversiam de fide.

XI. At, inquit Marca, cum Romanus Episcopus primam Sedem obtineat, ejus debet prima esse sententia, ut loquitur Facun-

cundus Hermianenſis, eoque jure uſus eſt Papa Cæleſtinus adverſus Neſtorium.

XII. Reſpondeo, primam, ac præcipuam eſſe debere Romani Pontificis ſententiam, hoc eſt, judicium ejus maximi fieri, & pluris æſtimari, quam ceterorum. Idque, ut rectè obſervat Petrus de Marca, quia primam ſedem tenet; at inde velle inferre, ipſum primam ratione temporis debere ferre ſententiam, non minus abſurdum eſt, ac ſi quis ex eo, quod Præſes ſupremi Senatus primum inter judices locum obtinet, vellet concludere, primam in reos ab ipſo ferri ſententiam debere, etiam ante judices inferiores.

XIII. Exemplum porro Neſtorii opinionem Marcæ non confirmat; nec enim Cæleſtinus ad ſe traxit primam cognitionem cauſæ Neſtorii, ſed ipſe Neſtorius, & Cyrillus cauſam hanc ad Cæleſtinum detulerunt: is autem una cum Synodo Romæ celebrata cum ex quaternionibus Neſtorii ad ſe miſſis intellexiſſet, illum ab Alexandrinæ, & Romanæ, imo & univerſalis Eccleſiæ fide diſſentire, ſcripſit tum ad Cyrillum Alexandrinum, tum ad Joannem Antiochenum, eum, ni intra decem dies ab ejus decreti notitia numerandos revocaret errorem, & profiteretur ſe idem ſentire cum Romana, Alexandrina, & univerſali Eccleſia, ab univerſalis Eccleſiæ communione ejiciendum eſſe. Cæleſtini ſententiam ſecutus eſt Cyrillus cum ſuis Alexandrinis, & Neſtorium a communione ſua ſemovit, At Joannes, & alii Orientales ipſum defenderunt. Hinc natum diſſidium, ad quod componendum Synodus Epheſina convocata eſt, quæ Neſtorium depoſuit; nam ille huc uſque ſedem retinuerat. Ex his diſcimus, Romanum Pontificem non ad ſe traxiſſe primam cognitionem cauſæ Neſtorii, ſed hanc illi ultro delatam, nec eam ſupremo judicio ab illo definitam, ſed tantum Neſtorium, quoniam a fide Eccleſiæ ſuæ, necnon Alexandrinæ, ac, ut putabat, univerſalis Eccleſiæ aliena docebat, declaraſſe excommunicandum, quod ipſum præſtiterant ante Cæleſtinum Archimandritæ Conſtantinopolitani, & alii multi etiam Laici, qui ab ejus communione ante Cæleſtini ſententiam receſſerant. Verum tandem e diverticulo redeamus in viam: poſt Acacii damnationem per aliquot annos Eccleſiæ Orientales a Romana communione ſeparatæ ſunt, donec Juſtinus Imperator anno 510. pro bono pacis juſſit, ut Epiſcopi Orientis libellum ab Hormiſda confectum probarent, & ea lege pax inter Eccleſias ſancita eſt. Verum hanc turbaverunt nonnulli motus ab Acephalis, qui Eutychianorum erant reliquiæ, concitati. Inter hos inſignis erat Anthimus Trapezuntius, qui, propria ſede relicta, Conſtantinopolitanam contra Canones invaſit, utque ſe fidem ſanam tenere perſuaderet, Imperatori rationem ejus quærenti generatim reſpondit, ſe facturum *quæcumque magnæ Sedis Apoſtolicæ Antiſtes juberet*, & ad Patriarchas ſcripſit, ſe ſecuturum per omnia Sedem Apoſtolicam: ita cum cauſam ſuam Romani Epiſcopi judicio Anthimus ultro ſubjeciſſet, venit Conſtantinopolim Agapetus, apud quem Monachi accuſarunt Anthimum, cujus ordinationem vitioſam eſſe cernens Agapetus, ſtatim tum Conſtantinopolitana ſede ejecit, ſuffragante, & adjuvante Imperatore, & in ejus locum ordinavit Mennam. Illa autem ordinatio non magis oſtendit jus fuiſſe Romanis Pontificibus ordinandi, aut dejiciendi Conſtantinopolitani Epiſcopi, quam ordinatio Chryſoſtomi a Theophilo, & Anatolii a Dioſcoro probet, jus eſſe Alexandrino ordinandi Conſtantinopolitani Epiſcopi, aut ſimiliter ordinatio Maximi ab Anatolio, & Calendionis ab Acacio probet, jus eſſe Conſtantinopolitano ordinandi Antiocheni; hæc enim ſunt extra ordinem geſta ab Agapeto ad preces Orientalium. Verum adverſarii Anthimi non contenti illum de Sede Conſtantinopolitana deturbaſſe, libellos accuſationum obtulerunt, ut non modo e Sede Conſtantinopolitana, ſed & e Trapezuntina, ac omni, honore Epiſcopali, imo & communione, privaretur. Huic licet judicium fugienti, & in errore permanenti pœnitentiæ tempus dedit Agapetus, qui paulo poſt e vivis abiit. Poſt ejus mortem Synodus Conſtantinopolitana, cui præfuit Mennas definitivam in Anthimum ſententiam tulit: in eadem Synodo Severus, Petrus, & Zoaras damnati ſunt, judiciumque iſtius Synodi in

Digitized by Google

in alia Synodo Hierosolymitana ab Episcopis Orientis probatum. Hæc omnia gesta sunt post mortem Agapeti, cum nullus esset Romanus Pontifex electus. Ex iis perspicere est, primo Agapetum causam Anthimi judicasse, ut judicem ab ipso reo electum, & postulatum. Secundo, Agapetum omnia hæc egisse ex Imperatoris mandato, consensu Orientalium. Tertio, definitivam in Anthimum sententiam prolatam fuisse non ab ipso Agapeto, sed a Menna, & Synodo Orientali, vacante Sede Apostolica. Quarto, in Severum, Petrum, & alios eandem sententiam esse latam, quæ res ostendit falli Marcam, cum ait causas fidei sine Pontificis Romani auctoritate judicari non posse.

XIII. Quantum autem ab ista opinione alieni fuerint Orientales, manifeste docet Constantinopolitana secunda Synodus. Quæ non modo absente, sed & reclamante, ac renuente, imo & contrarium decernente Pontifice Vigilio, tria capitula damnavit.

XIV. Post hæc Monothelitarum dogma emersit; hoc primum Sophronius Hierosolymitanus in Concilio damnavit, tantumque abfuit ut Honorius Romanus Pontifex primus in hæreticos insurgeret, quin e contra illorum ad minimum Patronus extitit. In Occidentem per Pyrrhum, qui illuc relegatus fuerat doctrina Monothelitarum disseminata; quæ res Theodorum, ac postea Martinum Romanum Episcopum ad extinguendam illam hæresim excitavit. Hic non solus, sed in Concilio plurimorum Episcoporum causam universam discussit, & Monothelitarum dogma reprobavit: causa tamen non est finita ante judicium Synodi universalis Constantinopolitanæ, ubi omnia de integro tractata sunt.

XV. Denique Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus a Photio ejectus, & in Synodo damnatus non provocavit ad Pontificem Romanum, sed ipse Photius, ut firmius haberetur judicium in Ignatium latum, Synodum majorem celebravit, obtinuitque Legatos a Nicolao I. Pontifice Romano, qui damnationi Ignatii consenserunt. Hunc illorum consensum rescidit postea Nicolaus, & Photium a communione sua ejecit. Permansit tamen ille in throno donec Basilius Imperator post mortem Michaelis Ignatium revocavit, qui Romani Episcopi judicio non contentus, petiit ab Imperatore, ut Synodum œcumenicam convocaret. Ex his, ut puto, demonstratur, Græcos usque ad Photii tempora res Ecclesiasticas in Synodis suis tractasse, nec supremum habuisse Romani Pontificis judicium, etiam in rebus fidei,

XVI. Quod autem attinet ad judicia in Episcopos, aut Clericos in his partibus speciatim lata, paucorum nunc memoria supereſt. Verum intelligere datur, illa omnia finita prorsus, & terminata fuisse in Græcia, nec datum appellationi locum, ex eo quod neminem fere video, qui per hæc tempora dejectus in Synodis Græcorum ad Romanum Pontificem provocarit, & ab eo fuerit restitutus; quamvis haud dubium sit, quin plurimi fuerint ibi vel ab Episcopis, vel a Synodis dejecti. Dicendum est igitur, apud Græcos nulli appellationi ad Romanum Episcopum locum fuisse.

§. Ultimus.

Nonnulla judiciorum Ecclesiasticorum in Occidente exempla recentiora cursim perstringuntur.

AT in Occidente post quintum Ecclesiæ sæculum appellationum ad Romanum Pontificem usus in causis Episcoporum invaluit: nonnulla tamen extant exempla appellationum ejusmodi, vel rejectarum, vel certe non multo in pretio habitarum. Sic Paulus Archiepiscopus Cretæ Joannem Episcopum Lappensem a suo ad Romani Episcopi judicium provocantem dimittere noluit, & appellationem ejus inconvenientem esse judicavit; docet id Epistola Vitaliani Romani Episcopi ad hunc Paulum, in qua reprehendit *eum, quod non solum noluisset absolvere;* hoc est mittere Joannem Lappensem ad Principis Apostolorum limina, sed quod magis ei id quærenti respondisset, quia *non competenter quæris.*

II. In Gallia sæpe sæpius appellationes ad Romanum Pontificem non magni habitæ

Digitized by Google

bitæ ſunt: ſic Contumelioſus Reienſis a Cæſario Arelatenſi damnatus, cum provocaſſet ad Pontificem, appellatione pendente, Epiſcopatu ſpoliatus, & damnationis ſententia executioni mandata: quod quidem Agapetus indigne tulit, putavitque, per illud præjudium inferri appellationi, *quia*, inquit, *ſi in executionem mittitur prima ſententia, ſecunda non habet cognitio, quod requirat.*

III. In Concilio Lugdunenſi anni 567. Salonius Ebredunenſis, & Sagittarius Vapincenſis dejecti Regem adierunt, & ab eo licentiam impetrarunt eundi ad urbem Romam illuc a judicio Epiſcoporum provocantes. Verum hanc appellationem parvi facientes Gallicani nullos Romam miſerunt, qui reos accuſarent, aut convincerent, cum igitur damnati dixiſſent, ſe injuſte dejectos a Joanne III. litteras obtinent ad Regem in quibus eos locis ſuis reſtitui jubebat: *Quod Rex*, inquit Gregorius, *ſine mora caſtigatis prius illis verbis multis implevit.* At Gallicani Epiſcopi non eodem modo judicium Romani Epiſcopi reveriti ſunt, quin imo Victorem Epiſcopum illorum prius accuſatorem a communione ſuſpenderunt, quod cum eis in gratiam, & communionem rediiſſet, illi tamen Sedem ſuam retinuerunt auctoritate, & gratia regis, qui facilior erat, donec in congregata apud Cabillonum Synodo iterata eſt illa accuſatio, objecta illis vetera crimina, & non ſolum de adulteriis, verum etiam de homicidiis accuſati ſunt: *ſed hæc per pœnitentiam purgari poſſe cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, quod eſſent rei majeſtatis, & patriæ proditores, qua de cauſa ab Epiſcopatu diſcincti in Baſilicam ſancti Marcelli ſub cuſtodia detruduntur, ex qua per fugam elapſi diſceſſerunt per diverſa vagantes, donec in civitatibus eorum alii ſubrogati ſunt.*

IV. Eodem ſæculo Promotus Presbyter, & Prætextatus Rothomagenſis in Synodo Pariſienſi, Ægydius Metenſis a Rhemenſi, Deſiderius Viennenſis in Cabilonenſi etiam inconſulto Romano Epiſcopo dejecti ad eum minime provocaverunt, ſtatimque Synodorum ſententia in eos executioni mandata; quod argumento eſt, nondum ſolemnem fuiſſe Gallorum morem appellandi ad Romanum Pontificem.

V. Sæculo item nono nonnulla occurrunt appellationum neglectarum exempla; primum eſt in cauſa Aldrici Cenomanenſis, qui appellato licet Pontifice dejectus eſt, nulla appellationis ejus ratione habita, ut conſtat ex Epiſtola 1. Gregorii IV. in qua queritur, appellationem ejus a Gallis flocci fieri: *Liceat*, inquit, *illi poſt auditionem Primatus Diœceſeos, ſi neceſſe fuerit nos appellare, & noſtra auctoritate aut ante nos, aut ante Legatos noſtros ex latere miſſos juxta Patrum* (ſcilicet Sardicenſium) *Decreta ſuas exercere, aut ferre actiones, nulluſque illum ante hæc judicet, aut judicare præſumat . . . nec quiſquam frivolus, aut contentioſus, ſive contumax hæc irrationabiliter præcipere contendat cum & auctoritate Canonum, & prædeceſſorum noſtrum decretis ſancitum ſit, ut Epiſcopus accuſatus, ſi voluerit, appellet Romanum Pontificem;* & poſtea: *maneat memoratus Aldricus hac Apoſtolica auctoritate uſque ad præſentiam Sedis Apoſtolicæ ſemper Epiſcopus . . . . nec, antequam huc veniat, ſuccumbat judicio . . . prædictæ Apoſtolicæ ſanctæ Sedis, ſi voluerit, & neceſſe fuerit, appellet Antiſtitem.* Ex his diſcere eſt, Gallicanos tum temporis Epiſcopos nullam habuiſſe appellationum ad Romanum Pontificem rationem, & ea non obſtante ſententiam in Provincia latam executioni mandari voluiſſe, ideoque a Gregorio IV. increpatos fuiſſe.

VI. Secundum exemplum eſt in cauſa Rothadi Sueſſionenſis, quem Gallicani Epiſcopi provocantem ad Romanam Sedem, nulla appellationis ratione habita, de ſede dejecerunt, & in Monaſterium retruſerunt, alio Epiſcopo ejus in locum ordinato: id ægerrime tulit Nicolaus Pontifex ſic ad eos ſcribens Epiſt. 32. *Ignoraſſe autem fraternitatem veſtram non patimur, animum noſtrum non mediocriter læſum eo quod ſecundum geſtorum tenorem, & veſtrarum ſuggeſtionum, quas ad Sedem Apoſtolicam direxiſtis, cognitionem, appellantem eumdem Rothadum Apoſtolicam Sedem depoſueritis, ac in Monaſterio detruſeritis, quod non niſi in contemptum beati Petri, cujus judicium expetivit, & in contumeliam ſacrorum Canonum, & Eccleſiaſticarum traditionum præſum-*

ſumptum, ac temere admiſſum minime dubitatur. Allegat deinde Sardicenſes Canones. Ad hæc Porro Galli reponebant, *appellationes ejus fuiſſe excuſationes*. Addebant, eum poſt appellationem vocem mutaſſe, & Concilium Epiſcoporum expetiiſſe, *ab electis autem judicibus appellari non poſſe*. Hoc præcipue urget Hincmarus in Epiſtola, quam ad Nicolaum de Rothadi negotio miſit. Cum enim tum non liceret Gallis omnino inficiari, quin ab Epiſcoporum judicio ad Sedem Apoſtolicam appellari poſſet, rationem hanc adinvenerunt appellationum ejuſmodi impediendarum, renovantes Africanæ Synodi ſtatutum: *ab electis judicibus appellare non licet*. Hac igitur utentes regula illorum, qui ſteterant in judicio, cauſamque ſuam ultro illic egerant quaſi judices elegiſſent, appellationes nihili faciebant. Porro licet Rothadus poſtea ſit reſtitutus, non tamen a ſententia ſua receſſere Gallicani Epiſcopi, ut docet Hincmarus in capit. 5. opuſculi 55. capit. namque Nicolaus judicium Synodi non irritavit, ſed veniam petentem Rothadum ſuſcepit, eumque pro bono pacis reſtituere Galli, cum præſertim jam mortuus foret is, qui in locum ejus dejecti fuerat ordinatus.

VII. Tertium exemplum eſt Hincmari Laudunenſis, quem ad Sedem Apoſtolicam ſæpius licet appellantem Epiſcopi Gallicani dejecerunt, primum in Concilio apud Vermeriam, deinde in Attiniaco, ac demum in Duziacenſi & depoſitionis ſententia executioni mandata eſt reclamante licet Hadriano II. Pontifice. Porro Hincmarus, & alii Gallicani Antiſtites, tum temporis appellationes non omnino rejiciebant; ſed tam ſtrictis limitibus eas cohibebant, ut nihil ferme reliquum eſſet Romano Pontifici.

VIII. Primo enim negabant appellari poſſe ante judicium latum, & omnes hujuſmodi appellationes ut fruſtratorias rejiciebant. Secundo, appellationes Romæ judicari non poſſe aſſerebant, ſed tantum in Provincia. Tertio, contendebant priores judices ſedere debere in ſecundo judicio. Quarto, cenſebant locum ſecundo judicio dari non oportere a Romano Pontifice, niſi quando veriſimillimum erat damnatum eſſe innocentem, non autem quando quis aut confeſſus, aut manifeſte convictus erat. Quinto, illum qui appellaverat pendente appellatione pro depoſito, ac damnato habebant: uno verbo, non aliud jus concedebant Romano Pontifici, quam quod Sardicenſibus Canonibus continetur, ut a nobis expoſiti ſunt ſupra, quod quidem proprie non eſt appellationis admittendæ, ſed tantum reviſionis concedendæ. Illud inſuper addentes ex Africanis Canonibus ab electis judicibus, vel ab iis, quos Primas dederit ex conſenſu partium appellari non poſſe. Hæc conſtant ex Epiſtolis Caroli Calvi ad Hadrianum II. & Joannem VIII. ab Hincmaro conſcriptis, nec non ex reſcripto Concilii Duziacenſis ad eumdem Hadrianum. Quæ noviſſime edidit Gerbaſius ad finem operis ſui nunquam non ſatis laudandi de majoribus Epiſcoporum cauſis, quem de ceteris Synodorum Provincialium judiciis conſulere poteris; nos ea non attingimus, quia ad appellationes, de quibus hic præcipue agimus, non pertinent. Ceterum non omnia judiciorum Eccleſiaſticorum exempla retulimus, quod infinitum fuiſſet, ſed tantum præcipua; ſed nec iſta fuſe expoſuimus, quod alienum erat a propoſito, verum ea tantum, quæ ad propoſitum noſtrum faciebant, obſervavimus, quia hæc, & alia fuſius narrare hiſtoricorum eſt.

EPILOGUS.

ANtequam huic diſſertationi finem imponamus ea, quæ a nobis huc uſque probata ſunt, breviter reſumere juvat: Primum igitur docuimus jure antiquiſſimo ſummam poteſtatem judicandi de Epiſcopis non ſecus ac de Presbyteris ad Synodum Provinciæ pertinuiſſe. Secundo, oſtendimus Canonibus Sardicenſibus non eſſe conceſſum ſummo Pontifici jus appellationis admittendæ, ſed tantum reviſionis decernendæ. Tertio, docuimus jus Canonibus Sardicenſibus ſtatutum nunquam in Oriente, ac ſero in Occidente fuiſſe receptum. Quarto, probavimus quatuor primis Eccleſiæ ſæculis nullum proprie dictæ appellationis exemplum reperiri. Quinto, demonſtravimus quinto Eccleſiæ ſæculo de jure appellationum decertatum eſſe cum Romanis Pontifi-

Digitized by Google

ficibus. Sexto, advertimus posterioribus Ecclesiæ sæculis nulla ferme extare appellationum ex Oriente exempla, & in Occidente fuisse nonnullos, qui eas non probarent, vel mirum in modum coercerent. Observavimus, controversias fidei primum judicatas ubi nascebantur, quod si de illo judicio Ecclesiæ secum invicem dissentirent, ultimum, ac supremum judicium fuisse penes Ecclesiam, & Synodum universalem.

II. Ceterum licet ea fuerit Ecclesiæ ordinaria disciplina, negare tamen nolim, quin extent nonnulla exempla, quibus probari videtur hanc nonnunquam observatam minime fuisse. Verum primo juri, & consuetudini ordinariæ standum est, non exemplis quibusdam hinc & inde petitis.

III. Secundo, observandum est id a natura insitum esse omnibus hominibus, ut cum iniquius secum actum esse putant, ad eos confugiant, qui aliquam auctoritatem habent, & apud quos aliquam gratiam sperare possunt: hinc videmus multos a Synodis damnatos non solum ad Pontificem Romanum, sed nonnunquam ad Imperatores, aliquando ad alias Sedes, & sæpius ad majores Synodos confugisse.

IV. Tertio, eadem de causa videre est homines in sua Provincia damnatos ab aliis Synodis purgatos fuisse, cum præsertim accusatores ipsi, aut judices posterius istud judicium non recusabant.

V. Quarto, innumeris licet Canonibus esset vetitum, ne quis excommunicatum in communionem susciperet; attamen ubi perspicuum erat aliquem innocentem per vim, vel per gratiam, aut omissa legitima judicandi forma damnatum esse, poterat ab aliis Episcopis in communionem suscipi, imo & restitui.

VI. Quinto denique, cum omnes Episcopi unum, ac solidum habeant Episcopatum, ad singulos eorum spectat laboranti Ecclesiæ in gravi necessitate succurrere in quavis mundi parte. Tunc enim omnes Episcopi sunt quodammodo fidei, & Canonum vindices, quando vident periculum esse, ne aut fides detrimentum capiat, aut leges Ecclesiasticæ violentur, nec debent stare segnes, & otiosi, sed omnibus modis laborare eos oportet, ut fides in tuto sit, utque Canones observentur. Hujus sententiæ auctor est Cyprianus, qui multis in occasionibus eam secutus est. Præsertim vero cum Basilidem, & Martialem Hispanos sedibus suis restituendos non esse judicavit, aut cum Martianum Arelatensem deponendum esse scripsit ad Stephanum. Similiter Dionysius Alexandrinus, & Firmilianus Capadox ad Paulum Antiochenum damnandum concurrerunt; & his antiquior Irenæus Gallus Victorem Romanum reprehendit de excommunicatione in Asianos lata, suumque judicium inter Ecclesias celeberrimas interposuit. Post hæc Gallicani Episcopi de Afris judicium tulerunt primum in Synodo Romana, deinde in Arelatensi. In Arii Alexandrini causa, Osius Cordubensis judex, & arbiter sedet in Synodo Alexandrina. Athanasius in Tyria ab Orientalibus damnatus, ab Occidentalibus in Sardicensi absolutus est. Photinus ab Orientalibus æque ac ab Occidentalibus proscriptus. Chrysostomus in Concilio Constantinopolitano Asiaticorum Episcoporum nihil ad se pertinentium causam tractavit: idem laboranti Ephesinæ Ecclesiæ succurrit, & ordinato ibi Episcopo Ecclesias Asiæ reformavit; unde dictus est non suam tantum, sed & aliorum universas Ecclesias curasse. Eusebius Samosatenus grassante Valentis persecutione totius Orientis curam gessit, & ubique Episcopos clanculum ordinavit. Cyrillus Alexandrinus in Nestorium insurrexit. Idem Joannem Antiochenum damnavit, & vicissim a Joanne damnatus est. Priscillianus, & Instantius Hispani Episcopi in Synodo Burdigalensi exauctorati sunt, Pelagius Britannus, & Cælestius Asiæ Presbyter ab Afris damnati. Inter Paulinum, & Meletium dissidentes Capuensis Synodus judicavit. Anatolius Photium Tyri Episcopum communione Ecclesiastica privavit. Petrum Mongum Alexandrinum Præsulem damnavit Acacius Constantinopolitanus. Prætereo multa alia exempla, quæ infinitum esset recensere. Unum addo Romanam Ecclesiam minime motam invidia fuisse, quod alii Episcopi Ecclesiis omnibus invigilarent, imo eos ad id faciendum invitasse. Docet id Clerus Romanus scribens ad Cyprianum de Privato Lambesi-

Digitized by Google

beſitano : *omnes enim*, inquit, *nos decet pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias quaſque Provincias membra digeſta ſunt, excubare*. Et Cæleſtinus in Epiſtola ad Synodum Epheſinam : *Hæc ad omnes*, inquit, *in communi Domini Sacerdotes mandata prædicationis cura pervenit, hæreditario in hanc ſollicitudinem jure conſtringimur, quicunque per diverſa terrarum loca Apoſtolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur, ite, docete omnes gentes, advertere debet veſtra fraternitas quia accepimus generale mandatum, & omnes id nos agere voluit, quibus in commune mandavit officium, neceſſe eſt, ut competenter noſtros ſequamur auctores*. Alia plura in hanc rem Pontificum Romanorum dicta prætermitto.

VII. Ceterum etſi ad omnes Epiſcopos totius Eccleſiæ cura quodammodo pertineat, licet omnes teneantur laboranti Eccleſiæ ſuccurrere ; agnoſcendum tamen eſt id præſtanti quadam ratione primæ Sedis Epiſcopo competere. Nam ſi in qualibet ſocietate, qui in ea Princeps eſt, maxime tenetur invigilare, ne quid illa detrimenti capiat ; quis æquus rerum arbiter negare poſſit, quin præ ceteris ad Romanum Epiſcopum, qui primæ ac maximæ ſedi præeſt pertineat, in illud ſedulo incumbere, ut ab omnibus omnino Chriſtianis fides illibata cuſtodiatur, utque Canones ubique obſerventur ? hoc ſenſu intelligendum videtur illud Gregorii ; cunctos Chriſtianos ubi peccant Sedis Apoſtolicæ correctioni ſubjectos eſſe, hoc ego Romani Epiſcopi privilegium non ſecus ac ejus Primatum conſtanter teneo, & ſi quid adverſus illud mihi in iſtis diſſertationibus exciderit, quod tamen factum eſſe non arbitror, illud pro non dicto haberi volo, & ſi quis oſtenderit, paratus ſum emendare.

DE ANTIQUA ECCLESIÆ DISCIPLINA

DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO TERTIA.

De antiqua infligendæ excommunicationis ratione.

PRÆLOQUIUM.

NULLA est hominum societas, cui jus non sit, & potestas eorum expellendorum, qui leges societatis infringunt, vel ejus bono adversentur. Quemadmodum enim in corpore humano membra putrida sunt resecanda, ne totum corpus inficiant, aut sicut in gregibus morbidæ oves a sanis secernendæ sunt, ne per totum ovile morbus grassetur; ita etiam in hominum societatibus necesse est, eos, qui societati pessimis factis, vel exemplis obsunt, expelli, tum ne societatem perturbent, tum ne ceteri in eamdem trahantur perversitatem. Id vero si qua in societate sit necessarium, maxime requiritur in Ecclesia, cujus finis est rectam fidem, & bonos mores in hominum animis conservare, ut beatitudinem æternam consequi possint. Nam si non posset Ecclesia homines prava facientes, aut docentes a sua societate removere, brevi tempore quamplurimi eorum exemplo in eamdem traherentur impietatem. Corrumpunt enim bonos mores tum colloquia, tum exempla prava. Non est ergo denegandum Ecclesiæ illud jus, quod omnibus societatibus competit, ut possit homines societate sua indignos, quantum in se est, ab ea removere. Hujusmodi porro expulsio dicitur excommunicatio, cujus sæpe fit in sacris litteris mentio. Et primum quidem Christus Matthæi 18. hoc telo in pertinaces utendum esse docet: *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen amen dico vobis quæcumque alligaveritis super terram, &c.* Qui-

Quibus verbis Christus docet, eos, qui in peccatis suis pertinaces fuerint, quique nec privati alicujus, nec totius Ecclesiæ correptione emendati fuerint, a communione alienos esse debere. Id enim significant hæc verba: *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Alludit quippe Christus ad consuetudinem Judæorum, qui ab Ethnicorum, & Publicanorum consortio abhorrebant, ut patet Act. 10. v. 28. & Galat. 2. v. 12. necnon ex eo, quod Christum redarguunt Judæi, quod cum peccatoribus, & Publicanis versaretur. Itaque cum ait, eum, qui Ecclesiæ correptionem non audit, habendum esse pro Ethnico, & Publicano nihil aliud sibi vult Christus, quam eum esse a consortio, & communione separandum, nec habendum amplius loco fratris. Ad id vero claves Ecclesiæ a Christo datas pertinere, & istarum hoc esse officium, ut correptos si emendare se nolint a communione Ecclesiæ expellant, ex sequentibus verbis colligitur: *Amen amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Itaque Apostoli clavibus hisce utentes eos, qui vel flagitiose viverent, vel prava sentirent, ab Ecclesia expulerunt. Constat ex incestuoso Corinthio, quem Paulus jubet ab Ecclesiæ cœtu arceri, Corinthios graviter increpans, quod hominem hujus criminis reum in communione tolerarent, generatimque pronuntiat, eos omnes, qui in similia flagitia prolapsi fuerint, arcendos esse ab Ecclesiæ communione. Idem circa eos, qui fidem Christi, aut disciplinam Ecclesiæ pervertebant, faciendum esse docet Epist. ad Thessal. 2. c. 3. *Denuntiamus*, inquit, *vobis, ut subtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis:* & ad Timot. cap. 1. *Quam* (bonam conscientiam) *quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, e quibus est Hymenæus, Philetus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Tradere autem Satanæ, licet alii aliter interpretentur, nihil aliud videtur esse, quam a fidelium conventu expellere, ut constat ex capite quinto Epistolæ primæ ad Corinthios. Denique idem Paulus Epistola ad Titum capite ultimo hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devitandum esse docet. Quod rigidius exponit Joannes scribens in Epist. 2. v. 10. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet; si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit ei ave, communicat ejus operibus malignis.* Ex quibus constat Apostolorum tempore excommunicationem in usu fuisse, & ab iis commendatam adversus eos, qui doctrinam Christi penitus evertebant, aut gravium criminum rei erant.

II. Post Apostolos eamdem disciplinam semper in Ecclesia viguisse, res est extra omnem controversiam: observandum solummodo est, duplicem fuisse olim excommunicationem pro duplici reorum, in quos ferebatur, ratione: una etenim erat in eos, qui vel per convictionem, vel per spontaneam confessionem criminis alicujus comperti de eo dolentes ac gementes a communione removebantur tam ad medelam, quam ad exemplum. Altera vero excommunicatio ferebatur in rebelles, qui vel in suo errore pertinaces hærebant, vel crimen suum agnoscere, & plangere detrectabant. Utraque excommunicatio ex sacris litteris colligitur, & utraque apud antiquos in usu fuit. Prior ab Augustino dicitur medicinalis, posterior mortalis: *Nos vero*, inquit in lib. 50. Hom. hom. ult. *quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis, nisi aut sponte confessam, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.* Medicinalem excommunicationem alibi sic explicat nomine pœnitentiæ Ep. 108. *Agunt etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur.* Idem in lib. post collat. contra Donatistas hæc habet huc etiam pertinentia: *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitentiæ locum redigimus.* Hujus excommunicationis in sacris litteris extat exemplum sane gravissimum incestuosi scilicet Corinthii, ejusque fit passim mentio tam in Canonibus, quam in

in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quorum teſtimonia proferre hic foret inutile. Eccui enim nunc ignotum eſt, pœnitentes olim non ſolum communione corporis Chriſti, ſed etiam Eccleſiæ communione orbatos fuiſſe, & a precibus ac conventibus communibus ſegregatos? Sed de hac excommunicatione non agimus; verum de illa, quæ mortalis ab Auguſtino dicitur, ferturque in reos pertinaces & rebelles, qui ad meliorem frugem redire nolunt: de qua, ut tractetur ordine, inquirendum primo, a quibus, & quomodo inferretur. Secundo, in quos, & propter quid ferretur. Tertio, quinam ejus eſſent effectus.

CAPUT I.

A quibus, & quomodo inferretur excommunicatio.

EXcommunicatio, ut diximus, expulſio eſt è fidelium conventu, & ſocietate, quæ fit vi clavium a Chriſto Eccleſiæ traditarum. Eccleſiæ autem nomine licet Epiſcopi, & Presbyteri præcipue intelligantur, optime tamen dici poteſt claves Eccleſiæ univerſitati, ut loquitur Auguſtinus, datas eſſe, quæ ſcilicet per ejus miniſtros exerceantur. Unde licet nulli præterquam Epiſcopi, & Presbyteri poteſtatem exercendi claves habeant, ea tamen in univerſa reſidet Eccleſia, quo nomine in ſacris litteris non ſacerdotes ſoli, ſed univerſus fidelium cœtus intelligitur. Verum licet Eccleſia hoc ſenſu claves habeat, non tamen omnes fideles iis uti poſſunt, ſed ſolis ſacerdotibus hoc eſt reſervatum, unde etiam claves ſolis ſacerdotibus datæ recte dici poſſent; quia illorum tantum eſt iis uti; veruntamen haud dubium eſſe debet, quin primo & præcipue toti Eccleſiæ ligandi, ac ſolvendi poteſtas ſit data, a qua in ejus Miniſtros derivatur. Sic quamvis in Republica ſoli Magiſtratus, & cives, jus vitæ, & mortis, belli ac pacis habeant, ea tamen poteſtas in republica ipſa tanquam in fonte, & radice reſidet, idem ſervata proportione dicendum in Eccleſia. Atque hinc forte primis Eccleſiæ ſæculis non ſoli Epiſcopi, ſed cum eis Presbyteri, accedente etiam nonnunquam laicorum conſenſu, excommunicationis judicium ferebant in noxios, iſtaque diſciplina Apoſtolorum tempore viguit, & ab eis commendata eſt. Nam Paulus non dicit Corinthium inceſtuoſum ab Epiſcopo, aut Presbytero excommunicandum eſſe, nec ipſe tum auctoritate ſua ſolus excommunicat, ſed jubet id ab univerſa Eccleſia fieri: *Ego quidem*, inquit, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi, ut præſens eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini Jeſu Chriſti tradere hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis .... neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit; expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* Idem 1. ad Timoth. 3. omnibus fratribus conſulit, ut ſubtrahant ſe ab iis, qui ambulabant inordinate; & Joannes in Epiſtola ſua fœminam, & natos ejus privatos monet, ut hæreticorum communionem fugiant.

II. Poſt Apoſtolos eadem diſciplina aliquandiu fuit in uſu, tunc enim communi Presbyterorum judicio, fidelium omnium conſenſu accedente, rei expellebantur a communione; teſtis eſt Tertullianus, qui in Apologetico deſcribens diſciplinam Chriſtianorum ait, in eorum conventibus communibus, ubi ſcilicet omnes aderant, judicium ferri in noxios. *Nam*, inquit, *& judicatur ibi magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii divini præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.*

III. Extant quoque antiquæ hujus diſciplinæ veſtigia in Epiſtolis Cypriani, in quibus cernimus plebis aliquando conſenſum adhiberi ad excommunicandos aut recipiendos lapſos. *Ad id vero*, inquit Cyprianus Epiſt. 57. *quod ſcripſerunt mihi Compresbyteri noſtri reſcribere nihil potui, quando a primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meæ privatim ſententia gerere.* Et Presbyteri Romani Epiſt. 31. ad Cypria-

prianum plebis quoque adhibendum in causa lapsorum judicium testantur. *Quanquam*, inquiunt, *nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, prius Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus pariter, ac stantibus Laicis facta, lapsorum tractare rationem.* Et in ipsa Synodo Carthaginensi ea de re habita convenisse dicuntur Episcopi plurimi cum Presbyteris, & Diaconis, præsente etiam plebis maxima parte, ex quibus intelligitur tam Romanæ, quam Carthaginensis Ecclesiæ morem fuisse, ut non ejicerentur, aut reciperentur quiquam, nisi accedente plebis consensu. Ipse etiam Cyprianus Epist. 9. eos Presbyteros, qui temere lapsos ad communionem admittebant non est ausus penitus excommunicare, sed causam eorum reservavit totius Ecclesiæ judicio: *Utar*, inquit, *ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam causam suam, cum, Domino permittente, in sinum matris Ecclesia colligi cœperimus.*

IV. Verum licet, uti diximus, primis illis Ecclesiæ sæculis plebis in excommunicatione ferenda consensus adhiberetur, postea tamen usus invaluit, ut Episcopus, & Clerus soli, ac sine consilio plebis excommunicationis sententiam ferrent. Ita tamen, ut ab eis excommunicatus recursum haberet ad Synodum Provinciæ, in qua causa ejus iterum excutiebatur.

V. Sed ut hæc planiora fiant, observandum est, primis Ecclesiæ sæculis Episcopum nihil gravioris momenti fecisse sine consilio Cleri sui, ac maxime Presbyterorum; hinc quotiescumque privatus aliquis sive Laicus, sive Clericus aliquid dignum excommunicatione fecerat, deferebatur ad judicium Ecclesiasticum Episcopi, & Cleri Ecclesiæ, in qua degebat, a quo si damnatus foret, & excommunicatus, non poterat ab aliis Episcopis in communionem suscipi, sed recursum habebat ad Synodum Provinciæ, in qua, causa ejus examinata, vel confirmabatur lata in eum sententia, vel si injusta videretur, rescindebatur, & excommunicatus restituebatur. Firma autem manebat Synodi Provinciæ sententia, nec poterat ab alio rescindi, cum præsertim non agebatur de fide. Nam cum de illa erat quæstio, quia res communis in periculum veniebat, ceteræ Ecclesiæ poterant inquirere causam, propter quam aliquis ejectus foret, & si comperissent doctrinam orthodoxam a Synodo Provinciæ alicujus esse proscriptam, & propterea tantum aliquem esse damnatum, quod eam doceret, tunc poterant hominis istius, aut potius ejus doctrinæ patrocinium suscipere, quæ res sæpe sæpius magnas in Ecclesia turbas excitavit, ob varias de dogmate aliquo Episcoporum, & Ecclesiarum opiniones. Ceterum isto in casu nullum aliud remedium præsentius est inventum, quam ut ex pluribus orbis partibus Episcopi in unum convenientes sententiam ferrent: quo facto, qui Synodi universalis & liberæ judicio non obtemperabant, merito ab Ecclesiæ communione separati, & schismatici habebantur.

VI. Multa sunt in hac propositione, quæ fuse confirmanda essent, nisi jam abunde a nobis præcedenti dissertatione forent pertractata, singula tantum breviter resumemus.

VII. Primum est, Episcopum vix unquam sine Clero judicium tulisse. Quippe apud antiquos forum erat Ecclesiasticum, in quo Episcopus, & Presbyteri sedebant. Hujus Synedrii meminere sæpius antiqui. Ignat. Epist. ad Magnesios ait Episcopum præsidere *loco Dei*, & Presbyteros *loco consessus Apostolorum*: eosdem Presbyteros Epist. ad Philadelphienses *Concilium Episcopi* vocat: similiter Presbyteros *Præsidentes* appellat Tertullianus in Apologetico: *Præsident*, inquit, *apud nos probati quippe seniores hunc honorem non pretio, sed testimonio adepti:* cujus stilum imitatus Cyprianus Clerum Romanum cum Cornelio Papa Præsidentem vocat Epist. 55. & Ep. 5. verendum esse ait quibusdam, ne Presbyterorum, & Diaconorum testimonio, & judicio condemnati eorum societate priventur. Optatus item Afer fori istius Ecclesiastici meminit lib. 7. *Accusatore*, inquit, *silente, non licuit Macarium abstinere: scriptum est enim, ante agnitam causam neminem esse damnandum, dicite quis eum accusavit, & audiius non est, dicite Macarium*

Digitized by Google

rium confessum esse culpam, & nostram siluisse sententiam, sumus enim qualescumque Judices in Ecclesia. Concilii Carthaginensis 4. c. 23. diserte id sancitur: *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* Concilium Eliberitanum cap. 74. *Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur, si autem non probaverit conventui Clericorum, placuit per quinquennium abstineri.* August. Homil. 56. de pœnitentia, ejusdem Synedrii meminit, cum ait: *nos vero quemquam a communione prohibere minime possumus .... nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.* De eodem Presbyterorum cum Episcopo consessu sæpe fit mentio in Constitutionibus Apostolicis, eaque consuetudo diu permansit in Ecclesia, ut constat ex capitulis Egberti Eboracensis, & ex relatis a Burchardo Canonibus. Extat autem memoria plurium judiciorum ab Episcopo, & Clero latorum in reos: sic Marcion a Clericis Romanis repulsus est, cum fuisset a Patre Episcopo Ecclesia ejectus; Noetus ab Ephesinis Presbyteris est damnatus; Arius ab Alexandro Episcopo Alexandriæ hujusque urbis Clero est damnatus, & ejectus a communione; Jovinianus a Siricio, & universo Clero Romano proscriptus est: sed quid in his moror, cum apud omnes eruditos constet, Episcopum olim nihil quidquam magni momenti sine Presbyterio egisse, aut judicasse, sicut nec Metropolitanum absque Synodo Provinciæ. Quin etiam in Conciliis Provinciarum sedisse legimus Presbyteros, & cum Episcopis judicasse, multo ergo magis in Synodis privatis cum Episcopo sedebant, & judicabant.

VIII. Secundo loco in propositione nostra attendendum est, Laicum vel Clericum peccantem ad proprii Episcopi tribunal deferri oportere; apud alienum vero accusari non posse, etiamsi superior sit, puta Metropolitanus, aut Patriarcha. Constat id ex solemni regula ab antiquis nisi ubi necessitas aliud poscret studiose observata, ne quis in aliena Diœcesi quidquam sine illius Diœcesæos Episcopi licentia faceret. Nam si non licuit Episcopo in aliena ditione quidquam vel minimum facere sine jussu, & consensu Episcopi hujus loci, quanto magis hoc in casu non licet alieno Episcopo Laicum, aut Clericum, alteri Episcopo subjectum judicare. Hinc egregie Cyprianus ait, quod licet universis Episcopis Ecclesia sit a Deo commissa, unusquisque tamen ejus portionem gubernandam acceperit, quam regat, actus sui rationem soli Deo redditurus. Ne autem ordo iste perturbaretur, sæpe in Conciliis statutæ sunt pœnæ in eos, qui in alienas Ecclesias haud vocati excurrerent, ibique vel ordinationes facere, vel sacra celebrare tentarent. In Concilio Antiocheno Can. 9. unicuique Episcopo suæ Ecclesiæ potestas, & ordinationes Presbyterorum tribuuntur. Can. 15. vetatur, ne quis Episcopus ex una Provincia in aliam transeat, nisi venerit accersitus litteris Episcoporum, & Metropolitani, decerniturque: *Ut si quis, nullo vocante, ad aliquorum ordinationem, & Ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium constitutionem inordinate, insolenterque processerit, sint quidem irrita, quæ ab ipso geruntur, ipse autem suæ insolentiæ, & temere factæ aggressionis det pœnas, e sancta scilicet Synodo exinde depositus.* Idem sancitur de Episcopis unius Provinciæ cap. 21. ne scilicet in alienam Ecclesiam excurrant, licet ea sit ejusdem Provinciæ, nisi vocati fuerint litteris Episcopi hujus Ecclesiæ. Idem sancitur Canonibus tertio, & decimoquinto Sardicensis Concilii, necnon Canone 7. Concilii Constantinopolitani. Certum est ergo; Laicos, aut Clericos non potuisse judicari, aut excommunicari ab alienis Episcopis, & ne quidem a Metropolinano, aut Patriarcha omisso medio, hoc est proprio Episcopo; nisi forte gravis esset ejus negligentia aut conniventia, tunc enim moneri eum oportebat a Metropolitano, & si pertinaciter recusaret noxios punire, tum illi, tum Episcopus ipse deferendi erant ad Synodum Provinciæ, ibique judicandi.

IX. Tertium propositionis nostræ caput est, damnatum Laicum, aut Clericum recursum habuisse ad Synodum Provinciæ, & in ea examinatum fuisse Episcopi, & Cleri

Digitized by Google

ri judicium, quod certo certius est, & a nobis antea fuse probatum.

X. Quartum est, ratam esse habitam olim Synodi Provinciæ sententiam, nec a quoquam rescindi potuisse, vetitumque fuisse, ne quis a Synodo Provinciæ excommunicatus a quoquam in communionem reciperetur. Hoc autem caput a nobis præcipue in superiori dissertatione assertum est, hic ea tantum testimonia referemus, quibus speciatim probatur Episcopum a Synodo Provinciæ excommunicatum ab aliis in communionem suscipi non posse. Vetus est ea de re Canon inter eos, qui dicuntur Apostolici his verbis exaratus: *Si quis Clericus, vel Laicus segregatus, vel non recipiendus discedens in altera urbe receptus fuerit absque litteris commendatitiis segregetur, & qui recepit, & qui receptus est.* Antiquissimum item hujus rei exemplum habemus in Marcione, qui a Patre ob stuprum excommunicatus, cum Romam venisset post mortem Hygini, & a Clero Romanæ Ecclesiæ se in communionem admitti postularet, responderunt Presbyteri Romani, se id facere non posse sine arbitrio, & consensu Patris ejus. Id deinceps multis Conciliorum Canonibus est sancitum, Eliberitani c. 53. his verbis: *Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo accipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo fuerit; quod si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, eo adhuc minime sciente, vel consentiente, a quo fuerat communione privatus, sciat, se hujusmodi causas inter fratres esse sui status periculo præstaturum.* Arelatensis primi cap. 16. ita statuitur: *De iis, qui pro delicto suo a communione separantur, placuit, ut in quibusque locis futerint exclusi eodem loco communionem consequantur, ut nullus Episcopus alium Episcopum conculcet.* Nicæno Can. 17. statutum est: *Ut de iis, qui communione privantur sive ex Clero, sive ex Laico ordine ab Episcopis uniuscujusque Provinciæ servetur hæc sententia secundum Canonem, qui pronuntiat, ut qui ab aliquibus abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Deinde additur, ut in Synodis Provinciæ judicium Episcopi retractetur, & si confirmatum fuerit, excommunicati videantur ab omnibus, qui ab eo sunt ejecti, donec Episcoporum cœtui visum fuerit humaniorem ferre sententiam. Ante Concilium Nicænum Alexander Alexandrinus pariter conquestus est, Arium a se, & Concilio suo excommunicatum ab Eusebio, & aliis Episcopis fuisse receptum in communionem, *quod*, inquit, *Apostolica regula minime permittit.* Idem confirmatum est in Concilio Antiocheno cap. 3. & 6. necnon in Sardicensi cap. 3. Cæsaraugustano cap. 5. & aliis. Hanc quoque regulam a se non secus ac ab aliis Episcopis observari debere agnoscunt Romani Episcopi. Innocentius I. Epist. ad Victricium cap. 6. *Hoc etiam Synodus statuit Nicæna*, inquit, *ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.* Nicolaus I. Epist. 9. *At nos e diverso credimus, quod Ecclesia Christi sacros Canones, & præcipue Nicænos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut ii, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Idem Epist. 51. ad Sylvanectensis Synodi Episcopos ait, Balduinum se in communionem non suscepisse, eo quod nollet *Regulas atque sancta Decreta corrumpere, quibus vetatur, ne excommunicatus ab uno Episcopo, ab alio recipiatur.* Idem habet alia occasione Epist. 58. Joannes etiam VIII. Epist. 48. Archiepiscopos Ravennatensem, Mediolanensem, & Aquileiensem monet, ne Veronensem Episcopum excommunicatum in communionem suscipiant. *Sancti, magnique Concilii Nicæni præcepta secuti, quæ jubent regularem Epistolam per unamquamque Provinciam obtineri, ut ii, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Sed egregia sunt hanc in rem Joannis XX. seu Benedicti IX. verba, de quo cum quereretur Arvernensis Episcopus, quod Pontium Comitem a se excommunicatum suscepisset, respondit, se nescienter id fecisse, quod non esset admonitus ab Episcopo Arvernensi de istius excommunicatione, seque si resciviſſet id minime facturum addens istæc. *Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me, & consolatorem potius esse, quam contradictorem, absit enim schisma a me, & Coepiscopis meis.* Demum absolutionem ab isto Comite fraudulenter acceptam irritam esse declarat. Mitto alios,

Digitized by Google

qui generatim tantum dicunt, se obtemperaturos Nicænis Canonibus, ex his autem abunde demonstratum est Laicum, aut Clericum a Synodo Provinciæ excommunicatum ab omnibus Episcopis pro excommunicato habendum esse, nec a Romano, aut alio unquam suscipi debere saltem juxta ordinariam regulam. Aliqua tamen exceptione videtur hæc regula indigere, cum aliquis excommunicatur a Synodo Provinciæ propter aliquam doctrinam, quam aliæ Ecclesiæ Catholicam arbitrantur: tunc enim non solum is a communione pellitur; sed & ceteræ Ecclesiæ, quæ cum eo sentiunt excommunicari videntur. Hinc sæpe factum est, ut aliquis propter doctrinam ab Episcopo suo, Synodoque Provinciæ excommunicatus ab aliis Ecclesiis defenderetur. Quo in casu idem judicium ferendum de excommunicatione hujus privati, ac de excommunicatione mutua Ecclesiarum, & Episcoporum, de qua deinceps ageremus.

XI. Ut autem istud excommunicationis genus explicetur, observandum est, totius orbis Ecclesias communione inter se junctas fuisse, ita ut ex iis velut una coalesceret Ecclesia. Illa porro communio duobus præcipue modis innotescebat. Primo ex litteris communionis, quas ad se invicem scribebant. Secundo, ex benigna susceptione eorum, qui ab externis Ecclesiis veniebant, & ex concessa illis communione: nam qui ex una Ecclesia in alias communione junctas vel peregrinationis, vel alicujus negotii ergo transibant, suscipiebantur, & admittebantur ad sacra, si modo litteras commendatitias haberent, quibus constaret eos non esse e numero excommunicatorum, ad eamdem enim communionem, & consensionem Ecclesiarum pertinebat, uti modo probatum est, eos, qui ab una Ecclesia excommunicati fuerant, ad communionem non admittere.

XII. Hujusmodi porro litterarum, quibus Ecclesiæ secum invicem communicabant antiquissimus usus est, solemnisque mos extitit pacem, & communionem per litteras dare, vel auferre. Sic Tertullianus testis est, Episcopum Romanum per litteras communionem cum Cataphrygibus iniisse, eamque postea revocasse. Sic Cyprianus & cum eo Africani Episcopi causa Cornelii, & Novatiani nondum discussa ad neutrum litteras scripserunt, donec, omni scrupulo de singulorum pectoribus excusso, litteras dederunt, tam ad ceteros, quæ testes erant communionis suæ cum Cornelio. Sic Concilii Antiocheni adversus Paulum Samosatenum Episcopi certiores faciunt alios Episcopos, ut communicatorias ad Dominum mittant, & ab eo suscipiant, itemque Romanus Antistes, & Itali per litteras suam cum isto communionem significant.

XIII. Ita quoque Optatus, ut se suosque cum totius orbis Ecclesiis communione junctos demonstraret, ait, se suosque cum Siricio communicare: *Cum quo*, inquit, *totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*. Eodemque in negotio Augustinus Epist. 162. ait, Cæcilianum *Romanæ Ecclesiæ, & ceteris terris per litteras communicatorias esse conjunctum*. Idem habet passim in libris contra Donatistas, in quibus eos urget, ut ostendant, se litteras communicatorias habere ab omnibus Ecclesiis. Tunc etiam, teste Gelasio Epist. 1. mos erat Romani Episcopi recens evecti ad ceteras Ecclesias litteras communionis mittere, atque hac de causa Meletius Antiochenus, Atticus Constantinopolitanus, & alii Præsules Romani Episcopi communionem ambientes petebant ad se litteras communionis dari, sic etiam per litteras communione Ecclesiæ Romanæ expulsi sunt Asiatici a Victore, Africani, & Orientales a Stephano, Nestorius a Cœlestino, & Cyrillo, & alii quamplurimi, quorum hic catalogum texere inutile foret.

XIV. Altera communionis tessera erat, ut jam dixi, fidelium ultro citroque commeantium admissio ad communionem, si modo litteras commendatitias ab Ecclesiis suis deferrent. Nullum enim majus argumentum unitatis inter Ecclesias est, quam cum admittuntur in communionem utriusque Ecclesiæ fideles, nullum e contra divisionis argumentum majus, quam cum aliqui ab una Ecclesia, cujus membra sunt, ad aliam venientes non suscipiuntur in communionem, igitur fuit, ut commendatitiæ darentur litteræ, Episcopis quidem a Metropolitano, ceteris autem Clericis, aut Lai-

Digitized by Google

Laicis ab Episcopo, quibus instructi ab aliis Ecclesiis, quæ cum illis, a quibus veniebant, erant communione junctæ, suscipiebantur. Vetus est ea de re Canon Apostolicus 32. *Nemo peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipiatur litteris.* Earumdem fit mentio in Conc. Eliberitano cap. 23. & 38. & in Arelatensi cap. 7. & cap. 9. Item in Antiocheno cap. 7. statuitur, *Ut nullus externus sine pacificis suscipiatur*, & Can. 8. *ne Presbyteri, qui sunt in pagis dent Canonicas Epistolas, vel ad solos vicinos Episcopos Epistolas mittant, Chorepiscopi autem nulli reprehensione affines dent pacificas*, item Laod. cap. 41. *quod non oportet Sacerdotem, vel Clericum sine Canonicis litteris iter ingredi.* De iisdem vide Conc. Carth. 3. cap. 28. & quintum cap. 7. Zosimum Ep. 1. 5. & 6. Milevit. Conc. c. 20. Basil. Epist. 69. Andegavense Conc. cap. 1. Turonicum 1. cap. 12. Veneticum cap. 5. Aurel. 1. cap. 7. Lugdunense 3. cap. 2. Rhemense sub Sonnatio cap. 12. &c.

XV. Ceterum quoniam fieri non poterat, ut omnes orbis Ecclesiæ ad se invicem scriberent, & sibi mutuo notæ essent, ac proinde immediate communicarent, idcirco magnæ quædam sedes eligebantur, per quas Ecclesiæ secum invicem communicabant. Sic Ecclesiæ Orientis censebantur communicare cum Occidentalibus, quando communicabant Antiocheno Patriarchæ, qui junctus erat communione cum Romano, cui adhærebant Occidentales. Ita etiam Ægyptii per Alexandrinum cum Romano communicabant, & Occidentales omnes cum Orientalibus Ægyptiis per Romanum; sicque intelligendus est locus Optati supra citatus, *cum quo totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.*

XVI. His positis, facile est intelligere, quomodo Ecclesiæ sese mutuo excommunicarent: cum enim Ecclesiæ quædam, aut ejus Episcopus in alterius Ecclesiæ, aut Episcopi doctrina, vel disciplina perversum quid esse arbitrabatur, tunc nuntium ejus communioni mittebat, vel datis litteris, vel rejectis, & a communione submotis iis qui inde veniebant. Multa sunt hujus excommunicationis apud antiquos exempla, quæ Historiam Ecclesiasticam percurrentibus occurrunt: atque ut vetustiora prætermittam, sic Epiphanius Theophilum Hierosolymitanum excommunicavit: sic tempore Arii Ecclesiæ, & Episcopi sese mutuo excommunicarunt: sic ob Meletium, & Paulinum, ac quæstionem de hypostasi Oriens ab Occidente divisus est; sic iterum propter Chrysostomum interrupta communio; sic a Cœlestino, & Cyrillo excommunicatus est Nestorius, & Cyrillus a Joanne, nec non Joannes a Cyrillo: & ante hos eumdem Nestorium populus, & Monachi Constantinopolitani a communione sua segregarunt: hujus excommunicationis sæpe meminerunt Romani Pontifices, ut cum Zosimus ait Epist. 2. *Sanximus memoratos perturbatores omnium ab Apostolicæ nostræ Sedis communione alienos esse*: Cœlestinus Epist. 6. *Tantisper eos a nostra communione rejicimus.* Hormisdas Epist. 45. *A nostra communione habeantur excepti.* S. Leo Epist. 42. *De fratribus quos communionis nostræ cupidos esse cognovimus, approbavimus, ut suarum interim Ecclesiarum communione contenti, pacis & communionis nostræ unitate lætentur.*

XVII. Istud autem, contentum esse Ecclesiæ suæ communione, aliquando in pœnam adversus Episcopos est statutum, ut in Conc. Carth. 5. cap. 10. *Episcopo non venienti culpabiliter ad Synodum Provincialem pœna imponitur; ut Ecclesiæ communione debeat esse contentus.* Quod sic explicat Glossa. *Iste non est excommunicatus, sed cum aliis Episcopis non communicabit, quia non veniet ad negotia ipsorum.* Et cap. 13. *Episcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione sejunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit.* Hunc Arelatense 2. Can. 19. alienum facit a fratrum communione, & Terraconense cap. 6. cunctorum Episcoporum communione privat. Qui porro hac pœna feriebantur, nulla visitationis officia a collegis, nec vicissim collegæ ab ipsis recipiebant, ut constat ex Concilii Toletani 1. cap. 15. nec Conciliis Provinciæ æderant, nec ordinationibus Episcoporum sese immiscebant, ut

de Armentario ſtatutum eſt in Concilio Regienſi: verum iſthæc excommunicationis ſpecies, pœna potius eſt, & mulcta, quam vera ſeparatio.

XVIII. Sed ut ad propoſitum redeamus, cum Eccleſia Romana propter primatum centrum ſit unitatis, ejuſque Antiſtes ceterorum omnium caput conſtitutus ſit, ut ſchiſmatis tolleretur occaſio, haud dubium quin magnum, ac certiſſimum ſit argumentum, eos eſſe de Eccleſia, qui ipſi tanquam capiti adhærent, & cum eo communione junguntur. E contra vero magnum eſſe ſchiſmatis præjudicium, ſi quis ab ejus communione ſit alienus. Quod tamen intelligendum eſt de Pontifice legitime electo, & ſedente in Cathedra Petri, & clavibus ſibi a Deo datis, ut par eſt, utente. Nam ſi quis Eccleſiam Romanam invaderet, & illegitime ordinaretur, non eſſet cum iſto communio habenda. Similiter ſi Pontifex in hæreſim incideret, & a Concilio deponeretur, jam non eſſet ſchiſmaticus is, qui ab eo diſcederet. Ac demum ſi Pontifices Romani ſine cauſa excommunicationem ferrent, totaque Eccleſia judicaret excommunicationem temere latam, tunc ab ipſis excommunicati pro ſchiſmaticis habendi non eſſent, modo animum retinerent ſervandæ cum Romano Pontifice unitatis, & ad recuperandam ejus communionem totis viribus allaborarent. Sic nemo Aſiaticos licet a Victore excommunicatos dixerit fuiſſe ſchiſmaticos, & ab Eccleſia extorres. Nemo Cyprianum, & Africanos Antiſtites, necnon Firmilianum, & Orientales, licet a communione Stephani pulſos, ab Eccleſia alienos fuiſſe pronuntiabit: quin e contra Auguſtinus ſæpe ſæpius probat, Africanos dici non potuiſſe ſchiſmaticos, & moderationem Cypriani nunquam non commendat. Quis affirmaverit Meletium, Cyrillum, & alios Orientales ab ipſo ſtantes ſchiſmaticos fuiſſe, quia cum Eccleſia Romana non communicabant, aut quis e contra non fateatur Paulinum, & ejus ſocios in periculum ſchiſmatis venire, licet cum Eccleſia Romana communione juncti fuerint? Quis audeat dicere, Athanaſium, & alios fuiſſe ſchiſmaticos, Arianos vero in Eccleſia, eo quod Liberius hos ad communionem ſuam admiſiſſet, illos ab ea repuliſſet? Nemo item Atticum Conſtantinopolitanum, & omnes Orientis Patriarchas, pro ſchiſmaticis, & excommunicatis unquam habuit, licet a communione Romanæ Eccleſiæ diviſi aliquandiu fuerint. Verum, ut jam dixi, neceſſe eſt, ut iſti retineant animum uniendi ſeſe cum Eccleſia Romana, quod egregie a Cypriano obſervatum eſt, qui licet a Stephano excommunicatus foret, pacem tamen, quantum in ipſo fuit, ſemper fovit, nec unquam voluit Romanæ Eccleſiæ communionem abrumpere: *Neminem*, inquit, *ſeparantes, aut a communione ſummoventes*. Ita etiam Meletius, & alii a communione Romanæ Eccleſiæ repulſi ſemper in votis habuerunt, ut cum ea jungerentur, & nihil non effecere, ut ad optatum finem pervenirent.

XIX. Verum ſi rem penitius ſcrutemur, ideo neceſſaria ſemper habita eſt Romani Pontificis communio, ut quis non haberetur pro ſchiſmatico, quia per eum tanquam per unitatis centrum omnibus Eccleſiis uniuntur fideles. Namque omnes Eccleſiaſtici ſcriptores eos ſchiſmaticos eſſe perhibent, qui a totius Eccleſiæ communione ſeparati ſunt, hoc eſt ab omnium, vel pene omnium orbis Eccleſiarum communione expulſi. Sic S. Irenæus lib. 4. cap. 43. ſchiſmaticos vocat eos, *qui abſiſtunt a principali ſucceſſione*, non unius Eccleſiæ, ſed Eccleſiarum omnium, ac præcipue Apoſtolicarum. Tertullianus in Præſcriptionibus ad probandam Eccleſiæ, & doctrinæ ſuæ veritatem, dicit ſe communicare cum omnibus Eccleſiis matricibus, & Apoſtolicis. Clemens Alexandrinus hæreticos ſchiſmatis convincit ob conventiculorum ſuorum novitatem. Cyprianus in Epiſtolis ſuis eos ſchiſmaticos eſſe pronuntiat, qui a communione cujuſvis Epiſcopi diſcedentes, eo ipſo cenſebantur a totius Eccleſiæ communione alieni. Optatus perpetuo Donatiſtas ſchiſmaticos eſſe probat, quod ab Eccleſiarum totius orbis communione diſceſſerant: *Videndum eſt*, inquit, *quis in radice cum toto orbe manſerit, quis foras exierit?* & lib. 2. ait extorres eſſe ab Eccleſia Donatiſtas, quod ceteris Eccleſiis non communica-

Digitized by Google

nicarent per Romanum Episcopum, ut Catholici. *Quid*, inquit, *illi* (Ecclesiæ) *negatis Orientis & Septentrionis, etiam Occidentis, Provinciarum omnium, & innumerabilium Insularum populos Christianos, contra quos vos soli pauci rebelles estis, & cum quibus nullum consortium communionis possidetis*. Centies idem argumentum in eosdem Donatistas inculcat Augustinus, & schismaticos illos esse docet, quod ab Ecclesiarum omnium communione essent alieni. Ex quibus, & aliis innumeris, quæ adduci possent efficitur, illam Ecclesiam esse schismaticam, quæ a ceterarum omnium vel pene omnium communione divulsa est. Quod ut uno verbo demonstrem, schismaticus ille est, & revera excommunicatus, qui ab Ecclesia universa est præcisus, & ejectus, sed Ecclesia non est Episcopus aliquis, aut privata aliqua societas, sed societas totius orbis fidelium; ergo ad hoc, ut quis sit vere schismaticus, & excommunicatus, oportet, ut a totius orbis Ecclesiarum communione sit alienus: eum autem ab illorum communione alienum esse maximum est indicium, cum ab illius Ecclesiæ, ad quam omnes referuntur, communione alienus est.

XX. Hoc posito, jam facile est statuere quænam e dissidentibus Ecclesiis sit schismatica. Manifestum enim est ex dictis illam Ecclesiam ejusmodi habendam esse, a cujus communione ceteræ omnes, vel pene omnes dissidebant. Nam si totius orbis Ecclesiæ cum Ecclesiis dissidentibus, & a se invicem divulsis communionem fovissent, eæ licet inter se divisæ ab Ecclesia tamen universa non erant separatæ, ut contigit in negotio Asiaticorum, Cypriani, Meletii, &c. si vero totius orbis Ecclesiæ dissentirent, ita ut magna illarum multitudo ex utraque parte staret, tunc maxime lugendum erat hoc malum, & si de fide foret dissensio, adhærendum erat antiquitati, eaque pars pro vera Ecclesia (*) habenda, quæ antiquam doctrinam retinebat: si vero de disciplina, aut de levibus quæstionibus esset tantum quæstio, illi erant magis culpandi, qui primi pacem abrumpebant, aut qui eam ab aliis oblatam nolebant accipere. At si qui, ut jam diximus, privati, si paucæ Ecclesiæ nollent ceterarum omnium decretis obtemperare, ac propter leves quæstiones, aut disciplinam ab earum communione sejunctæ manerent, censebantur ab Ecclesia extorres. Sic Montanistæ, & Novatiani licet antiquæ (saltem quarumdam Ecclesiarum) circa pœnitentiam severitati inhærerent, quia tamen pauci erant, qui istam retinendam esse ducerent, ceteriique omnes volebant lapsis veniam indulgere, merito schismatici sunt habiti. Sic Episcopi, qui stabant a Donato pro schismaticis habendi fuissent, quamvis Cæciliamum traditorem fuisse constitisset, quia ab omnium Ecclesiarum communione propter unius Episcopi crimen excessissent. Ita etiam licet Asiatici tempore Victoris minime fuerint schismatici, quia tamen post Concilii Nicæni decretum eandem cum Asiaticis disciplinam mordicus retinuerunt, merito pro schismaticis habiti sunt. Sic Lucifer, & pauci factionis ejus homines licet antiquæ circa Episcopos lapsos disciplinæ defensores veluti schismatici, & perturbatores excepti sunt. Denique improbati sunt nonnulli Episcopi, qui trium capitulorum damnationi consentire nolebant, non quod isthæc tria capitula necessario damnanda essent, cum possint defendi, & defendantur absque fidei, & Religionis periculo, sed quia non debebant illi ceterarum Ecclesiarum consensui sese opponere.

XXI. Ex dictis, ut puto, satis & abunde liquet, quid, & quotuplex esset olim excommunicatio, necnon a quibus, & quomodo ferretur, quod primo loco nobis examinandum proposueramus; nunc inquirendum est propter quid, & in quos ferri possit, & debeat.

CA-

(*) Ecclesiæ Romanæ, Cathedræ Petri, Sedis Apostolicæ auctoritas semper in Ecclesia habita est tanquam veræ fidei tessera, & Ecclesiasticæ unitatis centrum. Hieronymus Epist. ad Damasum: *Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communioni consocior . . . Ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri conjungitur meus est.*

Digitized by Google

CAPUT II.

In quos, & propter quid ferri possit excommunicatio.

EXcommunicationis hæ fuerunt olim ordinariæ causæ: Prima, prava doctrina, & traditæ a Christo, & Apostolis disciplinæ adversa. Secunda, vita flagitiosa, & Christi præceptis contraria. Tertia, privati alicujus adversus disciplinam Ecclesiæ suæ, aut privatæ Ecclesiæ adversus universæ Ecclesiæ disciplinam rebellio. Hæ causæ excommunicationis ex sacris litteris repeti possunt. Primam Christus ipse insinuat Matth. 7. ita monens Discipulos: *Attendite vobis a falsis Prophetis, &c.* Hoc est istos cavete, ne commisceamini cum eis. Hac etiam de causa Apostoli quosdam excommunicaverunt, ut Paulus Hymenæum, & Alexandrum: *Quos*, inquit, *tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare*. Monetque idem Apostolus Titum, ut hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devitet. Et Joannes districtius præcipit, ne in communionem suscipiantur ii, qui doctrinam de Christo veram non afferunt, unde ipse fertur e balneo exiisse, quod intus Cerinthum esse didicisset.

II. Secunda causa, eaque meo judicio potissima (*) a Christo ipso traditur Matth. 18. ubi præcipue agitur de peccato in moribus; sed eadem causa fuse explicatur a Paulo in Epist. ad Corinth. 1. cap. 5. cum præcipit, ut incestuosus Corinthius ejiciatur ab Ecclesia. *Nescitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio . . . scripsi in Epistola*, (hoc est, dum scribo vobis in hac Epistola) *ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi* (hoc est gentilium) *aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exiisse, nunc autem scripsi vobis* (id est sic intelligi debet quod scripsi) *non commisceri, si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere: quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare. Nonne de iis, qui intus sunt vos judicatis, nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit: auferte malum ex vobis ipsis*. Ob tertiam causam idem Paulus monet, vitandos esse quosdam fratres inquietos, qui traditam a se vivendi formam pervertebant. *Nihil operantes* (manibus suis) *sed curiose agentes*. De his hæc habet: *denuntiamus vobis, ut subtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis*; & postea: *quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*; addit tamen: *& nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*. Itaque assignatæ tres a nobis excommunicationis causæ in sacris litteris insinuantur, sed & traditione, & usu Ecclesiæ abunde confirmantur; cum certum sit, decretam esse Canonibus excommunicationem, & sæpe sæpius latam: Primo. in hæreticos doctrinam Christi abnegantes, vel novam inducentes. Secundo in homines gravium criminum convictos. Tertio in privatos, qui disciplinam Ecclesiæ suæ infringerent, vel in eas Ecclesias, quæ generalem Ecclesiæ disciplinam a Conciliis universalibus statutam observare pertinaciter nollent. Vix, ac nec vix quidem aliis de causis excommunicationem latam, aut decretam esse leges.

III. Ceterum propter hæc excommunicatio mortalis, de qua tantum hic agimus ferri non potest, nisi res sit manifesta, & publica. Et certe quamvis nonnulli putent pœnitentiam publicam, proinde medicinalem excommunicationem inflictam esse pro peccatis occultis, nemo hactenus existimavit, aut dicere ausus est, aliquem ab Ecclesia invitum excommunicari, aut pelli potuisse

(*) Id est, frequentior, & magis usitata; nec enim dubium est quin fidei causa potior sit excommunicationis ratio, nec id negare mihi mens fuit.

Digitized by Google

se, nisi manifestum foret ejus crimen. Nemo quippe potest, aut debet excommunicatione mortali plecti, qui non vel suo vel aliorum testimonio convictus fuerit, & pœnitentiam agere detrectaret: hujusmodi autem hominum culpas manifestas esse haud dubium. Deinde si quis ea de re dubitaret, sexcentis doceri posset testimoniis, quorum nonnulla hic proferam. Origenes in Josue homil. 20. *Ubi*, inquit, *peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus & triticum.* Optatus lib. 7. *Accusatore silente non licuit nobis reum abstinere, scriptum est enim, ante cognitam causam neminem esse damnandum.* S. August. lib. 3. contra Parmen. cap. 2. ait neminem posse anathematis sententia percelli, nisi *aut sponte confessum, aut in aliquo sæculari, vel Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.* Antiquus Auctor quæst. in utrumque testamentum apud Aug. quæst. 102. *Adhuc*, inquit, *est aliquid, quod deprehendit Novatianus, cur*, inquit, *corpus Domini tradunt iis, quos noverunt peccatores? quasi possint ipsi accusatores esse, qui sunt judices. Si autem accusati fuerint, & manifestati potuerunt abjici.* Innocentius I. Epist. ad Exuperium rationem reddens, *cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum manere videantur; super hoc*, inquit, *Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia pecata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus, prodito eorum crimine, communio denegatur. Uxorum autem latente commisso non facile quispiam ex suspicionibus abstinetur, qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur; cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante vindictæ ratio conquieverit.*

IV. Deinde vero non omnes publici peccatores, aut hæretici statim excommunicatione mortali plectendi erunt; sed prius corripiendi, postea admonendi ab Ecclesia, & medicinali excommunicatione plectendi, ac tum demum penitus ab Ecclesia eliminandi: juxta institutam a Christo corripiendorum fratrum rationem, cui suffragatur Paulus in Epist. ad Corinthios; postquam enim dixit cap. 12. se multum timere, ne cum venerit Corinthum cogatur multos lugere ex iis, qui *ante peccaverant, & non egerant pœnitentiam super immunditia, fornicatione, & impudicitia*, subdit cap. 13. *Ecce tertio venio ad vos, in ore duorum vel trium stabit omne verbum, prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero, iterum non parcam . . . ideo hæc absens scribo, ut præsens non durius agam.* Ad quem locum Chrysostomus observat Paulum in denuntiandis suppliciis Apostolum multum, ac vehementem esse, in inferendis tardum, ac segnem; *Neque enim de iis*, inquit, *qui peccabant pœnas statim sumpsit, sed semel atque iterum admonuit, & ne sic quidem in contumaces animadvertit, sed rursus admonet, ac denuntiat dicens: tertio hoc venio ad vos.* Idem in homilia quadam de pœnitentia ait, Paulum hac moderatione uti, ut illos per patientiam ad pœnitentiam adduceret, *non enim peccatores, sed non pœnitentes* lachrymis dignos fore dicit. Agit porro hic Apostolus de excommunicatione in convictos, & pœnitentiam agere detrectantes, docetque exemplo suo istam excommunicationem ferri non debere in alios, quam in publicos peccatores, & quidem pluribus vicibus admonitos, & ad pœnitentiam sponte agendam excitatos. Hinc aliquando peccatores etiam convicti excommunicatione medicinali priusquam mortali plectebantur, præcipue ubi spes emendationis erat. Certe annuit Augustinus hunc fuisse morem Ecclesiæ Africanæ: *Nos vero*, inquit homil. 50. de Pœnitentia, *a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hac prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.* Ex quibus verbis liquet, excommunicationem medicinalem præcessisse mortalem, atque etiam in convictos fuisse latam. In posterioribus Conciliis mortalis excommunicatio dicitur anathema, quod antequam pronuntietur in noxios, juben-

bentur prius excommunicari. Sic in quinta Synodo Romana ſub Symmacho primum excommunicari jubentur ii, qui Decreta Concilii violarent; ac deinde, ſi ſe non emendaſſent, anathemate feriri. Agapetus Epiſt. 6. ait Cyrum, & ejus ſequaces jam excommunicatos, ſi ſe non emendarent, anathemate feriendos eſſe. Nicolaus I. Epiſtola 7. & Joannes octavus Epiſt. 17. anathema pariter diſtinguunt a ſimplici excommunicatione. Attamen non ſemper excommunicatio medicinalis præceſſit mortalem, præcipue ubi nulla ſpes emendationis apparebat; ſed præceſſere ſemper admonitiones excommunicationis ſententiam, hæcque ſolemnis fuit Eccleſiæ conſuetudo. Teſtes ſunt hujus rei Patres Epheſini, qui Canonibus ſancitum eſſe ajunt, ut reus tertio vocetur. *Sancta Synodus*, inquiunt actione 1. *Canonibus obtemperans tertio Neſtorium vocavit:* Et poſt Juvenalis Hieroſolymitanus: *Cum leges*, inquit, *Eccleſiaſticæ jubeant tertio reos vocari, ut ſeipſos defendant ab iis, de quibus accuſantur* in relat. ad Imperatorem. *Cum Canones jubeant tertio inobedientes vocari*. Inde a Patribus Chalcedonenſis Concilii ita ter vocatus dicitur Dioſcorus, *juxta ſanctos, & divinos Canones*. Extat autem iſte Canon inter eos, qui dicuntur Apoſtolici 74. atque iſta conſuetudo in novo etiam jure obtinuit. Nec alia melior hujus ratio reddi poteſt, quam maternus Eccleſiæ in cunctos affectus, quo cuperet ad exemplum Chriſti omnes ſalvos fieri, nec quemquam perire. Hinc quantum in ſe eſt, nihil omittit, ut peccatores ad meliorem frugem revocet; nec quidquam eſt, quod illam majori dolore afficiat, quam cum cogitur e ſinu ſuo quoſdam e filiis ſuis expellere, & Satanæ tradere. Adde, quod ſæpe ex excommunicatione multa naſcuntur mala, multa diſſidia, quæ totam Eccleſiam non mediocriter concutiunt, & multos ad perditionem trahunt.

V. His de cauſis impulſi ſancti Patres, in excommunicatione ferenda valde cauti fuerint, & non niſi gementes, dolentes, ac velut inviti quemquam excommunicaſſe leguntur. *Cum dolore enim*, inquit, Ambroſius lib. 3. off. c. 27. *amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis, ſi non poteſt, tunc a medico bono abſcinditur, ſic Epiſcopi affectus boni eſt, ut optet ſanare, ſerpentia auferre ulcera, adducere aliqua, non abſcindere, poſtremo quod ſanari non poteſt cum dolore abſcindere*. Quam in rem hic pauca de multis, quæ poſſent congeri exempla producam. Firmilianus, & ceteri Epiſcopi Antiochiæ congregati, haud cito, & temere in Paulum Samoſatenum ſententiam tulerunt, ſed diuturnum ipſi reſipiſcentiæ tempus dederunt. *Firmilianus*, inquiunt apud Euſebium lib. 7. c. 30. *cum bis Antiochiam veniſſet, damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem, ut teſtamur nos, qui adſumus, & alii plures, perinde ac nos, optime norunt; ſed cum ille mutaturum ſe ſententiam promiſiſſet, credens ei Firmilianus, ſperanſque ſine ullo Religionis noſtræ probro, atque diſpendio rem optime conſtitui poſſe, diſtulit ſententiam ſuam deceptus ſcilicet ab homine, &c.* Et poſt alia declarant ſe neceſſitate adductos Paulum excommunicaſſe. *Hunc igitur*, inquiunt, *Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cum a communione noſtra abdicaſſemus, neceſſe habuimus, &c.* Arius ab Alexandro nonniſi poſt varias diſputationes, & admonitiones eſt ejectus, & tamen Alexander in Epiſtola ad univerſos Epiſcopos, ait, ſe dolore affici *ob exitium Arii, & ſequacium, præſertim, quod cum Eccleſiæ doctrinam olim perceperint, nunc ab ea deſciverunt*. Cyrillus non ſtatim Neſtorium a communione ſua expulit, ſed ſæpius monitum, dato etiam reſipiſcentiæ tempore, & Synodi Epheſinæ Patres teſtantur, ſe invitos, ac non ſine gemitu & dolore ad damnandum Neſtorium deſcendiſſe. *Lachrymis*, inquiunt, *ſubinde perfuſi ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſario venimus*. Flavianus in ſententia ipſa adverſus Eutychem teſtatur ſe invito eo veniſſe. *Lachrymantes*, inquit, *ac gementes perfectam ejus per ditionem decrevimus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab eo blaſphematum extraneum eum eſſe a noſtra communione, & Primatu Monaſterii*. Qua de re ſcribens poſtea ad Leonem Pontificem: *Depoſitis*, inquit, *fletibus, & lachrymis, quas inceſſanter*

Digitized by Google

ter fundo, quia ſub me Clericus invaſus eſt a fero damone. Et ipſe S. Leo Epiſt. 13. ad Pulcheriam: *multum doleo multumque contriſtor*, de caſu ſcilicet Eutychis. Item cum in Dioſcorum lata eſt ſententia in Concilio Chalcedonenſi, Epiſcopi dolentes ac gementes ſe id facere dicunt, atque inter alios Julianus Coenſis Romani Pontificis Legatus, *dolens ac gemens*, inquit, *dico alienum eum eſſe ab Epiſcopatus dignitate*. S. Leo Epiſt. 93. *Nulli Chriſtianorum*, inquit, *facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quodammodo debet inferre animus*. Concilii Milevitani Antiſtites dum Pelagium, & Cæleſtium damnant, optare ſe dicunt, *ut de correctione potius eorum gratulentur, quam contriſtentur interitu*. Denique ut alia mittam, Leo X. Lutheri errores damnans, ait, *ſe id facere præ mœrore, & animi anguſtia tanta, ut vix exprimere poſſit.*

VI. Eadem de cauſa tam proni fuerunt Antiſtites, tam faciles ad recipiendos hæreticos, & peccatores reſipiſcentes, ut ipſis ad redeundum in Eccleſiam viam ultro complanarent. Ita Marcioni ad Eccleſiam redire cupienti ea conditione datus eſt regreſſus, ut eos, qui cum ipſo aberraverant, revocaret. Ita Concilium Nicænum cum Meletianis, qui nullam veniam ſummopere merebantur, clementiſſime egit, illorum Epiſcopis honorem relinquens, & nemini eorum aditum ad officia Eccleſiaſtica intercludens. Eadem item Synodus ſimili οἰκονομίᾳ Novatianos ad Eccleſiam invitavit. Ita etiam tempore Arianæ hæreſeos, quicunque cum Arianis communicaverant, aut in Arianum dogma lapſi fuerant, non ſolum ſuſcepti ſunt in communionem, ſed etiam Epiſcopatus retinuerunt, (*) ac contraria Luciferi Calaritani ſeveritas improbata eſt. De hac Eccleſiæ indulgentia ad lapſos revocandos lege Athanaſium Epiſtola ad Rufinianum, & Hieronymum in dialogo contra Luciferianos. At nullum habemus inſignius exemplum iſtius ad hæreticos ad Eccleſiam invitandos indulgentiæ, quam quod nobis ſubminiſtrant pacis conditiones a Catholicis oblatæ Donatiſtis ante, & poſt collationem Carthaginenſem; proponunt enim eis per Epiſtolam, ut ſi Catholici victi fuerint in collatione, cedant Epiſcopatibus ſuis; ſi e contra victores fuerint, non idem in Donatiſtis ſtatuunt, ſed concedunt eis, ut honorem Epiſcopatus non amittant: *poterit quippe*, inquiunt, *unuſquiſque noſtrum, honoris ſocio ſibi copulato, viciſſim ſedere eminentius, ſicut peregrino Epiſcopo juxta conſidentem collegam, hoc cum alternis Baſilicis conceditur .... ut, uno eorum defuncto, deinceps jam ſingulis ſinguli priſtino more ſuccedant, aut ſi forte populi Chriſtiani ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt, utrique de medio diſcedamus, & damnata ſchiſmatis cauſa in unitate pacifica conſiſtatis. Ab his ſingulis in Eccleſiis annuentibus unitati factæ per loca neceſſaria conſtituantur Epiſcopi*. Huic propoſitioni conſenſerunt omnes Epiſcopi Catholici, uno, aut altero exceptis, qui cito ceterorum conſenſu, & admonitionibus in eamdem ſententiam deſcendere coacti ſunt. Poſt collationem vero eadem conditio eſt Donatiſtis oblata, ut conſtat ex Auguſtini ſermone 37. tom. 10. *Epiſcopatum*, inquit, *amatis, nobiſcum habete .... diximus, ut ambo ſedeant in una ſimplici baſilica, &c.* Ex quibus abunde liquet, nihil non faciendum eſſe, ut qui ab Eccleſiæ unitate præciſi ſunt, ad eam revertantur; ac proinde multo majori cura cavendum, ne aliqui ab ea unitate temere aut incaute ſeparentur.

VII. Sed ut apertius explicetur quibus in caſibus ferri, aut non ferri poſſit excommunicatio, circa ſingulas cauſas excommunicationis a nobis allatas pauca ſunt obſervanda. Diximus primo, propter hæreſim ejici homines ab Eccleſia, ſed hoc intelligendum de hæreſi manifeſta, necnon de iis,

(*) Intellige iſtud, ut præcedentia, & ſequentia docent, de reſipiſcentibus ab hæreſi, nec aliter trahi poſſunt verba mea, ſed majoris elucidationis ergo id monendum duxi.

Digitized by Google

qui in ea sunt pertinaces, & de quibus periculum est, ne ceteros in eumdem errorem trahant. Itaque primo non est excommunicatio ferenda ob leves quæstiones, quæ fidei regulam non attingunt, quæque liberum patiuntur cujusvis judicium: *Nam*, ut inquit Tertullianus, *hæc sola est regula fidei, quæ hæreses facit, & ea semel posita manente in sua forma, quantumlibet quæras, & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, tibi licet*. Secundo, non debet ferri excommunicatio, nisi in pertinaces, qui moniti doctrinam suam revocare nolunt, ut ostendimus.

VIII. Diximus deinde, excommunicationem ferri in peccatores, sed hoc intelligendum de iis, qui in peccata gravia, & Canonibus prohibita prolabuntur, quique de iis accusati, ac convicti sunt; idque cum nullum gravius malum timetur, si a communione ejiciantur. Primo ergo non debet excommunicatio ferri ob levia, & quotidiana peccata, imo etiam ob mortalia, nisi exteriora sint, & eorum e numero, quæ scandalo sunt aliis, qualia sunt adulterium, homicidium, & alia hujusmodi. Secundo, non debet ferri, nisi in accusatos, & convictos, ut late probatum est, & modo confirmabitur ex Augustini testimoniis. Tertio, non est prudentiæ aliquem ob flagitia ejicere ab Ecclesia, cum gravius malum timetur, puta Ecclesiæ perturbatio, aut schisma. Hanc regulam sæpe tradit Augustinus in libris contra Donatistas. Hanc præsertim late probat lib. 3. contra Epist. Parmen. e quo sequentia sunt desumpta: *Sed dicet*, inquit, *aliquis: quomodo poterimus Apostolo obedire dicenti, cum ejusmodi nec cibum sumere?* Huic objectioni sic respondet: *in hac velut angustia quæstionis non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiæ, ut cum quisque fratrum, id est Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcepit dicens, ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem; quod si non agnoverit, nec pœnitendo correxit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ unitate dirimetur*. Deinde regulas a nobis superius traditas ipse etiam tradit. *Quando*, inquit, *ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis*. Ergo ex mente S. Augustini, ut quis propter crimen excommunicetur, requiritur primo, ut crimen sit omnibus notum, hoc est manifestum: secundo, ut sit execrabile: tertio, ut nullum sit schismatis periculum; quod ultimum contingit, quando quis socios habet multos: *Neque enim*, pergit Augustinus, *potest esse salubris a multis correptio, nisi cum sociam non habet multitudinem; cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, & gemitus*. Eadem ferme habet lib. 3. contra litteras Petiliani c. 36. *Apud nos*, inquit, *quicumque mali vel penitus latent, vel quibusdam noti propter bonos, quibus sunt ignoti, & apud quos convinci non possunt, propter pacis, & unitatis vinculum tolerantur . . . nec propterea tamen Ecclesiastica disciplina negligitur a constantibus, & diligentibus, & prudentibus dispensatoribus Christi, quando crimina ita manifestantur, ut nulla possint probabili ratione defendi. Extant innumerabilia documenta in iis, qui vel Episcopi, vel alicujus hujusmodi gradus Clerici fuerunt, & nunc vel degradati, vel pudore in alias terras abierunt, vel ad vos ipsos, aut ad alias hæreses transierunt, vel in suis regionibus noti sunt*. Eadem centies inculcat Augustinus, malos scilicet in Ecclesia esse, quos illa ferre cogitur, vel quia occulti sunt, vel quia non accusantur, vel quia periculum esset schismatis, si ejicerentur: vide ipsum in Psalmum contra partem Donati, necnon lib. 4. de Bapt. lib. de unit. Eccl. cap. 14. lib. 2. contra Cresc. cap. 36. & lib. 3. c. 31. 64. & 65. & alibi passim. Uno verbo, eadem fuit Afrorum omnium sententia in collatione Carthaginensi, quorum nomine profitetur Augustinus *Ecclesiasticam quidem disciplinam non esse negli-*

Digitized by Google

gligendam, & ubicumque fuerint proditi mali, coërcendos eos esse, ut corrigantur, non solum sermone correctionis, verum etiam excommunicationibus; ita tamen, ut propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur.

IX. Denique diximus, tertiam excommunicationis causam esse ob disciplinam, vel unius Ecclesiæ ab aliquo privato, vel totius a singulari Ecclesia violatam. Verum hoc in casu magna debet esse prudentia; nam præter cautiones jam adhibitas aliis in causis, valde cavendum primo, ne ob levem aliquam, & nullius ad Religionem, aut bonos mores momenti disciplinam ejiciantur de Ecclesia viri probi. Secundo, ne Ecclesiæ a se invicem propter diversitatem disciplinæ separentur. Hæc enim fidei, & bonis moribus nihil obest, constatque semper fuisse varios Ecclesiarum usus, & ritus sine ullo religionis dispendio. Egregium est hanc in rem a nobis non semel laudatum S. Irenæi, & aliorum Episcoporum monitum ad Victorem, ne propter dissensionem circa Paschæ celebrationem pacem cum Orientalibus abrumperet, sed paci, & unitati consuleret, cum variæ essent tam circa Paschæ celebrationem, quam circa jejunia, & alios ritus Ecclesiarum consuetudines ortæ vel ex negligentia, vel ex simplicitate, & imperitia eorum, qui morem a majoribus traditum non observabant, propter quas disciplinæ varietates communio nunquam interrupta fuerat: lege Euseb. lib. 5. c. 24. & quæ diximus, ubi de Victore. Similiter in quæstione de hæreticorum Baptismo iterando, Stephanus videri potest reprehensioni obnoxius, quod leviter Afros excommunicaret. *Eos autem qui Romæ sunt*, inquit Firmilianus, *non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere. Scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observare illic æqualiter omnia, quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum est. Quando nunc Stephanus ausus est facere rumpens adversum nos pacem, quam semper antecessores ejus nobiscum amore, & honore mutuo custodierant.* Et post multa: *Excidisti*, inquit de Stephano loquens, *teipsum, noli te fallere, siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticæ unitatis Apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, teipsum abstinuisti, &c.* Quibus verbis egregie docet Firmilianus propter varietatem disciplinæ non esse abrumpendam pacem. De eadem re pronuntiat Dionysius, se nolle tum Africanorum, tum Orientalium sententias, & statuta circa iterandum hæreticorum Baptismum subvertere, eosque ad jurgia, & contentiones excitare, cum scriptum sit: *non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui posuerunt.* Basilius item in Canonibus hanc quæstionem tractans, singularum Ecclesiarum disciplinæ inhærendum esse docet. Et ne suspectos hac in re testes proferre videar, ipse Augustinus non obscure factum Stephani improbat, cum toties Cyprianum laudat, quod noluerit quemquam a communione sua repellere. Aliud ad propositum exemplum habemus ex Cypriano Epist. 52. ubi notat quosdam Africanos Episcopos ante suam ætatem, dandam pacem Mœchis non putavisse, & in totum pœnitentiæ locum eis præclusisse, nec tamen propterea a collegio, ceterorum Episcoporum recessisse, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione rupisse: *Ut quia*, inquit, *apud alios pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur, manente concordiæ vinculo, & perseverante Ecclesiæ Catholicæ individuo sacramento.* Huc etiam pertinet illud Hieronymi Epist. 28. unamquamque Ecclesiam suas observare debere consuetudines quasi traditiones Apostolicas, nec aliquorum consuetudines aliorum contrario more subverti. Nec abludit illud Ambrosii apud S. Augustinum: *ad quamcumque regionem veneris, illius consuetudinem observa, ne cuiquam sis scandalo, aut quisquam tibi.* Cum itaque certum sit, disciplinæ varietatem fidei, aut religioni nihil officere, plerumque satius est cuilibet Ecclesiæ liberum

rum relinquere, ut disciplinam ab aliarum consuetudine diversam sequatur, quam eam ad ceterarum mores amplectendos adigere, præsertim cum schismatis periculum imminet. Nihilominus tamen si universa Ecclesia, aut saltem ejus maxima pars e re sua interesse judicaverit, ut aliqua consuetudo ubique observetur, privatæ Ecclesiæ ceteris consentire debent, nec pertinaciter obluctari; & si posterius id faciant, merito pro schismaticis habentur. Vide hujus rei exempla allata in fine superioris capitis, quæ hic repetere foret inutile. Quod si privatus quispiam adversus plurium Ecclesiarum, aut etiam adversus Ecclesiæ suæ consuetudinem insurgat, merito punitur, & excommunicatur, ac schismaticus audit, ut sexcentis ostendi posset exemplis.

X. Ceterum quamvis Canonistæ vulgo teneant, excommunicationem inferri non posse, nisi ob peccatum mortale, constat tamen innumeris prope Canonibus pœnam excommunicationis sanciri, &, quod idem est, anathema ferri propter res ad disciplinam pertinentes, quæ non possunt dici materia peccati mortalis, nisi forte ratione scandali, & contemptus. Verum in excommunicatione infligenda non tam consideratur gravitas peccati, quam offensio, & periculum inde imminens societati fidelium, vel ex malo exemplo, vel ex prava doctrina. Porro necesse non arbitror hic exempla subjicere anathematis indicti, aut excommunicationis latæ propter leves causas; res enim notissima est, patebitque percurrenti Canones Conciliorum etiam antiquissimorum, ut Eliberitani, Gangrensis, Arelatensis, & ceterorum.

XI. Sed jam satis de causis excommunicationis, nunc de iis, in quos fertur, quod jam ex parte effectum est. Primum enim constat, eam ferri non posse in occultos, aut hæreticos peccatores. Quod etiamsi non doceret traditio, ratio ipsa evincit. Nam excommunicatio est separatio e fidelium conventu, & societate, seu actus clavium externus, & in foro exteriori. Nam interius homo non ligatur ab Ecclesia, sed seipsum per peccatum ligat coram Deo non coram Ecclesia, ergo ab Ecclesia exterius ligari non potest, nisi exterior sit innodationis causa, & hominibus nota. Quod adeo verum est, ut qui cum Arnaldo, & Morino contenderent propter occulta peccata pœnitentiam publicam fuisse inpositam; asserere tamen non possent excommunicationem illam, quæ mortalis est, in occultos peccatores ferri posse. Dicere enim non possunt, eos in foro exteriori potuisse compelli ad agendam pœnitentiam publicam, sed hoc unum probare se putant, iis, qui Sacerdotibus occulta crimina in confessione secreta aperiebant, impositam fuisse pœnitentiam publicam, ad quam tamen agendam, in foro exteriori cogi non possent, nisi aliunde criminis convicti forent: nullus enim, ut puto, dixit unquam occultum peccatorem, & peccatum suum secreto confessum sacerdoti a communione Ecclesiæ invitum pelli potuisse.

XII. Sed inquiet aliquis, verum id quidem est de excommunicatione ferendæ, ut loquuntur, sententiæ, non autem de excommunicatione latæ, ut volunt, sententiæ ipso facto incurrendæ: celebris enim est ista distinctio apud recentiores Canonistas, qui excommunicationem ferendæ sententiæ illam dicunt esse, quam per ipsum actum peccator meretur, non incurrit, sed tantum per sententiam, quæ consequitur actum, & ideo dicitur *ferendæ sententiæ*; excommunicationem vero *latæ sententiæ* eam volunt esse, quæ ipso facto incurritur. Priorem igitur aiunt ferri tantum posse in peccatorem notorium, & criminis convictum, ac insuper admonitum, posteriorem vero ipsa perpetratione criminis incurri contendunt; imo nonnulli ex iis aiunt, eam in peccatum prorsus internum, quod exterius nullo modo proditum fuerit, cadere, ut verbi gratia in propositum aliquod internum; alii vero censent hanc non secus ac ceteras censuras, necnon interdictum, & irregularitatem (de iis enim idem judicium ferendum) non habere locum in peccatis mere internis, nisi exterius prodierint per aliquod dictum, aut factum licet hominibus ignotum. Res exemplo illustrabitur: prioris sententiæ fautores dicunt, eum, qui constituit ac proposuit hominem occidere, posse excommunicationem incurrere; posterioris vero defensores opinionis id fieri non posse.

Digitized by Google

posse, nisi revera tentaverit, ac præter cogitationem animi aliquid in hunc finem prodiderit, sive dicto, sive facto, licet nulli præterquam Deo noto. Prioris sententiæ Auctores enumerat Suarez disp. 4. de censuris sect. 2. n. 5. Glossæ Auctorem in cap. cogit. de pœnit. D. 1. & in Clement. 1. de hæret. §. *Verum*, Sanctum Antoninum 3. part. tit. 24. cap. 7. Panormit. in cap. extirpandæ §. *qui vero in ejus repetitione*, n. 21. Majorem in 4. dist. 12. q. 7. §. *contra primum*. Rosellam verbo *absolutio*, & verbo *hæresis*. Hadrianum quodlibeto 8. & in 4. q. 3. Pigghium lib. 6. de Eccl. hist. cap. 16. Cordubam lib. 4. quæst. Theologicarum quæst. 13. Medinam cap. de pœnit. Posteriorem vero sententiam sequitur ipse Vasquez ibidem, itemque Tannerus disp. 6. de pœnit. quæst. 10. dub. 3. num, 55. Hugolinus de cens. Eccl. tab. 1. cap. 9. §. 12. Bonacina de natura & causis censuræ puncto 3. n. 4. Becanus, & alii. Sed isti meo judicio inconsequenter ratiocinantur. Nam si actiones internæ subjectæ non sunt jurisdictioni Ecclesiæ, ut multis rationibus probant, dici vix potest, cur idem judicium non sit ferendum de actionibus externis, quando sunt ignotæ. Sic non video, qua de causa homo non possit excommunicari ob hæresim mente conceptam, possit vero ob istam hæresim nullo audiente, vel præsente verbis prolatam. Hoc tamen posterius asserunt, prius negant: qua in re mira mihi videtur istorum argutia. Verum missa Canonistarum auctoritate videri potest aliquibus excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrendæ olim in usu fuisse, & in peccatis occultis locum habuisse. Sciunt enim omnes passim in Canonibus anathema, seu excommunicationem infligi peccatoribus omnibus sine distinctione occultorum, & manifestorum, imo etiam aliquando occultos peccatores excommunicationis sententia involvi. Denique jam ab aliquot sæculis Decretales Romanorum Pontificum scatent excommunicationibus latæ sententiæ, ac ipso facto incurrendæ, passimque fulminantur, ut aiunt, ut compellantur homines ad detegendos furti, homicidii, & aliorum criminum auctores.

XIII. Respondeo, excommunicationem latæ sententiæ non esse eam, quæ huc usque descripta est. Nam quotiescumque in Canonibus antiquis dicitur anathema generatim in eos, qui hoc, aut istud egerint, hoc nihil aliud sibi vult, quam eos, qui istud egisse convicti fuerint, excommunicandos, non autem revera excommunicatos esse.

XIV. Hoc autem constat ex eo, quod in Canonibus paulo antiquioribus nunquam leges hæc, aut similia verba: *sit ipso facto excommunicatus, & depositus, qui id fecerit.* Sed tantum: *si quis id fecerit, excommunicetur, deponatur, segregetur*, quibus formulis, ut consentiunt Canonistæ non exprimitur excommunicatio latæ sententiæ, sed ferendæ.

XV. Quod vero spectat ad vocem anathema, qua utuntur non raro antiqui, hæc comminatoria tantum est, & detestatoria; vox enim Græca ἀνάθεμα in sacris litteris usurpatur pro voce Hebræa הרמה *Harma*, quam Vulgatus exposuit per anathema Num. 21. & Jud. 1. descendit autem vox Hebræa a radice חרם *Haram*, hoc est *occidit, delevit, exterminavit;* igitur anathema proprie, & secundum usum Judæorum est res, quæ execratione, & ruina digna est, & verbum ἀναθεματίζειν est rem abolere, & diris devovere. Hanc autem significationem habet apud Septuaginta. Sic Num. 21. dicuntur urbes Chananæorum, quæ traditæ sunt filiis Israel, ut delerentur, dicuntur, inquam, anathematizatæ, & vocatum inde hunc locum ἀνάθεμα, καὶ κύριος ἀνεθεμάτισεν αὐτον (τὸν Χαναναίον) καὶ τὰς πόλεις αὐτῶ, καὶ ἐπεκάλεσαν τὸ ὄνομα τῶ τόπω ἐκείνω Ἀνάθεμα. Hinc apud Judæos anathema vox fuit execrationis, & detestationis, item Josue 6. v. 17. καὶ ἔσται ἡ πόλις ἀνάθεμα αὐτὴ καὶ πάντα ὅσα ἐστιν ἐν αὐτῆ κυρίῳ. *Sitque civitas hæc anathema Domino, & omnia, quæ in ea sunt:* hoc est, deleatur. Judicum 1. v. 17. καὶ ἐκάλεσε ὄνομα πόλεως ἀνάθεμα, *& vocavit nomen urbis horma, idest anathema*, quia scilicet deleta erat. 4. Reg. 19. v. 11. dicitur Rex Assyriorum ἀναθεματίσαι, hoc est vastasse universas regiones. Denique 1. Maccabæorum 5. v. 5. dicitur Judas Maccabæus, *anathematizasse Idumæos, & incendisse turres eorum igni*

Digitized by Google

igni cum omnibus, qui in eis erant. Ergo in veteri teſtamento anathematizare eſt penitus delere, ita ut nihil ſuperſit: dicere autem de aliquo, *anathema ſit*, eſt eum diris devovere, optare, ut deleatur omnino. In novo teſtamento vox ἀναθεματίζειν hoc poſteriori ſenſu non raro ſumitur Matth. 26. v. 74. & Marci 14. v. 17. de Petro Chriſtum abnegante dicitur ᾐ ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, hoc eſt cœpit ſeſe diris devovere, & jurare ſe non noſſe Chriſtum Act. 23. v. 12. Judæi *quidam ſe ipſos devoverunt*, ἀνεθεμάτισαν, *neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.* Vox autem ἀνάθεμα ſæpe uſurpatur pro re execranda Rom. 9. v. 3. *cupiebam anathema eſſe pro fratribus meis*, hoc eſt cupiebam diris devoveri propter fratres meos. 1. Cor. 12. *Nemo Spiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu*, ſeu *Jeſum*, ideſt, nemo, qui per Spiritum Dei loquitur Jeſu Chriſto maledicit, Jeſum execratur, & in eadem Epiſt. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſit anathema*, hoc eſt in execratione ſit omnibus, deleatur de libro viventium, &c. Ep. ad Galat. cap. 1. *Licet nos, aut Angelus aliter evangelizet, & præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Ideſt maledictus, & execrabilis: idem repetit v. 9. Denique Apocalypſeos 22. v. 3. dicitur non amplius futurum in regno cœlorum κατανάθεμα, quod vulgatus Interpres vertit *maledictum*, hoc eſt, *homo execrabilis, & exitio devotus.* Itaque anathema eſſe ſecundum propriam hujus vocis ſignificationem nihil aliud eſt, quam *execrabilem eſſe, exitio dignum judicari, diris devoveri.* Quia vero qui ab Eccleſia ejiciebantur execrabiles omnibus fidelibus erant, ſatanæ tradi putabantur flammis æternis digni, eodemque, quo Ethnici, & Publicani, loco habendi. Idcirco hac voce olim uſi ſunt Epiſcopi in eos, quos excommunicatione præſertim mortali plectendos eſſe ducebant, quoſque vel ob hæreſim, vel ob crimina, vel ob pertinaciam averſabantur; igitur vox iſta, anathema ſit, nihil aliud ſignificare poteſt, quam excommunicetur vel diris devoveatur, exitio dignus habeatur, quibus formulis exprimitur excommunicatio ferendæ, non latæ ſententiæ, quemadmodum hæ voces explicantur a novis Canoniſtis.

XVI. Verumtamen hæc diſtinctio duplicis excommunicationis latæ, ac ferendæ ſententiæ licet olim ignota optime poteſt defendi, ſi dicamus, ut jam obſervavimus, per excommunicationem latæ ſententiæ hominem re ipſa non excommunicari, ſed excommunicandum decerni ſtatim atque convictus fuerit ejus rei, propter quam excommunicatio fertur a jure ſine ullo prævio judicio. Hæc eſt Gerſonis ſententia in libro de vita ſpirituali animæ lib. 4. coroll. 14. proſ. 2. *Quæret*, inquit, *aliquis, quid operentur excommunicationes latæ ſententiæ per Canones. Reſpondeo, ſicut accepi a præceptore meo, eas tantumdem operari, ut abſque proceſſu alio, aut nova conſtitutione poſſit judex ſtatim, probato facto vel confeſſato, ferre juris ſententiam, & eandem publicare, non ſic ubi Canones eſſent ſolum ferendæ ſententiæ, quoniam monitiones, & proceſſus ſecundum terminos juris prærequiruntur multiplices.*

XVI. Quæres, utrum excommunicatio ipſo facto non id etiam operetur, ut cuilibet privato liceat ab illius, qui rem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ vetitam perpetrat, communione abſque ullo prævio judicio diſcedere,

XVII. Reſpondeo, eum, qui in ejuſmodi peccatum incidit vel eſſe ſuperiorem, vel inferiorem, vel æqualem. Secundo, ejus crimen vel eſſe notum omnibus, vel paucis tantum. Tertio, vel eſſe crimen hæreſeos, vel morum. Quarto, eum qui vult ab ejus communione recedere, vel eſſe ſolum, vel cum pluribus. Quinto, vel ſpem eſſe, ut accuſatus damnetur, vel non. Secundum hæc varie agendum.

XVIII. Primo enim ſi is, qui aliquid ſub pœna anathematis ipſo facto incurrendi prohibitum facit, ſuperior ſit, deferendus eſt ad ejus ſuperiorem, puta ſi Presbyter ad Epiſcopum, ſi Epiſcopus ad Synodum Provincialem, aut Metropolitanum. Licuit tamen olim Plebi, & Clero ab Epiſcopi ſui communione propter hæreſim, aut Idololatriam diſcedere; ſed quia multa inde naſcebantur incommoda, id vetitum eſt

Ca-

Digitized by Google

Canone 10. octavæ Synodi his verbis: *Nullus Clericus ante diligentem examinationem, & Synodicam ſententiam a communione proprii Epiſcopi ſe ſeparet, licet quamlibet criminalem cauſam ejus ſe noſſe prætendat, nec recuſet nomen ipſius referre inter divina myſteria. Idem ſtatuimus de Epiſcopis erga proprios Metropolitas, ſimiliter & de Metropolitanis circa Patriarcham ſuum, qui vero contra fecerit ab omni Sacerdotali operatione, & honore decidat.* Hinc intelligere eſt, graviter decipi novitios quoſdam Epiſcoporum detractores, qui furtivis neſcio quibus in ſcriptis aſſerere auſi ſunt, Epiſcopos ſemel in peccata Canonibus prohibita lapſos jam non habendos eſſe pro Epiſcopis, nec eis amplius obtemperandum: licet enim aliquis Epiſcopus ea peccata commiſerit, propter quæ ſit deponendus, ſemper tamen Epiſcopus haberi debet, eique obtemperare oportet, donec legitime fuerit depoſitus; & ſi id fieri non poſſit ob ejus gratiam & potentiam, tolerandus eſt, non ſchiſma faciendum in Eccleſia, præſertim cum de moribus, non de fide agitur. Sic tempore Cypriani, ut obſervat Auguſtinus, tolerabantur in Eccleſia Epiſcopi illi, quorum luxum, & avaritiam deſcribit Cyprianus in libro de lapſis.

XIX. Secundo, ſi quis æqualis crimen aliquod excommunicatione dignum fecerit, debet a fratre ſecreto corripi; deinde adhibendi ſunt teſtes, ac demum ad Eccleſiam deferri. Si vero damnatus non fuerit, non propterea ſchiſma faciendum, ſed vitandus eſſe videtur, ſi crimen ſit publicum, non item, ſi paucis tantum notum. Hoc autem maxime locum habet, in crimine hæreſeos, ut ex locis Scripturæ a nobis ſupra laudatis conſtat: *hæreticum hominem poſt unam, & alteram correptionem devita. Si quis hanc fidem non affert, ne ave ei dixeritis. Subtrahite vos ab omni fratre inambulante inordinate, & non ſecundum traditionem.*

XX. Tertio, ſi is, qui in crimen ſub excommunicatione prohibitum labitur, potens ſit, ſi probabile non ſit, eum aut emendandum, aut, ſi ſe non emendarit, damnandum: ſi periculum majus imminet Eccleſiæ ob ejus damnationem, quam ob ſcandalum, tolerari quoque debet etiam a ſuperioribus. Uno verbo: excommunicatio fertur, vel propter bonum peccatoris, vel propter utilitatem Eccleſiæ. Ceſſantibus ergo his cauſis, ceſſat etiam obligatio inferendæ excommunicationis. Ceſſant autem primo, quando non eſt ſpes futuræ emendationis; ſecundo, quando ex ejus damnatione gravius malum imminet Eccleſiæ, quam toleratio alicujus improbi.

XXI. At quando quis nominatim ab Eccleſia excommunicatus eſt, vel accedit ad hominum ab Eccleſia nominatim excommunicatorum conſeſſum, tunc non eſt ei communicandum, & qui cum eo communicat, reus eſt, mereturque ipſe excommunicari. Conſtat id ex ſcriptura: *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus: hæreticum hominem poſt unam, & alteram correptionem devita: ne ave ei dixeritis &c.* Atque hæc fuit antiqua Eccleſiæ diſciplina: nec enim ſolum hæreſeon, aut ſchiſmatum auctores, & anteſignani, ac nominatim excommunicati, ſed & ii omnes, qui cum ipſis communicabant, a communione habebantur extorres. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 4. quoſdam e collegis, qui cum Baſilide, & Martiali communicabant reprehendit, *quaſi Deificam diſciplinam negligentes*, necnon in eos torquet illud Pauli Rom. 1. *qui talia agunt morte digni ſunt, nec ſolum iſti, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus.* In Concilio Laod. c. 6. vetitum eſt, ne hæretici in domum Domini ingrediantur, cap. 9. vetatur, ne quis adeat cœmeteria hæreticorum orationis, vel venerationis ergo, & eos, qui id fecerint jubet eſſe aliquantiſper excommunicatos, cap. 33. vetat, ne quis cum hæreticis, aut ſchiſmaticis oret. In Antiocheno Concilio c. 2. *cum excommunicatis non licere communicare, neque cum iis, qui in domibus conveniunt devitantes orationes Eccleſiæ ſimul orare, ab alia quoque Eccleſia non ſuſcipiendum, qui ex alia minime congregatur. Si quis autem de Presbyteris, aut Diaconis, ſeu quilibet ex Clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iſte privetur communione, tanquam qui regulam confundat Eccleſiæ.* Item cap. 4. declarat abjiciendos ab Eccleſia, qui commu-

Digitized by Google

municarent cum excommunicatis. Idem habet Concilium Chalcedonense Epist. ad Valent. & Marcianum. Conc. Carth. VII. cap. 7. IV. cap. 73. Tolet. I. c. 15. Antisiodorense cap. 39. Bracarense I. cap. 33. Turonense II. cap. 8. & 21. Concilium Vernenense cap. 9. Cæsarauguſtanum cap. 5. extat etiam ea de re Canon inter Apostolicos undecimus, si quis cum excommunicato saltem in domo oraverit, iste communione privetur. Huc etiam refer, quæ prius retulimus, cum ostendimus vetitum esse, ne abjectus ab una Ecclesia ab alia suscipiatur: ex quibus constat, communicandum non esse cum iis, qui nominatim excommunicati sunt, necnon cum iis, qui communionem hæreticorum vel schismaticorum amplectuntur, & ab Ecclesia secedunt. Hi enim ipso facto sine ulla sententia sunt excommunicati, vel potius se ipsos excommunicant, qui ab Ecclesia deficientes hæreticis, vel schismaticis sociantur, & cum iis junguntur. Qui vero ad illorum conventus accedunt curiositatis ergo, aut qui cum iis orant, & communicant, nec tamen stant omnino ab illorum partibus, nec Ecclesiam deserunt: similiter, qui cum privatis hominibus excommunicatis communicant, puniendi quidem sunt, & excommunicandi, sed ipso facto dici non possunt excommunicati.

XXII. Denique quod spectat ad excommunicationes illas latæ sententiæ, & ipso facto incurrendæ, quæ in Decretalibus occurrunt, & quotidie pro rebus temporalibus nonnunquam levis momenti feruntur, negari non potest, quin illarum frequens, & promiscuus usus magnus sit in Ecclesia abusus. Quem ita deflet Petrus Damiani in Epist. 12. ad Alexandrum Romanum Pontificem: *Præterea*, inquit, *duo quædam apud Apostolicam Sedem frequens usus obtinuit, quæ si sancta prudentia vestra judicat, ut nobis videtur, omnino digna sunt corrigi. Unum, quia cunctis fere decretalibus paginis anathema subjungitur: alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive Clericus sit, sive Laicus, exponere proprii excessus Antistitis prohibetur, quorum primum quam sit humanæ salutis immane periculum, & infinite patens vorago labentium, ac pernicies animarum, clementiæ vestræ pietas non ignorat; dicitur enim: quisquis hæc, vel illa non fecerit, sive certe quisquis hoc quod superius statutum est irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit: ubi notandum, quam lubrica, quam præceps subito mendi illic procuretur occasio . . . . . & cum dictante justitia alia sit ultione plectendus, qui plus delinquit, alia, qui minus excedit, hic graviter leviterque peccantibus æqua cunctis, & indifferens pœna irrogatur . . . . . hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione mandati ipse quoque Deus omnipotens non præsumit. Qui amat*, inquit, *patrem, aut matrem plusquam me, non continuo addidit, sit anathematizatus, vel maledictus, sed tantum ait: non est me dignus: & in lege oculus pro oculo, dens pro dente, percussura pro percussura, adustio pro adustione duntaxat exigitur, nec continuo, qui reus est, de Synagoga projicitur, vel maledictione damnatur. Non enim secundum Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda, sed juxta modum culpæ temperanda est censura vindictæ. Porro nec beatus Gregorius, nec ceteri Patres, qui diversis temporibus in Apostolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem cum suis reperiuntur observasse decretis, & vix eorum aliquando statutis anathema subnectitur, nisi cum Catholicæ fidei clausula terminatur. Quamobrem, si sanctæ vestræ reverentiæ placet, hunc morem de cetero a decretalibus amoveri præcipiat.* Hactenus Petrus Damiani, cui consentit Gerson in lib. de potestate Ecclesiæ conf. 4. *Hæc*, inquit, *applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium, si confusionem magnam in Ecclesia, si vilipensionem, vel contemptum Evangelicæ hujus censuræ suæ, quæ est excommunicationis gladius extreme formidabilis, si denique laqueos animabus multorum magis, quam salutem spiritualem induxerit, vel inducat, experientiam testem voco. Itaque sicut temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, videri potest ab aliquibus quoad ejus defensionem addere suffecerat adversus imperitiores pœnam, vel censuram temporalem, ut est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.*

Idem

Idem in lib. de vita ſpirituali animæ lect. 4. corollario 7. *Nulla lex*, inquit, *neque appellanda eſt, neque ferenda tamquam neceſſaria ad ſalutem æternam, quæ non eſt de jure divino, in aliquo quatuor graduum, quos lectio præcedens expoſuit, oppoſitum ſentientes, aut facientes moliuntur jugum imponere graviſſimum ſuper cervices hominum. Doctrina hæc præcipue locum habet in materia excommunicationum latæ ſententiæ, nam qui pro ſolis incommodis temporalibus evitandis, aut commodis politicis conſervandis æternam vult infligere mortem, cui quæſo ſimilis erit? illi nimirum, qui volens muſcam abigere a fronte vicini, eam ſecuri percutiens, vicinum ſtolidus exacerbaverit. Sola itaque contumacia vera, vel præſumpta renuens ſtare judicio Eccleſiæ reddit hominem pro Chriſtiano gerentem dignum excommunicatione: nam ſi paratus eſt audire Eccleſiam qualiter velut Ethnicus nobis erit, aut Publicanus? Porro differt quamplurimum qualis eſt contumacia, & quam damnoſa Eccleſiæ, pro qua materia, & circa quam incurritur? nam pejor eſt contumacia in materia fidei, & religionis, quam puſillæ quæſtionis de paucis denariis, ubi nunquam tantum prodeſt obedientiæ, quantum obeſt excommunicatio ſeparativa a ſpiritualibus ſuffragiis, & ſocietate Sanctorum.* Multa his addere poſſem doctorum hujus ævi ſcriptorum teſtimonia, qui in frequentem iſtarum excommunicationum uſum non raro invehuntur, ſed iſtis immorari non licet.

XXIII. Summa eorum, quæ in iſta reſponſione diximus hæc eſt, primo nullam excommunicationem proprie ferri poſſe in peccata occulta, niſi fiant manifeſta, & nota per aliquod ſignum exterius, non tantum Deo, ſed & hominibus. Secundo, excommunicationem latæ ſententiæ hoc ad ſummum operari, ut quis poſſit ſtatim excommunicari, ut rebellis, & pervicax. Tertio, oſtendimus eos, qui ſe ab Eccleſia ſeparant, & cum hæreticis, aut ſchiſmaticis junguntur, ipſo facto eſſe excommunicatos, ſeu potius ſe excommunicare. Quarto, eos, qui cum privatis excommunicatis, aut hæreticis ad tempus communicant, eſſe tantum excommunicatione plectendos, non ipſo facto excommunicatos. Quinto, has formulas, *anathema ſit*, *excommunicatus*, & ſimiles, comminatorias eſſe tantum, nec illum, qui aliquid ſub iſtis imprecationibus vetitum facit, propterea ſtatim excommunicatum eſſe, ſed dignum excommunicatione ſtatim, atque fecerit reddi; & ideo deferendum ad Eccleſiam, ut excommunicetur. Quibus jam ſatis ſuperque aſſertis, revocari amplius in dubium non poteſt, quin ſoli peccatores publici vere ac proprie poſſint excommunicari; quo poſito, quæritur, an in iſtos omnes excommunicationis telum vibrari poſſit.

XXIV. Conſtat primo, privatos homines Laicos, & Clericos ab Epiſcopis, & Clero excommunicari poſſe. Conſtat item, Epiſcopum a Metropolitano, & Synodo Provinciæ excommunicari, & deponi. Conſtat tertio, Eccleſias inter ſe poſſe a communione mutua diſcedere; nec dubium eſt, quin Metropolitanus a Synodo plurium Epiſcoporum poſſit excommunicari, & deponi, præſertim ſi conſentiat, & adſit Synodo Patriarcha. De Patriarchis ipſis ac potiſſimum de primo Patriarcha Romano Epiſcopo, a quibuſdam dubitatur. Nonnulli enim Curiales Doctores Romanum Pontificem nulli judicio obnoxium eſſe non dubitarunt aſſerere, ac proinde eum non poſſe a quoquam excommunicari, aut deponi: nos vero contra iſtos ſecundum Concilii Conſtantienſis definitionem duo tenemus; primum eſt, Romanum Pontificem ſubeſſe Concilii præſertim generalis judicio, & ab eo deponi poſſe, necnon corrigi, ac emendari: alterum eſt, Pontificem Romanum in errorem circa fidem, aut bonos mores labi poſſe; quo in caſu haud dubium, quin liceat ceteris Epiſcopis, & Eccleſiis ab ejus communione diſcedere. Hæc autem tanquam certa, & indubitata nunc ſupponi poſſent, nec neceſſe eſt ea pluribus confirmare; quod & nos a propoſito longius avocaret, & deinceps fuſe probabitur in aliis diſſertationibus.

XXV. Itaque hoc unum inquirendum reſtat, utrum Reges excommunicari poſſint; cum enim Romani Pontifices a Gregorio VII. ita Reges excommunicarint, ut ſimul eorum ſubditos a ſacramento fidei

Digitized by Google

absolverent, regnaque eorum cuilibet occupanda traderent; hinc factum est, ut Regum defensores negarint absolute Reges excommunicari posse, eo scilicet modo, quo Romani Pontifices eos excommunicare conabantur. Verum si quis exacte loqui velit, dicere debet, Reges absolute ab Ecclesia excommunicari posse, hoc est, indignos Ecclesiæ communione declarari in rebus spiritualibus, non autem in temporalibus ac civilibus; nam proprius effectus excommunicationis, uti modo dicemus, non attingit temporalia, sed spiritualia. Nullum autem mihi dubium moveri posse videtur, quin Reges peccatores, vel hæretici declarari possint, hoc sensu Ecclesiæ communione indigni. Nam licet Monarchæ sint, & Principes Reipublicæ civilis, in Republica tamen Ecclesiastica membra tantum sunt, & legibus hujus Reipublicæ debent obtemperare, aut ab ea excidere; nam Ecclesiæ nullus est Dominus, nullus Monarcha, nullus in ea ab ejus legibus immunis. Potest ergo absolute is Princeps, qui leges Christi, & Ecclesiæ violat, Ecclesia indignus haberi, & declarari. Et sane habemus in Historia Ecclesiastica exempla nonnulla Regum, & Principum, qui ab Episcopis hoc modo sunt excommunicati. Sic Philippus Imperator fertur excommunicatus, & Ecclesia ejectus, donec pœnitentiam egisset. Athanasius Libyæ Præfectum excommunicavit, & hunc propterea Basilius in sua Provincia ad communionem admittendum non esse decrevit Epist. 47. Ambrosius Maximum, & Theodosium a communione, & aditu Ecclesiæ expulit, Joannes Chrysostomus Eudoxiam aditu Ecclesiæ prohibuisse fertur. Andronicum Præfectum Synesius excommunicavit, ut constat ex ejus Epistola 58. Symmachus Anastasium ab Ecclesiæ Romanæ communione alienum esse pronuntiavit. Recentiora exempla non percurro, quia in iis Romani Pontifices plus potestatis sibi arripuerunt, quam ipsis conveniebat. Nam per excommunicationem non possunt interdici, aut prohiberi quæ sunt juris naturalis, & divini; sic verbi gratia, non potest prohibere excommunicatio, ne paterfamilias suam regat, alatque familiam, ne filiusfamilias patri, & matri debitum honorem præstet, &c. ac similiter non potest excommunicatio impedire, quominus Rex Regnum administret, regat, gubernet, moderetur; ac proinde non possunt subditi a sacramento fidei absolvi, & Rex regnandi jure privari.

XXVI. Verum licet absolute possint excommunicari Reges, non tamen expedit id facere; plus enim inde detrimenti Reipublicæ Christianæ accedit, quam boni; nec id fieri potest sine magno periculo schismatis, pacis publicæ perturbatione, Ecclesiæ vexatione, & ceteris calamitatibus, quas inde sequi moraliter, ut aiunt, certum est. Quapropter juxta regulam superius ex Augustino traditam, vix unquam debent excommunicari Reges, & Principes: atque hinc in Imperatores Christianæ Religioni infensissimos, & hæreticis addictissimos nullam excommunicationis censuram antiqui Episcopi fulminasse leguntur, ne scilicet eos gravius exacerbarent adversus Ecclesiam. Quis ignorat, quantum fuerit Constantii in hæreticos studium? Cui sunt ignotæ vexationes, quibus Episcopos orthodoxos, & Ecclesiam affecit? non tamen propterea quisquam eum excommunicavit: non Athanasius, non Osius, non Liberius ullam in eum excommunicationis dixere sententiam. Valentem Arianum nemo a communione Ecclesiæ expulit, imo Basilius eum ad sacra mysteria admisit, teste Theodoreto lib. 4. hist. c. 19. Zenonem Imperatorem fidei Catholicæ iniquiorem, & hæreticis faventem benigne adhortati sunt Romani Pontifices, nec censuris eum percusserunt, sed totam culpam in Acacium refudere: vide Epistolam tertiam Felicis III. ad Zenonem, & Gelasii Epist. 11. ad Dardanos. Vitalianus Papa Constantem Heraclii nepotem hæreticum, fratricidam, & sacrilegum, qui Martinum e sede dejecerat, & relegatum fame confecerat, qui in Maximum, & ejus discipulos sævierat, non modo non excommunicavit, sed & honorifice excepit. Gregorius Magnus legem Mauritii parum æquam promulgavit, nec propter eam illum excommunicatione perculit, sed ut legem revocaret decenter admonuit. Idem Pontifex Phocam crudelissimum Mauritii interfectorem non modo non

Digitized by Google

non excommunicavit, ſed & multis laudibus extulit. Ex quibus, & aliis innumeris, quæ hic afferri poſſent, abunde liquet, Reges, & Principes licet malos in Eccleſia tolerandos ſæpius eſſe, quam excommunicandos.

XXVII. Hoc autem ita Gallis noſtris ſemper fuit perſuaſum, ut nunquam Reges ſuos excommunicari paſſi fuerint. Primum huius rei documentum habemus in Ludovico cognomento Manſueto, quem cum Gregorius IV. filiorum impulſu excommunicare in animo haberet, ejuſque rei gratia in Galliam proficiſceretur, a Gallicanis Epiſcopis, teſte Aimonio, hoc reſponſum accepit: *nullomodo ſe velle hujus voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicatus veniret, excommunicatus abiret*. Quapropter Gregorius abjecto propoſito dixit, ſe non alia de cauſa veniſſe, quam ut pacem, & concordiam inter ipſum, ejuſque filios procuraret,

XXVIII. In Lotharium Nicolaus I. excommunicationis ſententiam tulit, eo quod Theutberga dimiſſa Valdradam duxiſſet uxorem; ſed id fecit tanquam judex, & arbiter a partibus electus, ut conſtat tum ex litteris Regis ipſius ad Hadrianum II. Nicolai ſucceſſorem, ubi fatetur ſe Nicolaum judicem agnoviſſe, ſed *ad tempus, & in hac parte*. Nihilominus tamen Gallicani Epiſcopi excommunicationem Pontificiam parum, aut nihil curarunt, ſic reſcribentes Pontifici: *Nos cum fratribus, & collegis noſtris, neque edictis tuis ſtamus, neque vocem tuam agnoſcimus, neque tuas bullas, tonitruaque timemus; tu eos, qui Decretis tuis non parent, impietatis condemnas, iiſdem ſacrificiis interdicis, nos tuo te enſe jugulamus, qui edictum Domini; denique noſtri conſpuis judicium*.

XXIX. Similiter cum Hadrianus juſſiſſet Hincmaro, ut a Caroli Calvi conſortio, & communione diſcederet, reſponſum hoc accepit ab Hincmaro, & aliis Gallicanis Epiſcopis: *Nunquam hujuſmodi præceptionem ab illa Sede ulli prædeceſſorum ſuorum miſſam fuiſſe, cum inter Reges ſacramentis etiam confœderatos, ſed inter patrem, & filios, ac inter fratres prælia, & ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur. Nec etiam ab hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, ſive tyrannorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arianus, & Apoſtata Julianus, & Maximus Tyrannus, præſentia, & ſalutatione, ſive collocatione Sedis Apoſtolicæ Pontifices, vel alii magnæ auctoritatis, atque ſanctitatis Epiſcopi, cum locus, & ratio, ac cauſa exegit, ſe ſubtraxiſſe leguntur . . . . & dicunt ſæcularem ſcripturam dicere, quia omne regnum ſæculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apoſtolici, & Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur, & ſcripturam divinam proponunt dicere, quia Domini eſt regnum, & cui dat illud miniſterio Angelorum, & hominum . . . . & ſi vultis ad defenſionem habere noſtrum auxilium, ſicut volumus de veſtris orationibus habere adjutorium, nolite quærere noſtrum diſpendium, & petite Domnum Apoſtolicum, ut quia Rex, & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, ſui anteceſſores Eccleſiaſticum ordinem, quod ſuum eſt, & non Rempublicam, quod regum eſt, diſpoſuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in ſic longinquis partibus adjuvare non poſſit contra ſubitaneos, & frequentes Paganorum impetus, & non convenit ulli Epiſcopo dicere, vel Chriſtianum, qui non eſt incorrigibilis, non propter propria crimina, ſed pro terreno Regno tolerando, vel acquirendo nomine Chriſtianitatis debeat privare, & cum diabolo collocare. . . . . Propterea ſi Domnus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, ut rixam non moveat, quia non credimus, ut ad regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum, quem ipſe non commendat, Regem non habuerimus*. Hæc tum Eccleſiaſtici, tum læcularis ordinis viri Rhemis congregati ſenſerunt de litteris Hadriani, quibus Carolum pro excommunicato haberi jubebat, niſi abdicato filio Lothario, Ludovico alteri filio regnum traderet. Ex quibus intelligere eſt, quanti fieri debeant, & quanti ſemper habitæ fuerint ejuſmodi Romanorum Pontificum excommunicationes in Reges noſtros præſertim pro rebus temporalibus latæ.

XXX. Porro tum temporis adeo perſuaſum habebant Gallicani Antiſtites Regem ſuum excommunicari non debere, ut inter eo-

Digitized by Google

rum capitula, quæ refert Hincmarus hæc legantur: *Dicunt ſapientes, quia iſte Princeps nullorum legibus, vel judiciis ſubjacet, niſi ſolius Dei, qui eum in regno, quod ſuus pater illi dimiſit, Regem conſtituit, & ſi voluerit pro hac, vel pro alia cauſa ibit ad placitum, vel ad Synodum, & ſi noluerit, libere, & licenter dimittet; & ſicut a ſuis Epiſcopis quidquid egerit non debet excommunicari, ita ab aliis Epiſcopis non poteſt judicari, quoniam ſolius Dei principatui debet ſubjici, a quo ſolo potuit in principatu conſtitui.* Quin etiam indulgentia in Reges eo proceſſit, ut qui illorum communione digni ab ipſis habiti fuerant, digni etiam Eccleſiæ communione redderentur. Citat in eam rem Yvo Epiſt. 171. & 62. hanc legem tanquam ex Capitularibus deſumptam: *Si quos culpatorum regia poteſtas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes effecerit, hos etiam Sacerdotum, & populorum conventus ſuſcipere in Eccleſiaſtica communione debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec a Sacerdotibus Dei alienum habeatur.* Hæc autem lex non extat in Capitularibus, ſed eſt Canon 3. Concilii Toletani.

XXXI. Philippos I, & II. excommunicare conati ſunt Romani Pontifices, videnturque excommunicationes in eos latæ plus ponderis habuiſſe, quia juſtioribus de cauſis latæ erant, & ab Epiſcoporum Gallicanorum Synodis confirmatæ. Primus hujus nominis Galliæ Rex Bertham conjugem, ex qua filium ſuſceperat anno 1085. dimiſit, & Bertradam de Monteforti, quæ a Fulcone Richino, annuente Gregorio VII. diſceſſerat, uxorem ſolemniter duxit. Is propterea ab Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo Urbani II. vices gerente, in Synodo Auguſtodunenſi excommunicatus eſt; ſed anno 1094. hæc ſententia in Concilio Placentino eſt revocata, & in Hugonem, qui citatus non adfuerat, pœna ſuſpenſionis indicta. Verum iterum in Concilio Claromontano ob idem repudium uxoris excommunicatus Philippus dimiſſa Bertrada cum Pontifice in gratiam rediit. At in propoſito diu non ſtetit, annoque 1098. rurſum Bertradam ſibi ſociavit: quapropter in Concilio Pictavienſi, cui aderant Legati Paſchalis II., renovata eſt excommunicationis ſententia. Demum anno 1102. cum promiſiſſet Rex ſe cum Bertrada conſuetudinem non habiturum, donec a Papa diſpenſationem accepiſſet, hanc ſimul cum abſolutione obtinuit in Conventu Pariſiis habito. Hæc conſtant ex Yvonis Epiſtolis, qui cum acerrimus fuiſſet matrimonii inter Regem & Bertradam initi oppugnator, eaque de cauſa bonis exutus, & in carcerem conjectus eſſet, tandem tamen conſenſit, ut intelligere eſt ex Epiſtola 144. ad Papam Paſchalem in hanc ſententiam ſcripta. *Rex per ſe*, inquit, *& per nos adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, ut ſecundum moderationem litterarum veſtrarum, & verba, quæ Domno Galoni Epiſcopo injunxiſtis, cauſam ejus temperetis; ne contingat de eo illud Salomonis: qui multum emungit, elicit ſanguinem. Diſpenſationis autem ratio nulli ſapientum diſplicuit .... quia hæc ſuggerendo dicimus, non docendo: noſtræ ſuggeſtionis ſumma eſt, ut imbecillitati hominis amodo, quantum cum ſalute ejus poteſtis, condeſcendatis, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.*

XXXII. Philippus alter hujus nominis ſecundus cognomento Auguſtus, Ingeburgem Danorum Regis filiam uxorem paucis poſt matrimonium diebus elapſis ſub conſanguinitatis obtentu dimiſit anno 1193. ac deinde anno 1196. Agnetem filiam Bertholdi Meraniæ Ducis uxorem duxit. Hac injuria commotus Danorum Rex Legatos Romam miſit, qui de ea apud Pontificem Cœleſtinum quererentur. Ab iſto Legati in Galliam ſunt miſſi, qui Pariſiis Concilium congregarunt, in quo de reformando Ingeburgis matrimonio eſt actum, ſed nihil eſt perfectum. Anno 1199. Francia ſub interdicto poſita eſt non propter Regis matrimonium, ſed quia captivus a Rege detinebatur quidam Petrus Daius Clericus in Epiſcopum Cameracenſem electus. Poſt tres menſes interdictum eſt ſublatum. Quod cum renovare vellet Synodus apud Divionem congregata, Rex ad Pontificem provocavit. Sed nulla provocationis ejus ratione habita, Synodus interdictum tulit, quod a qui-

Digitized by Google

a quibuſdam eſt obſervatum, ab aliis vero non. At illud omnino relaxavit Pontifex Innocentius III. poſtquam Rex Ingeburgem in qualemcumque gratiam recepiſſet. Indicta deinde Sueſſione Synodus, cui adfuerunt Innocentii III. Legati, ibi per dies quindecim cauſa Ingeburgis, & Philippi ventilata, Rex Ingeburgem quaſi uxorem ſecum abduxit, quod quamvis tunc vel tædio victus, vel judicii exitum metuens ſimulate feciſſet, poſtea tamen illam pro uxore habuit, Agnete jam mortua. Hæc eſt rerum a Pontificibus in Philippos I. & II. geſtarum ſumma, ex qua colligere eſt, excommunicationes haud injuſtis de cauſis a Pontificibus in illos latas, eo tempore, quo Romani Epiſcopi auctoritas maxime prædicabatur, & a Gallis Epiſcopis confirmatas, a pleriſque Gallis haud magni factas fuiſſe, coactoſque ipſos Romanos Pontifices eas, ad vanam reſipiſcentiæ umbram relaxare. Sub finem Regni Philippi II. in Ludovicum ejus filium Angiam occupantem excommunicationis ſententiam tulit Pontifex Honorius III. ſed Ludovicus nulla ejus ratione habita a propoſito non deſtitit: cumque Pontifex in Philippum hujus Patrem, tanquam ejus protectorem eamdem ſententiam vellet extendere, idque in mandatis dediſſet Senonenſi Archiepiſcopo, Gallicani Antiſtites Meloduni congregati ſtatuerunt Pontificiæ ſententiæ rationem habendam non eſſe.

XXXIII. In negotio Philippi Pulchri ſicut iniquior erat Pontificum conatus, ita major etiam fuit Gallorum vigor. Cum enim Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum ob detentum Apameenſem Epiſcopum Narbonenſis Archiepiſcopi opera objurgaſſet, datis etiam litteris, quibus eum in temporalibus non ſecus ac in ſpiritualibus ſibi ſubeſſe aiebat, necnon ad ſe, non ad Regem Beneficiorum, & Præbendarum collationem ſpectare: has Philippus in Palatio coram pluribus cremari juſſit, reſponditque Pontifici, ſe in temporalibus nemini ſubeſſe, & ad ſe Eccleſiarum, & Præbendarum collationem jure regio pertinere: eos vero, qui aliter ſentirent fatuos eſſe, ac dementes. Hoc reſponſo exaſperatus Pontifex excommunicationem in Regem tulit, ſed hanc Gallicani Epiſcopi pro irrita habuerunt, & ad futurum Concilium generale provocaverunt; quapropter Benedictus XI. Bonifacii ſucceſſor cernens excommunicationem Pontificiam flocci fieri, *Regem non petentem a ſententia excommunicationis per prædeceſſorem ſuum lata abſolvit.*

XXXIV. Benedictus XII. Avenioni ſedens, de Epiſcopatu Romano cum Gregorio tunc Romæ ſedenti contendens Carolo VI. Galliarum Regi excommunicationem interminatus eſt, eo quod in animo Rex haberet ſe, Regnumque ſuum ab utriuſque Pontificis obedientia ad procurandam Eccleſiæ pacem ſubtrahere, & curare ut alius legitimus eligeretur Pontifex. Illius vero Bullam Pariſienſis Univerſitas, & Epiſcopi qui aderant proſcripſerunt: *Tanquam de ſe iniquam, ſeditioſam, & doloſam, necnon fraudulentam ac perturbativam pacis, & offenſivam Regiæ Majeſtatis.* Petieruntque eam hoc nomine proſcribi, & lacerari. Quod & factum eſt, ejuſque delatores carpentis impoſiti ac per ludibrium veſte variegata, & Thiara papyracea induti per urbem ignominioſe ducti ſunt. Et nihil obſtante ſententia Pontificis lex promulgata eſt, ne alterutri e contendentibus de Epiſcopatu Romano obedientia præſtaretur.

XXXV. Ludovicum hujus nominis XII. mitiſſimum, atque optimum Principem Julius II. Pontifex diris devovere & anathemate obſtringere conatus eſt, ſed Clerus Gallicanus in civitate Turonenſium congregatus anno 1510. obſtitit, ſtatuitque, ac decrevit Regem non teneri ullam habere rationem excommunicationum, aut cenſurarum a Julio II. in Regem, aut in regnum latarum, aut ferendarum, eo quod jure ipſo forent irritæ.

XXXVI. Denique cum Sixtus V. & Gregorius XIV. ab hoſtibus hujus Regni ſollicitati, & impulſi Bullas excommunicationis, & interdicti intentaſſent in eos, qui Henricum Navarræ Regem legitimum Regni Francici hæredem pro Rege agnoſcerent, illorum Pontificum conatum tota exhorruit Gallia. Imprimis vero Clerus Gallicanus Carnuti congregatus anno 1591. de Bullis Pontificis ita cenſuit: *Monitiones, excommunicationes, ſuſpenſiones illis intentatas*

Digitized by Google

tatas esse prorsus irritas tam secundum materiam, quam secundum formam, ac præterea injustas, necnon hostium hujus Regni artibus suggestas, quæ vim habere minime possent ligandi, aut astringendi. Idque se cognovisse aiunt Antistites *auctoritate sacræ Scripturæ, sanctorum Conciliorum Decretis, Constitutionibus Canonicis, sanctorum Patrum exemplis, quibus antiquitas est referta privilegiis, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quibus innixi prædecessores sui semper hujusmodi conatibus obstiterant.* Idem censuit Universitas Parisiensis, quæ 22. Aprilis anno 1594. vana illa fulmina non metuens decrevit, Henricum IV. legitimum esse Gallorum Regem, eique parendum esse. Hujus judicium confirmavit Facultas Theologiæ Parisiensis, quæ anno 1565. 16. & 21. die Januarii in aula Reverendissimi Archiepiscopi Parisiensis simul cum urbis Parisiensis Pastoribus congregata, antequam revocatæ forent Pontificiæ Bullæ, declaravit, his non obstantibus teneri Francos omnes obedire Regi, ac pro eo in publico officio preces fundere: nihilominus Regem suppliciter admoneri petierunt, ut Legatos Romam mitteret ad Pontificem secum reconciliandum: non quod istud arbitrarentur necessarium ad restituendam Regi communionem; sed tantum ad vitandum schisma. Mitto Senatusconsulta quamplurima in Bullas lata, quæ minoris sunt apud Theologos momenti (*).

XXXVII. Ex his porro, & aliis Francorum gestis abunde, ni fallor, demonstratur excommunicationes, quas Romani Pontifices in Reges nostros, aut tulerunt, aut intentarunt, non modo a judicibus sæcularibus, sed & ab Ecclesia Gallicana tanquam iniquas explosas semper fuisse, & nonnunquam ludibrio habitas; præcipue vero cum de rerum temporalium dispensatione, & Regni administratione agebatur; nec enim Episcoporum est hujusmodi negotiis sese immiscere, sed ista potestas a Deo data est Regibus, ac Principibus, qui si male se in istis gerant rationem gestorum Deo, non Episcopis reddere debent. Id sagaciter observat Yvo Carnotensis Epist. 171. his verbis: *Dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt, & Basilei, idest fundamentum populi, & caput existunt. Et si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperandi, sed ubi sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio sunt reservandi, ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii.*

XXXVIII. Quæres, utrum Regnum integrum possit excommunicari, & sacris officiis interdici ob peccatum Regum, & Principum.

XXXIX. Respondeo, quæstionem hanc ad nos non pertinere, qui de antiqua infligendæ excommunicationis ratione tractamus. Quippe toti antiquitati ignota est illa ratio excommunicandorum, seu, ut loquuntur, interdicto subjiciendorum Regnorum, Provinciarum, urbium ob Regis, Magistratus, aut alterius cujusdam peccatum; cum nulla fiat ejus mentio non dico in *Canonibus antiquorum Conciliorum*; sed ne quidem in *collectionibus Canonum recentioribus* Gratiani, Yvonis, Burchardi, & aliorum. Sed nec ullum est apud antiquos exemplum hujusmodi disciplinæ, nec enim per sex, aut septem, & amplius Ecclesiæ sæcula legitur aliquam societatem ob peccatum alicujus excommunicatam, aut interdicto subjectam. Imo vero S. Augustinus diserte negavit familiam integram pro peccato patrisfamilias excommunicari posse, ac proinde censuit multo minus regnum pro peccato Regis, aut Principis Ecclesiastica censura non posse percelli. Extat Augustini ea de re sententia in Epist. 75. in qua reprehendit Auxilium juvenem Episcopum

(*) Male proposita quæstio, deteriusque soluta 1. Aliud est de Excommunicatione, aliud de Interdicto judicium 2. Compertum omnibus est Excommunicationem supponere culpam singulorum, qui excommunicantur: at non eadem de Interdicto ratio est in hodierna disciplina, quam non omnium singulorum, qui interdicuntur, sed capitum culpa postulatur: postremum hoc quidem veterum moribus non receptum, receptum tamen quod æquivalet, testimonium Ecclesiæ tristatæ de culpa Procerum.

Digitized by Google

pum, quod Classicianum quemdam cum familia excommunicasset, & ab illo Episcopo quærit, *ut si habeat ea de re sententiam certis scripturarum testimoniis exploratam doceat, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quispiam etiam in domo nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in morte subveniri.* Hanc opinionem, & Episcopum ejus auctorem tota Epistola ridet Augustinus. Quanto absurdior ipsi visa fuisset eorum opinio, qui Regnum integrum ob unius Principis peccatum excommunicari, & sub interdicto poni voluissent.

XL. Sunt tamen aliqui, qui interdicta Ecclesiastica, si non primis Ecclesiæ sæculis saltem mediis in usu fuisse probare se posse nonnullis exemplis existiment. Primum ergo afferunt ex Theodoreto lib. 4. hist. c. 14. & 15. Samosatensium scilicet zelum, qui Eunomii, Lucii, & Arianorum commercium adeo detestati sunt, ut cum iis convenire, aut congredi nefas esse duxerint. Secundo aiunt huc etiam pertinere, quod populus Constantinopolitanus cum Nestorio Synaxes habere renuit, postquam hæresim suam ille detexit. Tertio allegant decretum Concilii Arelatensis 2. cap. 49. statuitur, ut si quis a communione Sacerdotali sit ejectus, convivio, & colloquio privetur. Quarto in medium producunt Concilii Triburiensis cap. 32. & Cabilonensis cap. 26. decreta de Ecclesia quadam, quæ lite de illius patrono pendente jubetur claudi, ut officium divinum in ea minime celebretur. Sed hæc exempla nihil omnino ad propositum faciunt. Primum enim non probant aliquam Ecclesiam interdicto subjectam ob peccatum Principis, aut alicujus in ea Ecclesia primi. Secundo, ne quidem ista probant usum interdicti, sed tantum excommunicatorum, & hæreticorum commercium fuisse fugiendum etiam ab inferioribus in casu excommunicationis a superiori latæ, aut hæreseos manifestæ. Concilii vero Triburiensis decretum Ecclesiam, de qua agebatur interdicto non subjecit; sed pro bono pacis jussit, ut Episcopi auctoritate clauderetur, donec ea, quæ de eligendo ad illam regendam Presbytero lis pendebat, composita fuisset, atque finita. Mitto auctoritatem Epistolæ cujusdam nomine Augustini ad Bonifacium Comitem, quæ adducitur Can. miror 17. quæst. 4. est enim illa Epistola omnium judicio subditicia.

XLI. Ad propositum magis pertinent tria exempla, quæ nobis submiuistrat historia Gregorii Turonensis: primum extat lib. 5. c. 32. ubi ait Ecclesiam sancti Dionysii ob perpetratam in ea cædem aliquandiu clausam fuisse, & propterea in illa a divino cessatum officio. Sed hoc genus interdicti nondum est illud, de quo agimus. Ad illud magis accedit exemplum secundum, quod extat lib. 8. cap. 31. in quo scribit Leudoaldum Episcopum Ecclesias Rhothomagenses claudi jussisse, ac vetuisse, ne populus solemnia divina spectaret, donec auctor cædis Prætextati Rhothomagensis Archiepiscopi detectus foret. Huc etiam revocari debet tertium exmplum, quod habetur cap. 15. lib. 10. ubi refert Episcopum Pictaviensem ad Chrodieldem scripsisse, se non celebraturum Pascha Domini, nec baptismum administraturum, nisi Abbatissam, quam in vinculis retinebat dimitteret. Hæc pauca exempla probant interdicta sub finem primæ Regum nostrorum Dynastiæ ortum, initium habuisse.

XLII. At sub secunda Dynastia interdictorum Ecclesiasticorum usus invaluit. Circa annum 870. Hincmarus Laudunensis Ecclesiam suam quasi interdicto subjicere conatus est, atque ea de causa ab Hincmaro Rhemensi graviter increpatur in opusculo 55. capitul. cap. 8. his verbis: *Causa injuriarum tuarum, sicut in petitione ab Ecclesia Laudunensi data continetur, Presbyteros, & Diaconos, ac reliquos Clericos non accusatos, nec confessos, nec convictos ab omni Ecclesiastico officio excommunicasti, & ut nemo sacra Missarum solemnia in tua Parochia celebraret indixisti.* Et capit. 30. *in tua Parochia nemo in necessitate mortis baptizari, nemo communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione poterat.* Vide etiam cap. 31. & 32.

XLIII.

XLIII. Fulbertus Episcopus Carnotensis scribens ad Robertum Regem Epist. 93. ait: *Ad Aurelianam civitatem convenire non posse Episcopos, cum ibi nec sacrificare liceat, nec Eucharistiam absolute percipere*, propterea quod excommunicatione damnata foret. Similiter Ep. 3. ait Officium in Ecclesia sua, *depressis miserabiliter vocibus, & pene silentio proximis celebrari*. Et post: *Quid restat aliud, nisi ut penitus interdicatis divinum Officium in toto Episcopatu nostro?*

XLIV. Ademarus Engolismensis ad annum 994. hæc habet: *Alduinus Episcopus Lemovicensis pro nequitia populi novam observantiam constituit. Scilicet Ecclesias, & Monasteria cessare a cultu divino a sacro-sancto sacrificio, & populum quasi paganum a divinis laudibus cessare, & hanc observantiam excommunicationem censebat.* Ita tempore Ademari interdictum nova videbatur esse observantia.

XLV. In Concilio Lemovicensi anno 1034. Oldericus Abbas, ut Pontificem bellis vexatum sublevaret consuluit Episcopis, ut excommunicationis sententiam ferrent in eos, qui paci non acquiescerent, ita ut inobedientes post mortem sepultura privarentur Ecclesiastica, interdiceretur apud eos officium publicum, atque ut, excepto parvulorum Baptismo, & morientium Viatico, nullum administraretur Sacramentum.

XLVI. Verum usque ad Gregorium VII. rara fuerunt admodum interdicta, & in peculiares quasdam Ecclesias ferebantur, at ille Pontifex suæ auctoritatis augendæ perquam studiosus iis frequenter etiam in integra regna usus est, & aliis Episcopis, ut idem tentarent exemplo fuit. Hinc hujus præcipue tempore multis interdictis pax Ecclesiæ turbata est, quorum exempla quamplurima videre est apud Yvonem Epistolis 50, 6, 3, 120, 121, 263, & 264, & 266. qui etiam Epist. 94. interdictum vocat remedium insolitum, observatque in usu potissimum fuisse in causa sacrilegii aut violationis pacis.

XLVII. Ceterum interdicta generalia ad tuendam auctoritarem Ecclesiasticam adinventa contrarium omnino effecere, nam ut observat Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. a. 1. *Interdictum quamvis ex una parte ad terrorem excommunicatorum conducat, ex altera tamen in periculum divini cultus vergit potissimum: nam tunc non solum populus desuetudine frequentandi divina officia affectum eorum, & sensum perdit, verum etiam, & Clerus ipse fit remissior, & segnior ad eadem divina celebrada, qua utique ratione, & divina Religio detrimentum patitur, & populus solet in moribus silvescere.* Eadem mala eleganter describuntur a Bonifacio VIII. in capite *Alma Mater*, de sententia excommunicationis his verbis. *Tunc excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ab Ecclesiis sine culpa earum divina obsequia subtrahuntur.* Et certe si quis interdicta illa omnia quorum aliqua supereſt memoria percurrat, intelliget ea semper fuisse dissensionum, schismatum, bellorum, aliarumque grandium calamitatum causas, & vix unquam aliquid boni, sæpe vero multum mali, ex his Ecclesiæ accessisse.

XLVIII. Quapropter ii ipsi, quibus hæc interdicta magis prodesse poterant, Romani Pontifices coacti sunt eorum severitatem ita paulatim imminuere, ut vix ullum habuerint effectum: quippe cum primum interdicta usurpari cœperunt, cujuslibet officii divini celebratio prohibebatur excepto tantum puerorum baptismo, & pœnitentiæ administratione in necessitate; ita Alexander III. qui anno 1170. vivebat cap. *non est vobis de sponsalibus*. Deinde circa annum 1200. prædicatio Evangelii, & Sacramenti Confirmationis administratio concessa, Innocent. III. cap. *responso de sentent. excommunicationis*. Circa annum 1230. Gregorius IX. permisit, ut in unaquaque hebdomada celebraretur missa privata ostiis clausis sine pulsu tympanarum cap. *permittimus de sententia excommunicationis*: post circa annum 1245. Innocentius IV. voluit Sacramentum pœnitentiæ administrari cruciatis, & peregrinis, necnon permisit officium a Clericis recitari sine cantu cap. *Quod in text. de pœnitentia, & remiss.* Demum anno 1300. Bonifacius VIII. pœnitentiam sanis omnibus administrari jussit, & integrum officium quotidie celebrari ostiis tamen clausis, & sine tympanarum

Digitized by Google

rum pulsu. Imo etiam ostiis apertis, & prævio tympanarum pulsu in festis Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis cap. *Alma Mater*, *de sententia excommunicationis in VI.* Ex his videre est, paulatim interdicto nihil ferme præter interdicti nomen esse relictum, quod argumento est, eos ipsos, quibus utilia maxime sunt interdicta eorum molestiam, & periculum agnovisse. Quid quod sæpe sæpius interdicta ab Ecclesiis spreta, atque contempta sunt. Quis enim ignoret, quam nihil fecerit Ecclesia Gallicana interdicta in Regnum Franciæ lata, tum a Bonifacio tempore Philippi Pulchri, tum a Julio tempore Ludovici XII. tum etiam alia ab aliis Pontificibus? Quis nesciat Rempublicam Venetam interdictum Pauli V. ita irritum judicasse, ut ab eo ne quidem post pacem initam absolvi se passa fuerit. Quin etiam unius tantum Ecclesiæ, aut Provinciæ interdicta apud nos fuere prohibita: sic cum anno 1488. Innocentius VIII. Brugenses, Gandavenses, & Yprenses interdicto subjicere tentasset, ab ejus sententia Advocatus Regius provocavit eo instrumento, quod habes inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, & Senatus Parisiensis interdictum irritum esse pronuntiavit teste Chopino. Itemque cum Paulus II. Ecclesiam Nivernensem interdicto subjecisset, Senatus Parisiensis sanxit Officium divinum, nulla interdicti ratione habita, publice celebrandum.

XLIX. Ex his abunde, ut patet, demonstratum habeo interdictum Ecclesiasticum, quod in Regnum, Provinciam, Civitatem, aut Parochiam ob Regis, aut alterius peccatum fertur, rem esse novam, & odiosam, qua valde periculosum est uti, ne dicam fere semper injustum, & iniquum: repugnare etenim æquitati videtur innocentes cum noxiis involvi, & ob unius peccatum universam societatem puniri; præsertim cum Reges, & Principes, propter quorum peccata Ecclesiæ interdicto subjici solent, non sint præcipua societatis Ecclesiasticæ prout Ecclesiastica est, membra. Quod tamen ita intelligi volo, ut non omnem interdictorum usum damnem, sed ut eo nonnisi caute, ac raro utendum esse doceam.

L. Demum illud quæritur, an non etiam in mortuos ferri possit excommunicatio? cui quæstioni satisfacere haud ita arduum est, ac multis visum: nam vel intelligitur de propria, & vera excommunicatione, hoc est, separatione e fidelium conventu; & hoc sensu certum est, mortuos excommunicari non posse, quia amplius inter nos non versantur. Secundo, intelligi potest de testificatione detestationis in mortuos, ob ea, quæ viventes prave senserunt, aut fecerunt, & hoc sensu dubium nullum est, quin anathema possit in mortuos ferri, hoc est quin possimus eis dira imprecari, eorumque memoriam detestari, aut e contra bona, & fausta illis optare, & memoriam ipsorum honore, & veneratione prosequi, atque ita eos vel in communione, vel extra communionem habere. Sed hæc excommunicatio non secus ac communicatio analoga tantum est, & impropria, non autem vera, & propria. Nihilominus tamen illa dabatur, vel auferebatur olim mortuis, nomen eorum apponendo, vel detrahendo in Dypthicis seu tabulis Ecclesiasticis, quæ recitabantur in officio publico. Hinc ubi restituta est ab Orientis Præsulibus Chrysostomo communio, nomen ejus, quod e Dypthicis fuerat erasum, in iis restitutum est in signum communionis. Ceterum olim quæsitum est, utrum hominibus in communione Ecclesiæ mortuis posset anathema dici, si constitisset, eos quid prave sensisse, ac vicissim utrum pœnitentibus in pœnitentiæ decursu sine pace defunctis dari posset communio: qua in re varia fuerunt judicia; nam Ecclesia Romana de mortuis judicium ferri non posse asseruit, ut testis est B. Leo Epist. 9. ad Theodorum Forojulienſem: *Quod manens*, inquit, *in corpore pœnitens non receperit, consequi exutus carne non poterit, nec necesse est nos eorum, qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservavit.* Et Epistola sequenti: *Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Gelas. in Epist. ad Episcopos Dardaniæ. *Ceterum*, inquit, *jam de eo, qui divino judi-*

Digitized by Google

dicio constitutus nobis fas aliud decernere non est, præter id, in quo eum dies supremus invenit. Eadem fere habet in Concilio Romano pro Misseni Episcopi causa celebrato: *Quia*, inquit, *cum dictum sit, quæcunque ligaveritis super terram; quos ergo non esse jam constat super terram, non humano, sed suo judicio reservavit; nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis beatis Apostolis conspiciat non fuisse concessum, quin alia est causa superstitum, alia defunctorum*.

LI. Ex his testimoniis Vigilius in constituto probat, prædecessorum suorum decretis innotescere, *Sacerdotum in pace Ecclesiastica defunctorum* illæsas esse debere personas, nec anathemati subjiciendas, & ideo tribus capitulis subscribere recusat. At contraria fuit Ecclesiæ Africanæ disciplina, ut ostendit Sextilianus Episcopus Afer in Conc. V. generali collat. 5. t. 5. Conc. col. 480. tum ex Canone Concilii Africani, in quo statutum erat *de Episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates reliquerint, ut post mortem anathemati subjicerentur*, tum etiam ex pluribus Augustini testimoniis, in quibus ille ait, se Cæciliano, & ceteris antecessoribus suis anathema dicturum, si ostendi potuissent criminum rei. Idem Orientales probare conati sunt, sed non tam aperte fecerunt; nam vix unum, & alteram exemplum proferre potuerunt anathematis in mortuos lati, & quidem a privatis, ut a Rambula, & Cyrillo, non a Synodo: poterant tamen uti Chrysostomi, & Flaviani exemplis, quæ perperam Vigilius adducebat. Nam licet illi in communione Ecclesiæ Romanæ mortui forent, erant tamen mortui extra communionem Orientalium, & nihilominus eis post mortem ab ipsis Orientalibus reddita communio, nomenque eorum Dypthicis appositum. Et paulo ante Origenes a Menna damnatus fuerat diu post mortem. Poterant item Canones aliquot Synodorum proferre, quibus jubetur, ut iis, qui pœnitentiæ tempore excedunt, communio detur, commendando scilicet eorum memoriam, & accipiendo oblationes pro illis factas. Hoc statuitur c. 79. Concilii Carthaginensis IV., *pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ut eis subvenire non possit, memoriæ eorum orationibus, & oblationibus commendetur*. Item Arelat. II. c. 12. *De his, qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam oblatio illius suscipiatur*. Item statuitur in Concilio Valensi I. c. 2. Antisiodorensi c. 7. Epaonensi ultimo. II. Tolet. c. 12. II. Aurel. c. 14. Quod si communio restitui potest quodammodo mortuis per acceptionem oblationum pro illis factarum, necnon per sacrificiorum, ac precum celebrationem; cur non poterit item mortuis communio data auferri analogice scilicet, quod est eradere nomen ejus e dypthicis, sacrificia, & preces pro eo non amplius offerre, & anathema illi palam, ac privatim denuntiare ad memoriæ ejus ignominiam? Hinc post Synodum V. sæpe mortuis anathema dictum, ac vice versa pœnitentibus etiam in Ecclesia Romana communio post mortem reddita. Nam in Concilio VI. œcumenico anathema mortuis est dictum, & V. Concilii Decreta primum in multis Occidentis locis rejecta, paulo post ubique sunt recepta, satagentibus præsertim Romanis Pontificibus.

LII. Quin etiam eo res rediit, ut absolutio mortuis certa verborum formula tribueretur, ut de Latinis colligitur ex Innocentio III. in caput *extra, de sententia excommunicationis*, & ex antiquis sacramentariis. De Græcis vero ex illorum euchologiis, ubi orationes habentur ad veniam eis concedendam; creditumque vulgo a nonnullis per istam absolutionem mortuos ab aliquibus pœnis liberari, ut intelligere est ex Dialogis Gregorii nomine inscriptis, ubi nonnulla absolutionum istarum extant exempla Dialogi II. cap. 23. & Dialogi IV. c. 55. Quibus simile est illud, quod refert Joannes Diaconus in ejus vita, lib. 1. c. 45. Sed istæc persuasio vana omnino est, nec istæ absolutiones, aut excommunicationes animæ defuncti prodesse, aut nocere possunt, sed ejus tantum memoriæ, ut constabit ex dicendis de effectibus excommunicationis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De effectibus excommunicationis.

EX dictis, ni fallor, jam intelligitur excommunicationis mortalis hunc esse effectum primarium ac præcipuum, ut aliquis ex albo Christianorum expungatur, & Synaxi, Eucharistia, precibus communibus, ac ceteris officiis, quibus societas, & communio Christianorum cohæret, indignus esse pronuntietur: id enim significant verba Christi: *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus;* hoc est, jam non habeatur ut frater, & Christianus, sed quemadmodum Ethnicus, & Publicanus. Sicut ergo societas civilis servatur cum Ethnicis, & Publicanis, ita per excommunicationem non excluduntur homines a societate civili, nec iis privantur officiis, adjumentis, & bonis, quæ ipsis tanquam hominibus, & civibus jure naturali, gentium, & civili debentur. Itaque primus ac præcipuus effectus, imo si stricte ac proprie loqui velimus, unicus excommunicationis effectus est privatio officiorum spiritualium, non eorum, quæ jure naturali, gentium, aut civili debentur, cujusmodi est conjugum habitatio, parentum in liberos, liberorum in parentes, consangnineorum inter se, ac Regum in subditos, & subditorum in Reges officia necessaria. Quod vero spectat ad libera, ut amicitiæ, mutui convictus, & alia ejusmodi, hæc licet non videantur jure divino prohibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in usu fuit hæc excommunicatis denegare: constat ex beato Paulo multis in locis, 1. Cor. 15. *Scripsi vobis in Epistola, ut non commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, &c. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is, qui frater nuncupatur, est fornicator, aut immundus, &c. cum ejusmodi nec cibum sumere.* Quibus verbis Paulus prohibet, ne libera officia mutui convictus, quæ ipsis Ethnicis impendi poterant, fratribus excommunicatis impendantur. Idem probatur ex II. Thess. 3. *Denuntiamus vobis, ut subtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinate.* In Epist. ad Titum: *Hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devita.* Quod clarius habet Joannes: *Nolite recipere eum in domum, ne ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat ejus operibus malignis.* Certe hæc, non confuescere cum aliquo, in domum suam eum minime recipere, ne quidem ave dicere, sunt officia civilia, quæ denegantur excommunicatis, sed ut jam dixi libera, quæ nec jure naturali, nec jure civili, nec jure gentium necessario debentur. Nam quæ necessaria sunt, non ita possunt excommunicatis denegari, imo debent impendi. Sic enim Paulus jubet Principibus licet infidelibus obediri, itemque vetat, ne mulier fidelis virum infidelem relinquat; jubet servis fidelibus, ut obediant dominis suis, quia hæc officia sunt necessaria.

II. Ex his intelligere datur, proprium, & primarium effectum excommunicationis esse exclusionem a jure, quod habet quis in societate fidelium, & Christianorum, & privationem eorum officiorum, quæ Christianis debentur, ut Eucharistia, communibus precibus. Secundarium vero effectum, & minus proprium, quod juris est tantum positivi, hunc esse, ut cum excommunicatis familiaritas, convictus, & colloquium non ineatur, quando nulla necessitas, aut utilitas ad id cogit.

III. Hinc olim longe districtius præceptum, ut arcerentur excommunicati a synaxibus, & precibus communibus, quam ut privarentur consortio familiari; unde excommunicatio describitur per priorem effectum, non per posteriorem. Tertull. in Apologetico: *Magnum divini judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & communis commercii relegetur.* Firmilianus in Epist. ad Cyprianum ait, Stephanum Legatos Afrorum *ne quidem ad colloquium suum admisisse, & adhuc præcepisse, ne quis eos in domum suam reciperet: ut*, inquit, *venientibus non solum pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur.* Vides in mente Firmiliani proprium effectum excommunicationis non esse denegationem tecti,

cti, & hoſpitii ; quandoquidem utrumque diſtinguit . Hinc in Canonibus antiquis diſtrictius prohibetur , ne quis oret cum excommunicato, aut in Eccleſiam eum recipiat, quam ne quis cum iis manducet , & colloquatur; prius enim vetitum eſt c. 33. Apoſtolico, Concilii Laodiceni, c. 33. Antiochenæ Synodi I. c. 2. Carthaginenſis Conc. IV. c. 73. In his, inquam, & aliis ſupra citatis ſub pœna excommunicationis prohibetur , ne quis oret cum excommunicatis ; at vix, ac ne vix quidem eamdem pœnam antiquis Canonibus ſtatutam leges in eos, qui cum excommunicatis cibus ſumerent ; ſed recentioribus tantum Canonibus, ut Concilii Epaonenſis c. 15. Antiſiodorenſis 39. Hinc, ut jam dixi, Theologi docent non eſſe de jure divino vitare excommunicatos quoad officia civilia , ſed tantum rem eſſe juris humani . Almainus in lib. de poteſt. Eccleſ. & Laica , q. 1. *Tertium*, inquit, *corollarium, quod ſequitur*, ait , *eſt quod vitare excommunicatum tum quantum ad collocutionem, & illa, quæ ſunt mere civilia, non videtur eſſe de jure divino*. Item. q. 2. c. 12. *Habetur ex multis teſtibus , & ex practica , quod familiares excommunicati poſſunt participare cum eo ad minus in civilibus* . Joannes Driedo de libert. Chriſt. c. 14. *Videtur ſequi , nos ex conſtitutione juris divini non prohiberi cum hæreticis edere, & bibere , quod manifeſtum videtur multis Sanctorum exemplis , qui communicarunt Juliano Imperatori Apoſtatæ in cibo , & potu* , ac etiam in militaribus actibus , ut patet ex doctrina Aug. XI. quæſt. 3. c. *Julianus &c. Imperatores*. Cajetanus in locum Evangelii, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus: *Libenter*, inquit, *viderem ſervari hanc definitam a Jeſu Chriſto ſententiam , & pœnam non audientium Eccleſiam, quod ſcilicet ſufficeret , eos haberi , ut Ethnicos , hoc eſt , ut ipſi quidem ex vi excommunicationis haberentur ut Ethnici , & Publicani , & non includerentur innocentes , loquentes, & comedentes cum eis, quia nullum peccatum incurrunt loquentes, & comedentes cum Ethnicis*. Sylveſter in Summa, verbo Obedientia: *Si*, inquit, *ex obedientia præſumitur ſtatus Eccleſiæ perturbandus vehementer , vel aliquod malum, aut ſcandalum futurum , etiamſi præcipitur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, non eſt ei obediendum , quod enim inſtitutum eſt pro charitate , non debet militare contra charitatem*. Gregorius quidam Sayrus Monachus Caſſinenſis lib. de cenſuris num. 21. innumeros Juris Pontificii , & Theologiæ doctores recenſet , quorum auctoritate , & conſenſu probat conſueſcere cum excommunicatis in civilibus ad ſummum non eſſe niſi veniale peccatum: *Cum duplex*, inquit, *ſit Chriſtianorum , & fidelium participatio, una quæ Chriſtianorum propria eſt quatenus Chriſtiani ſunt , ut eſt participatio in divinis , alia , quæ communis eſt hominibus , quatenus homines , & concives ſunt, ut eſt communicatio in temporalibus , & actibus humanis , illam Eccleſia directe prohibet , hanc vero indirecte , & ex conſequenti ; qui in illis communicat non contra præceptum Eccleſiæ , ſed præter præceptum facit , & ideo venialiter tantum peccat*.

IV. Denique licet vulgo dicantur excommunicati privari bonis , hoc verſu ſignificatis ,

Os , orare , vale , communio , menſa negatur.

altero tamen verſiculo veluti redditur iis, quod iſto aufertur , hoc autem eſt hujuſmodi :

Utile , lex , humile , res ignorata , neceſſe.

quo ſignificatur legem ſuperiorem non habere locum , primo inter virum , & uxorem , necnon inter parentes , liberos , & conſanguineos, quod ſecundo , & tertio vocabulo exprimitur . Secundo , nihil mali eſſe ſi quis familiariter verſetur cum excommunicato , quem neſcit eſſe excommunicatum , aut etiamſi ſciat, quando ſperat ſuam familiaritatem illi utilem fore ad reſipiſcentiam , quod primo , & quarto ſignificatur , Demum licere cum excommunicatis loqui , verſari , imo & veſci , ſi neceſſitas , utilitas , aut negotia ita poſtulent . Hæc autem omnia intellige de excommunicatis denuntiatis : in confeſſo enim eſt , nullum teneri ab iis recedere , qui excommunicationem tantum latæ ſententiæ incurrunt , non autem denuntiati ſunt .

V. Ce-

Digitized by Google

V. Cæterum longe brevius, & melius assignari possunt occasiones, quibus non solum licet, sed & oportet cum excommunicatis, in civilibus communicare, hoc pacto: Primo, quando officium aliquod est debitum: Secundo, cum necessitas, aut utilitas exigit, ad has enim rationes ceteræ omnes facile reduci possunt.

VI. Primo, quia possumus in civilibus conversari cum Ethnicis, & Publicanis absque ullo peccato, Christus autem non dixit excommunicatum esse durius tractandum, quam Ethnicum, aut Publicanum, sed eodem plane loco habendum. Secundo, quia gratia non destruit, sed perficit naturam, ac proinde non tollit, quæ juris sunt naturalis, & mutui inter homines, officii, sive necessarii, sive liberi. Tertio non potest societas aliquem non modo e suo conventu, sed & ex alieno pellere: Ecclesia ergo non potest expellere hominem e societate civili, sed tantum ex Ecclesiastica; ac proinde non potest eum privare officiis debitis ei, ut est membrum societatis civilis, sed tantum ut est membrum Societatis Ecclesiasticæ. Hinc multo minus potest eum pœnis temporalibus, aut morte afficere, vel afficiendum pronuntiare, sed istud posterius fuse prosequi alterius instituti est.

VII. Nunc vero ad propositum hoc unum observo, potestatem Ecclesiæ (*) totam esse spiritualem, nec eam ullum habere dominium in res, actiones, & personas civiles, nec posse pœnas ullas temporales infligere, aut per vim cogere, sed tantum suadere, hortari, & docere: ut enim egregie ait Hier. Epist. 3. ad Nepot. hoc inter Reges, & Episcopos discrimen est, quod illi *nolentibus*, hi *volentibus* imperent. Eoque excellentius est Episcoporum Imperium, ut notat Chrysostomus homil. 10. in Epist. 1. ad Thess. *Quod melius est imperare voluntario, quam involuntario, istud enim est imperare natura; nam illic quidem omnia metu, & necessitate fiunt, hoc autem opus bonum per voluntatem, & electionem fit.* Si autem contemnatur Episcopus, inquit idem in Epist. ad Hebr. homil. ult. & in Epist. ad Tit. *Non oportet ultiones ingerere, sed tota ultio est plorare, ingemiscere.* Hinc, ut observat Richerius, octo primis Ecclesiæ sæculis cum de auctoritate Ecclesiastica mentio fiebat, non adhibebantur hæc nomina, *Jurisdictionis, Majestatis, aut Tribunalis, sed duntaxat Ministerii, Cathedræ.* Et quod longe gravius est, quinque primis Ecclesiæ sæculis nullam leges pœnam temporalem, ab Ecclesia, aut Conciliis indictam in peccatores, aut hæreticos, sed tantum excommunicationem, & depositionem. Pœnitentibus equidem imponebantur nonnunquam pœnæ aliquæ, sed hi illas sponte suscipiebant, & si nollent iis defungi, non ad eas suscipiendas per vim ab Ecclesia cogebantur, sed tantum excommunicatione mortali plectebantur: patet ex Canonibus Conc. Tur. 1. 18. Venetici c. 3. Aurelianensis 1. c. 11. Epaonensis cap. 23. Tolet. III. Can. 11. Barcinonensis II. cap. 4. Tolet. VI. c. 7. in quibus excommunicationis tantum pœna decernitur in eos, qui pœnitentiam publicam semel inceptam deserebant; antiquioribus vero temporibus pacis spes hujusmodi hominibus præcludebatur: & post quintum demum sæculum Episcopi principum, auctoritate muniti cœperunt pœnas etiam temporales decernere.

VIII. At, inquies, si quis excommunicatus ad Synaxes accedere voluisset, aut depositus Episcopus Ecclesiam retinere, quodnam esse poterat ad hujusmodi homines in ordinem redigendos remedium, si nulla erat in Ecclesia auctoritas, & potestas temporalis?

IX. Respondeo, Ecclesiæ societatem habere, quod naturali, & civili jure habent omnes societates, ut possint a suis conventibus arcere eos, quos indignos esse judicant.

Sic

(*) Haud quidem Ecclesiæ est, ut cogeret, sed Ecclesiæ ut obligaret: coactio corporum est, quod ad Principes pertinet: obligatio vero conscientiæ est, quæ ad Ecclesiam spectat. Hinc Principum armis corpora constringuntur, ut impotentes sint subditi ad resistendum; Ecclesiæ vero armis conscientiæ obligantur, ut peccent filii, nisi obediant.

Digitized by Google

Sic unusquisque jure naturali, & civili potest quosdam a suis arcere conventibus, vel id istis denuntiando, vel etiam præcludendo fores. Sed si vim apertam isti moliantur, tunc recurrendum est ad Magistratus, & judices sæculares, a quibus est petenda assertio libertatis, & jurium istius societatis, quæ si non obtineatur, tum vel societas conventus suos amplius agere non debet, vel pro bono pacis hunc tolerare, qui per vim in eam irruens auctoritate sæculari adjuvatur. Hoc posito dicendum est, societatem fidelium, & Christianorum jus habuisse, quod habent cæteræ omnes excludendi a suo consortio, & Synaxi eos, quos indignos esse judicarent, idque ex jure naturali, & civili: quod si vim illi inferrent, tunc necesse erat Ecclesiæ civilis auctoritatis auxilium implorare, & a judicibus sæcularibus petere assertionem jurium suorum, quam si non obtineret, haud dubium est, quin potuerit a conventibus abstinere vel eos clanculum agere, nisi melius esse existimaret ejectos propter bonum pacis tolerare. Idem dicendum de Episcopo aut Præsbytero deposito. Ceterum imploratio auxilii, seu, ut loquuntur, brachii sæcularis ad executionem Canonum est antiquissima. Sic enim adversus Paulum Samosatenum, qui domo Episcopali, & Ecclesia cedere nolebat Imperatoris Ethnici Aureliani auxilium est imploratum, et deinde sæpe sæpius Christianorum Principum auctoritas adhibita est ad executionem Canonum procurandam, idque ut fieret Canonibus sancitum est, ut Concilii Antiocheni Can. 5. his verbis: *Si autem Presbyter, vel Diaconus perseverat perturbare, & Ecclesiam Dei evertere, per externam potentiam ut seditionis auctor castigetur*. Idem in posterioribus Conciliis legere est, ut Vermeiensi cap. 9. Tur. III. cap. 41. & aliis; quin etiam in Milevitano cap. 17. decernitur, legem Imperialem petendam, ut peccatores ad pœnitentiam redigantur.

X. Quæres, utrum excommunicatio alicujus Episcopi, Presbyteri, aut inferioris Clerici semper inferat depositionem, ac vicissim, utrum alicujus depositio semper inferat excommunicationem?

XI. Respondeo, excommunicationem ex dictis duplicem posse distingui, eam scilicet, quæ fit a superiori, puta ab Episcopo proprio, vel a Synodo, & eam, quæ fit ab iis, qui nullum jus in se invicem habent, quæ denegatio est mutuæ communionis. Prior excommunicatio fere semper importat depositionem; nam qui Ecclesiæ communione indignus est, dignus esse multo minus potest Ecclesiæ communione, ac proinde, cum declaratur quis indignus Ecclesiæ communione ab eo, qui potestatem habet ejus deponendi, tunc deponi debet. Cum vero ab eo, qui potestatem non habet ejus deponendi judicatur indignus Ecclesiæ communione, deponi non potest, sed tantum depositione dignus judicari, quæ debet fieri a legitimo, & ordinario ejus judice, si omnes Ecclesiæ privatum aliquem sua communione indignum esse decernant.

XII. At vero non semper necesse est, ut, qui depositione dignus judicatur, indignus etiam judicetur Ecclesiæ communione. Imo Clericus peccans satis punitus videtur per depositionem, nec iniquum est, ut ei communio laica non denegetur, quod olim factum fuisse nemo nescit. Potest etiam Clericus a Ministeriis Ecclesiasticis per aliquod tempus arceri, atque id dicitur Suspensio; potest item aliqua debilitate corporis vel animæ reddi minus aptus ad ministeria sua, & hoc dicitur Irregularitas, sed quæ ista spectant ex antiquitate repeti vix possunt, & ab novis Canonistis ad satuam tractata sunt: nunc ad alia pergamus.

XIII. Diximus huc usque de effectibus externis excommicationis, nunc examinandum est, utrum possit habere aliquem effectum internum in eos, qui non sunt per peccatum ligati; nullum etenim dubium est, quin excommunicatio peccatores etiam coram Deo magis noxios efficiat, cum ad instar Pharaonis ista plaga percussi in peccatis suis indurantur: at quæri potest, utrum per excommunicationem aliquis innocens, & per peccatum non ligatus interius ligetur coram Deo sicut coram hominibus exterius ligatur. Jam vero si quis rem bona fide perpendat, nullo negotio intelligit, concipi non posse, quomodo Ecclesia

Digitized by Google

cleſia interius liget hominem, qui per peccatum non eſt ligatus. Deinde ſi quis ad ea, quæ diximus, attendat, cognoſcet Eccleſiam olim excommunicando fideles hoc præcipue intendiſſe, ut eos ab Eccleſiæ hujus viſibilis conſortio ejiceret: *Quod*, ut inquit Tertullianus, *ſummum futuri judicii præjudicium eſt*, non certiſſimum damnationis argumentum, quia ſcilcet humanum omne judicium in factis errori obnoxium eſt.

XIV. Demum ſancti Patres aperte declarant, neminem coram Deo per Eccleſiam ligari poſſe, qui non ſit ligatus per peccatum, eoſque, qui ab Eccleſiæ hujus viſibilis ſine ulla eorum culpa ſecernuntur, non propterea ligatos eſſe coram Deo, aut damnationi obnoxios. Origenes in caput 16. Matth. l. edit. Huet. p. 276. *Igitur*, inquit, *adverſus eum, qui injuſte judicat, & non juxta verbum Dei ligat ſuper terram, portæ inferi prævalebunt, adverſus quem autem portæ inferi non prævalent, is juſte judicat, idcirco claves habet Regni Cœlorum aperiens iis, qui ſoluti ſunt ſuper terram, ut & in cœlis ligati ac condemnati ſint; quoniam autem, qui Epiſcopatus locum vindicant, dictum hoc uſurpant ſicut Petrus, & acceptis a Servatore clavibus Regni Cœlorum docent ea, quæ a ſe ligata ſunt, hoc eſt condemnata, ligata eſſe in cœlis, pronuntiandum eſt recte illos dicere, ſi factum etiam habuerint, propter quod Petro huic dictum eſt: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & ſi tales ſunt ut ſuper illos ædificetur Eccleſia a Chriſto, & ad illos jure referri poſſit: Portæ autem inferi prævalere non debent adverſus eum, qui ligare vult, & ſolvere, quod ſi funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, fruſtra ligat, ac ſolvit . . . . eum autem, qui funes peccatorum non habet, nec peccato funiculo longo, & vinculo jugi non alligatur, ne Deus quidem liget, ita nec quiſquis Petrus fuerit. Si quis autem, qui Petrus non fuerit, nec ea habuerit, quæ hic dicta ſunt, ſicut Petrus ligaturum ſe credit ſuper terram, ita ut, quæ ligata fuerint, ſint ligata in cœlis, & ſoluturum ſe ſuper terram, ita ut, quæ ſoluta fuerint, ſint ſoluta in cœlis, ſuperbus ille eſt neſciens ſcripturarum ſenſum.* Hactenus Origenes, qui duo diſerte docet, quorum unum eſt, Epiſcopos, qui ipſi ligati ligare præſumunt, eſſe ſuperbos, & impudentes. Alterum, neminem ligari poſſe interius, ſive ab Eccleſia, ſive a Deo, qui peccato ſuo ligatus minime ſit.

XV. Sanctus Hieronymus eadem ferme habet in eumdem locum Matthæi: *Illum*, inquit, *locum Epiſcopi, & Presbyteri, non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia ſacerdotis, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leproſis ubi jubentur, ut oſtendant ſe ſacerdotibus. Et ſi lepram habuerint, tunc a ſacerdote immundi fiant, non quod Sacerdotes leproſos faciant & immundos: ſed quod habeant notitiam leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum, vel immundum facit, ita hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter. Non eos, qui ſunt inſontes, vel noxii, ſed pro officio, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

XVI. Auguſtinus c. 6. libri de vera religione notat ſæpe homines ab Eccleſia injuſte ſine ſpe reditus expulſos, a Deo, qui novit interiora cordis, coronari: *Sæpe etiam*, inquit, *ſinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam ſuam cum patientiſſime pro Eccleſiæ pace tulerint neque ullas novitates, vel ſchiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quanta ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus, aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis, aut ſævior oriatur; tenent voluntatem conſulendi etiam eis ipſis, quorum motibus, perturbationibuſque ceſſerunt; ſine ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem, & teſtimonio juvantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos coro-*

coronat in occulto pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt, quam credi potest. Et lib. 1. de bapt. cap. 17. *Spirituales autem sive ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foras, quia vel cum aliqua perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam si intus permaneant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur.* Itaque ex mente S. Augustini homines ita ab Ecclesia excommunicati, & ejecti, ut nullam spem habere possint, non propterea coram Deo sunt ligati, aut damnationi obnoxii. Imo si hanc separationem humiliter, & patienter ferant, a Deo propterea coronabuntur. Ergo ex ejusdem mente excommunicatio etiamsi suprema sit, non potest innocuum intus ligare.

XVII. Gregorius magnus homil. 26. in Evangelia Hieronymi, et Augustini vestigia relegit: *Causæ ergo*, inquit, *pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque solvendi potestas exercenda .... tunc enim vera est absolutio præsidentis, quando æterni sequitur arbitrium judicis.* S. Nicol. in Epist. cujus fragmentum extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum t. 3. col. 149. dicit, excommunicationes injustas non ligare excommunicatos coram Deo, sed in eos, qui ipsa tulerunt, recidere.

XVIII. Denique communis hæc est sententia Theologorum, & Canonistarum, ut Hugonis a sancto Victore, Alensis p. 4. q. 22. a. 1. in resol. Innocent. III. de excommu. c. 28. Gratiani §. 24. q. 3. C. si quis. Gersonis, Bielis lect. 20. in Can. Missæ, & aliorum fere omnium. Nemo enim affirmat, excommunicationem clave, ut loquuntur, errante latam, aliquid in animam excommunicati operari, eumque damnationi obnoxium reddere.

XIX. Adversus hæc duo tantum objici cum aliqua verisimilitudine possunt. Primum est, communem hanc esse ac solemnem sanctorum Patrum doctrinam, extra Ecclesiam nullam esse salutem, ac proinde eos, qui sunt ab universa Ecclesia excommunicati, non posse salutem consequi, & interius esse ligatos. Alterum est, Sacerdotis sententiam licet injustam esse timendam, ut testes sunt S. Leo Epist. 93. & Gregorius homil. 26. in Evangelia, non esset autem timenda, nisi ligaret conscientiam.

XX. Respondeo ad primum, Patres illud axioma non intellexisse de iis, qui inviti extra illam existunt, habentes, ut inquit Augustinus, animum redeundi, cum id facere licebit, sed de illis, qui ultro extra illam manent. Ad secundum dico, timendam esse Pastoris sententiam etiam injustam, non quod liget interius conscientiam, sed quia per eam privatur homo sacramentis, precibus, et aliis officiis, quibus Christianum defungi par est; atque hinc, ut inquit S. Leo loco citato, *anima ejus veluti fauciata, & inermis quodammodo, exutaque omni munime diabolicis incursibus, ut facile capiatur, objecta est.* Deinde timenda est coram hominibus non coram Deo; timenda est, quia per eam ab Ecclesiæ visibilis communione removemur, non autem eo quod a sanctitate propterea excedamus.

XXII. Atque hæc de excommunicatione quod ad præsens institutum dicta sufficiant.

DE

DE ANTIQUA ECCLESIÆ DISCIPLINA

DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO QUARTA.

De Primatu Romani Pontificis.

PRÆLOQUIUM.

VETUS est, & celebris de Primatu Romani Pontificis quæstio, de qua innumeri fere scripserunt; sed quosdam adulatio, alios odium ad scribendum impulit, ita ut vix ullum invenias, qui solus veritatis defendendæ studio, & ab omni affectu vacuus ad hanc quæstionem tractandam accesserit. Percurre omnium ferme, qui huc usque ea de re scripserunt, lucubrationes, aut fœda assentatione, aut acerbis convitiis scatent: inde consilium mihi sine ira, & studio de Primatu Romani Pontificis disserere, & quæstionem hanc non in disputantis, sed potius in quærentis modum tractare. Porro duplex hic quæstio sub una comprehenditur, quarum prima est de Primatu sancti Petri inter Apostolos; secunda de Primatu Ecclesiæ Romanæ inter Ecclesias ceteras, & consequenter de prærogativis Episcopi hujus urbis inter ceteros.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Primatu B. Petri inter Apoſtolos.

§. I.

Utrum, & quomodo Primatus ſancti Petri poſſit ex Scripturis demonſtrari.

AD demonſtrandum Petri inter Apoſtolos Primatum Bellarminus, & alii ſolemnia quædam adducunt Scripturæ teſtimonia, ac imprimis urgent illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item illud: *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Joan. ult. Singula nos expendemus, ac deinde quæremus, num alio pacto poſſit ex Scriptura Petri Primatus aſſeri.

II. Primus locus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ab Interpretibus, & ſanctis Patribus varie exponitur; ſunt enim non pauci, qui per Petrum hic intelligunt fidem, & confeſſionem Petri: ita Hilarius lib. 6. de Trinit. *Super hanc igitur confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt.* Greg. Nyſſ. in opere de adventu Domini: *Petra vero fidei tamquam fundamentum, ut ipſe Dominus ait ad Principem Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper confeſſione videlicet Chriſti, quia dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei viventis.* Ambroſ. lib. 6. in Luc. & in cap. 11. Ep. ad Epheſ. *ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, hoc eſt, in Catholicæ fidei confeſſione ſtatuam fideles ad vitam.* Idem de Incarnat. c. 5. *non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt; quia portæ mortis ei non prævalebunt, ſed confeſſio vincit infernum.* Chryſoſt. hom. 55. ſuper Matt. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, id eſt, *fidem*, ſupple ſuper, *& confeſſionem.* Idem habet ibid. homil. 83. & cap. 9. Epiſt. ad Galatas, & in ſerm. de pœnit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram: non dixit ſuper Petrum, non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem fundata eſt Eccleſia.* Hunc ſenſum fuſe explicat Auguſtinus tractatu 123. in Joannem: *non enim*, inquit, *a Petro petra, ſed Petrus a petra: ideo quippe, ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Filius Dei vivi. Super hanc ergo*, inquit, *petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, &c.* & ſermone 13. de verbis Domini: *Tu es ergo*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognoviſti, dicens, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam*, id eſt, *ſuper meipſum Filium Dei vivi, ſuper me ædificabo te, non ſuper te me.* Acacius Melitenes in Homil. in Conc. Epheſ. c. 7. p. 3. eundem ſequitur: *Hæc fides*, inquit, *noſtra ſuper hoc fundamentum Eccleſiæ ædificata eſt.* Adſtipulatur Cyrillus Alex. lib. 4. de Trinit. *Petram*, inquit, *opinor, nihil aliud, quam inconcuſſam, & firmiſſimam fidem vocans.* Idem habet tom. 14. in Eſ. orat. 11. Item Juvenalis Hieroſol. in litteris Synodicis: *Super hanc petram, & ſuper hanc confeſſionem roborata eſt Eccleſia Dei.* Theodoret. Ep. 146. & 77. *confeſſionem Petri fundamentum, & baſim aſſerit.* Ita etiam exponunt hunc locum anonymus ſcriptor in Catena Nicetæ: *Petram*, inquit, *confeſſionem vocavit.* Gregor. Mag. Ep. lib. 3. Ep. 33. Felix 3. Ep. 5. ad Zenonem. Iſidorus Hiſp. lib. 7. orig. Beda homil. de ſancto Petro, & homil. 3. in Dominic. Palmarius Druthmarum in exp. Matt. c. 35. Hincm. opuſcul. 33. c. 5. & 45. Rupert. lib. 3. in Matt. Toſtatus in hunc locum, & alii.

III. Ab iſta expoſitione non multum abludunt ii, qui Petrum interpretantur Chriſtum, quem Petrus erat confeſſus. Ita Hier. in cap. 7. Matt. ac præcipue Aug. qui in lib. retractat. cap. 21. hanc expoſitionem cum altera componit, & neutram alteri præfert in lib. contra Ep. Donati. *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia, quo ſenſu etiam cantatur in ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipſa petra*

Digitized by Google

tra Ecclesiæ canente culpam diluit; sed scio, me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est. Tu es Petrus, &c. ut super hanc intelligatur, quam confessus est Petrus dicens. Tu es Petrus Filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret . . . harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Vide eundem tract. 124. in Joannem, & serm. 13. de verbis Domini. Huic adjungendus Theodoret. in cap. 3. Ep. 1. ad Corint. Beda in c. 16. Matt. Magister in cap. 2. Ep. ad Ephes. & alios, quos videre poteris apud Launoium Ep. part. 5. Ep. ad Voellum.

IV. Tertia expositio est, nomine petræ ipsum Petrum intelligi. Tertull. in lib. de præscript. hæreticorum: *Lauit*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum*. Et in lib. de Monogam. c. 7. Origenes homil. 5. in Exodum: unde magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, dicatur a Domino *modicæ fidei, & quare dubitasti?* Et apud Euseb. lib. 6. hist. c. 19. *Petrus, super quem Christi Ecclesia*. Cypr. Ep. ad Jub. *Petro, super quem Dominus ædificavit Ecclesiam. Ecclesia, quæ una est super Petrum*. Item lib. de unit. Eccles. & Firmil. Ep. ad ipsum Hil. Can. 16. in Matt. *in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum*, & in Psal. 131. *Cui Petro superius claves Regni Cœlorum dederat, super quem ædificaturus erat Ecclesiam*. Hier. Ep. 57. ad Damasum: *Beatitudini tuæ*, id est, *Cathedræ Petri in communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Et in Ep. ad Marcellam: *si igitur Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam*. August. in lib. de retract. supra, eandem expositionem tradit. Item Cyrillus lib. 2. in Joann. Leo Ep. 75. Maximus Taurinensis in hom. de Petro, & Paulo, Theophylactus, & alii.

V. Denique non hoc tantum de Petro, sed & de aliis Apostolis dictum esse affirmant plerique. Origenes tract. 1. super cap. 16. Matt. *Tu es Petrus. Petra enim est*, inquit, *quilibet Christi Discipulus, & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina . . . Quod si super illum unum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Joanne filio Tonitrui, & Apostolorum unoquoque?* Cyp. Ep. 27. de omnibus Episcopis id dictum esse ait. Hier. lib. 3. contra Jovin. at dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat . . . *tamen propterea inter omnes unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Et in Psal. 86. cunctos Apostolos Ecclesiæ fundamenta esse dicit. Basil. in cap. 1. Es. ait, *Ecclesiam ædificatam in Apostolis, quorum unus erat Petrus*. Aug. in Psal. 86. Apostolos omnes fundamenta Ecclesiæ appellat: & Epist. 165. ait, hunc Petrum dictum fuisse, eo quod gereret totius Ecclesiæ personam. Theodoret. in Psal. 86. Fundamenta vocat Apostolos. Deinde Paschasius Ratbertus lib. 4. in Matt. *non super unum Petrum, verum super omnes Apostolos, Apostolorumque successores Ecclesia Dei ædificatur: unde David. Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

VI. His de loci huius expositione præmissis, inquirendum, quo pacto, & qualis inde Petri Primatus possit colligi. Ex prima, & secunda expositione nulla fere Petri supra ceteros Apostolos prærogativa colligitur; nam ex iis minime sequitur Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, imo id vel Christo, vel confessioni, & fidei, quam emiserat Petrus adaptatur. In tertia expositione Petrum fateri oportet esse fundamentum Ecclesiæ; sed inde non videtur sequi, eum Apostolis omnibus superiorem fuisse, cum ex quarta expositione constet, idem de Apostolis omnibus dictum. Et certe ratio fundamenti hic consistit in promulgatione Evangelii, & Ecclesiarum administratione; sed hæc non secus Apostolis ceteris, ac Petro data sunt, & illi non secus ac Petrus hoc sensu dicuntur fundamentum Ecclesiæ. Ephes. 2. *ædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*. Et Apocalyps. c. 21. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum agni*. Nec aliud probant allata a Bellarmino testimonia. Chrysostomus homil. 55. in Matt. Pe-

Digitized by Google

trum futurum esse dicit, eo sensu fundamentum, quod Ecclesiæ Pastor futurus sit, & Evangelii Prædicator : cum vero idem ait Petrum præpositum esse universo terrarum orbi, sensus non est, quod omnibus omnino Ecclesiis sit præpositus, sed quod non uni populo, ut Jeremias, sed omni Genti Evangelium esset annuntiaturus : *Jeremiam quidem uni Genti Pater, Petrum autem universo terrarum orbi Christus præposuit*. Similiter auctor sermonis 47. apud Ambros. non alia ratione Petrum ait esse saxum immobile, quod totius operis Christianismi compagem, molemque contineat, *nisi quia primus nationibus fidei fundamenta proposuerit*. Gregorius denique, qui tertius est a Bellarmino testis allatus, ait Ep. 32. lib. 4. Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam, sed idem de se Paulus ait, *sibi sollicitudinem omnium Ecclesiarum incumbere*. Itaque posito, quod hæc verba, *& super hanc petram*, a Christo de persona Petri dicta sint, ut ego probabilius esse arbitror, nihil aliud his sibi vult Christus, quam Petrum ad ædificationem Ecclesiæ, hoc est, fidelium conversionem, & Ecclesiarum administrationem plurimum laboraturum. Ad summum igitur inde deduci potest, eum primum ac præcipuum fore inter eos, qui Evangelium erant annuntiaturi : at inde colligi minime potest cum Bellarmino, *Petro totius Ecclesiæ regimen esse commissum, præsertim circa fidem*.

VII. Atque id abunde confirmatur ex sequentibus Christi verbis, quibus exponit id, quod dixerat, *ædificabo Ecclesiam meam. Tibi*, inquit, *dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*. Hanc enim potestatem clavium, quam Christus hic Petro promittit, iisdem deinde verbis omnibus, omnino Apostolis promittit, Matt. 18. & deinceps cunctis largitur, Matt. 28. & Joan. 20. Illi igitur oppido falluntur, qui soli Petro datas claves esse autumant. At non ita antiqui, qui unanimi consensu tradunt, claves istas in persona Petri toti Ecclesiæ datas. Tertull. in Scorpiaco. *Memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*. Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ ait, Christum unum Petrum allocutum esse, ut commendaret unitatem : *Hoc erant utique*, inquit, *ceteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur*. Exordium dicit promissum : *Dabo tibi claves, &c.* quod deinde cunctis simul dedit : *Loquitur* inquit idem ibid. *Dominus ad Petrum. Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, &c. Super illum unum ædificat Ecclesiam, quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat : sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos : si hujus remiseritis peccata, &c. Tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate dispposuit*. Hæc verba commentario non indigent; uni Petro promissas esse claves ait, ut unitas commendaretur, cunctis autem revera datas esse. Eodem sensu Hieronymus cap. 14. lib. 1. adversus Jovin. *At dicis*, inquit, *super petram fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo super illos fortitudo Ecclesiæ solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Quibus simile est illud Optati lib. 7. *Et claves Regni Cœlorum communicandas ceteris* (id est, quas Christus commmendaturus erat ceteris) *solus accepit. An vero soli Petro dantur claves Regni Cœlorum, nec alius quisquam eas accepturus? quod si dictum tibi claves Regni Cœlorum commune est, cur non simul omnia, & quæ dicta sunt, & quæ sequuntur velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?* Gaudentius Brixiensis tract. in die ordinationis suæ, *omnes Apostoli Christo surgente in Petro accipiunt, quin imo cum Petro cœlestis Regni claves ab ipso Domino accipiunt*. Ambros. in Ps. 38. *Quod Petro dicitur, ceteris Apostolis dicitur : tibi dabo claves*. Idem centies inculcat Augustinus. In lib. de Agone Christiano c. 30. *Ecclesiæ claves Regni Cœlorum datæ sunt*; Concione 2. in Ps. 30. *cujus Ecclesiæ personam gerebat Petrus*; Enarrat. in Ps. 108. *Agnoscitur Petrus in figura gestasse personam Ecclesiæ*

ob

ob primatum, quem in Discipulis habuit; tract. 50. in Joannem: *Petrus quando claves accepit Ecclesiam sanctam significavit* & tract. 108. *Unus pro omnibus dixit: tu es Filius Dei vivi, & propter hoc claves cum omnibus tanquam personam gerens Ecclesiæ accepit: ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus;* & in serm. de quatuor quæstionibus. *Petrus*, inquit, *multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiæ maxime in loco, ubi dictum est: tibi dabo claves, &c. Nunquid istas claves Petrus accepit, Joannes, & Jacobus non accepit, & ceteri Apostoli?* Tractatu 124. *cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus Primatum gerebat figurata generalitate personam*. Idem passim habet in suis sermonibus. Sed ista retulisse satis est. Sanctus Leo serm. 3. de anniversar. *Transivit in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes hujus Decreti constitutio commeavit:* istis addit serm. 2. de natali Apost. *Non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur, Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponitur*. Fulgent. Augustini discipulus in lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Deus*, inquit, *in persona beati Petri Ecclesiæ ligandi, ac solvendi tribuit potestatem*. Theophilactus in hunc locum: *licet ad Petrum tantum dictum sit illud: Tibi dabo claves, &c. Tamen omnibus Apostolis olim datum est, quando dixit, quorum remiseritis, &c.* Eucherius in Homil. de natali Petri. *Hoc enim, quod Petro principaliter dicitur, ceteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet*. Beda ad hæc, *quodcumque ligaveris: hæc potestas sine dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem generaliter dicitur accipite Spiritum sanctum:* Ita etiam Rabanus: Lyranus in hunc locum: Hincm. in Epist. 33. ad Hincmarum Laudunensem cap. 20. & alibi: Odo Cluniacensis lib. 4. collat. cap. 19. Petrus Blesensis serm. 44. & alii innumeri, quos referre longius foret. Nunc ex his Patrum dictis sequentia colligimus (*).

VIII. Primum est, Petro promissas esse eas ipsas claves, quæ postea ceteris concessæ sunt, ac proinde per claves hic non intelligi, ut vult Bellarminus, summam potestatem in omnem Ecclesiam.

IX. Secundum, claves istas, hic non datas esse Petro, sed promissas.

X. Tertium, in persona Petri promissas esse Ecclesiæ, & cunctis Apostolis, quibus postea datæ sunt.

XI. Quartum, id singulariter dictum esse Petro tum ut unitas commendaretur, tum quia Primatum inter Apostolos obtinebat, hoc est, primus erat Apostolorum.

XII. Itaque ex hoc loco Petrum inter Apostolos primum fuisse colligi potest, at eum tunc aliquid accepisse, quod ceteris Apostolis datum non sit, inde inferri minime potest.

XIII. Unus supereſt, ex locis a Bellarmino

(*) Non honoris tantummodo, verum potestatis in universa Ecclesia Primatum Petro, ejusque in Apostolica Sede Successoribus tribuit Auctor. Ipse namque pag. 212. diserte scribit, Christum Petro *curam ovium peculiariter commendasse*, tum pag. 335. *R. Pontifici jure divino plures prærogativas competere docet, quæ potestatis indicia sunt, non honoris tantummodo: scilicet curare, ut per universum orbem Canones observentur, ob id potestatem habere pœnis Ecclesiasticis per ipsos Canones statuis, & refragantes ad id compellere . . . Si qui ubique terrarum fidem, aut disciplinam Ecclesiasticam Canonibus sancitam violassent, statim adversus eos primi insurgebant, & malum in ipso exordio auctoritate Sedis Apostolicæ si fieri posset comprimebant . . . Vi primatus sui cunctos Episcopos ad Synodum generalem vocant, & in eos, si legitime vocati adesse renuerint velut in Ecclesiæ desertores excommunicationis ferunt sententiam*. Sunt & alia, quæ ibid. Auctor in R. Pontifice agnoscit potestatis argumenta. Verum in eo a plerisque etiam Gallicanæ Ecclesiæ Theologis dissentire videtur Auctor, quod argumenta ex Evangelio pro S. Petri Primatu educta illi efficaciſſima demonstrent, ipse vero haud magni facere videatur. Verum enimvero cum expositiones Patrum variæ secum ipsæ non pugnent, sed potius congruant, quidni dicemus Petræ nomine & fidem, & confessionem, & personam Petri, & ipsum Christum rectissime intelligi, cum super Petrum, & in Petro credente, confitente, prædicante Christum Ecclesia ædificata dicatur? nimirum non alius quam Petrus ipse omnium nomine, nec alium quam Christum ipsum, qui Petra est angularis, & credit, & confitetur, & prædicat. Ita & in Christo per fidem, per confessionem, per prædicationem Petri commendato, & in Petro ipso per fidem, per confessionem, per prædicationem complexo Ecclesiæ ædificium nititur. Videsis Natalem Alex. *Differt. III. in Hist. Eccles. I. Sæculi.*

Digitized by Google

mino prolatis, ex Joannis cap. 21. ubi Christus Petrum alloquens hæc ait: *Pasce oves meas*, quibus verbis, aiunt, Petrum institutum esse Pastorem, & Doctorem totius Ecclesiæ, quasi vero non idem omnes privilegium olim habuerint Apostoli, & nunc etiamnum habeant Episcopi omnes, qui dicuntur Ecclesiæ, ac proinde ovium Christi Pastores. Sed ambiguitas latet in verbo *totius*: nam si collective illud sumatur, & definite, ut omnes omnino comprehendat, quasi Petrus Pastor fuerit universæ omnino Ecclesiæ, sequetur, non alios fuisse proprios Pastores, quam Petrum, quod falsum: si vero sumatur indefinite, ut sumi solent propositiones hujusmodi particulares, ut sensus sit, si me amas, pasce aliquas oves meas, idem fuit munus ceterorum omnium Apostolorum, & id ipse Petrus diserte tradit Epist. 1. cap. 5. ubi seniores alloquens ipse Consenior: *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Dei*. Eodem sensu Apostoli omnes, imo Episcopi, & Presbyteri semper dicti sunt Pastores ovium Christi, quod notius est, quam ut probari debeat. Sed illorum sunt commemoranda testimonia, qui dicunt, non soli Petro, sed & ceteris commissas esse oves per hæc verba, *pasce oves meas*. Ambros. lib. 2. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *repetitum est ter a Domino pasce oves meas: quas oves, & quem gregem? tunc beatus Suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum eo illas nos suscepimus omnes*. Chrysostomus homilia 79. in Matth. *amas me, Petre, pasce oves meas, quod non ad Sacerdotes solummodo dictum est, verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur*. August. hic pro more suo ait, Petrum gessisse personam Ecclesiæ, & in illius persona cunctis id esse dictum lib. de Agone Christ. cap. 30. cum ei dicitur: *Amas me, pasce oves*. tract. 47. in Joannem: *non ipso Petro, sed in corpore suo ait Petro: amas me, pasce oves meas*. Basil. in constitutione Monastica cap. 22. *Hoc*, inquit, *a Christo ipso docemur dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit: Petre enim*, inquit, *amas me plus his? pasce oves meas; & omnibus præterea deinceps Pastoribus, ac Magistris eamdem tribuit potestatem*. Uno verbo, quotidie in missa de omnibus Apostolis dicitur: *quos gregi tuo contulisti præesse Vicarios, & Pastores*. At inquiunt, hoc discrimen est inter Petrum, & ceteros, quod hi partem tantum ovium, ille omnes oves pascat.

XIV. Respondeo, id ex verbis Christi non effici; nam, ut observavimus, propositio ista *pasce oves*, est indefinita, & in historia, ut a dialecticis observatur, plerumque particularis est, quemadmodum illa: *milites plectentes coronam de spinis*.

XV. Nec refert, quod nonnulli aiunt, Petro totius mundi oves esse commissas. S. Leo serm. 3. de Assumpt. Gregor. lib. 4. Epist. 32. Theophilact. in cap. ult Joannis, & ante hos Chrysost. Homil. 87. in Joannem, & 80. ad populum Antiochenum, necnon in sexta adversus Judæos; cum enim Petrus, & reliqui Apostoli per totum orbem prædicandi potestatem accepissent, ita ut omnibus, & singulis indefinite per universum orbem oves sint commissæ, dici possunt totius orbis Pastores: sic Chrysostomus Timotheum totius orbis Episcopum dicere non veretur, & Paulum sæpius, præsertim homil. 2. de Pauli laudibus. Itaque Petro totius orbis oves commissæ dici possunt, quia non unius certi cujusdam regni, aut loci oves regendas accepit, sed indefinite totius mundi oves, ad quas ille accederet.

XVI. Sunt qui dicant, istud *pasce oves meas*, de Judæis intelligi oportere, quæ speciales dici possunt oves Christi, & quorum curam Petrus veluti propriarum, & sibi specialiter demandatarum ovium habuit: sed ista interpretatio haud videtur esse verisimilis, quia Christus nomine ovium, & ovilis sui, non Judæos tantum, sed omnes, qui sibi credituri erant, intelligit: *Habeo*, inquit, *alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili, eas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Pastor*, nempe Christus, qui Pastor est bonus κατ' ἐξοχήν.

XVII. Itaque ex locis a Bellarmino allatis non potest colligi Primatus Petri, ut ipse colligit, at aliter potest colligi, ut observavimus, quia his in locis Petrus personam gerit Ecclesiæ, pro ceteris Apostolis

Digitized by Google

ſtolis loquitur, & ipſe a Chriſto nomine eorum compellatur quaſi primus ac præcipuus: nunc aliunde Primatum Petri ſtabiliamus.

XVIII. In omni hominum collegio debet aliquis ordo ſervari, & neceſſe eſt aliquem primum inter plures eſſe: haud igitur dubium, quin in Collegio Apoſtolico primus aliquis fuerit; ſed hunc Petrum fuiſſe diſerte teſtantur Evangeliſtæ, qui cum Apoſtolos enumerant Petrum non modo ſemper primo collocant ordine, ſed primum fuiſſe affirmant, Matth. cap. 10. *Duodecim Apoſtolorum nomina hæc ſunt: primus Simon, qui dicitur Petrus;* apud Marc. Evangelii cap. 3. Simon Petrus primus commemoratur, in multis exemplaribus græcis πρῶτος etiam dicitur, non ſecus ac apud Matth. Denique Lucas cap. 6. v. 14. electos a Chriſto Apoſtolos numerans orditur a Petro, atque hinc ſatis luculenter conſtat, Petrum inter Apoſtolos primum fuiſſe.

XIX. Ut vero probetur Petrum hunc habuiſſe Primatum jure divino, advertendum eſt, Petrum habere non potuiſſe hunc Primatum, niſi Chriſto inſtituente, non autem approbante tantum: unde Lucas de electione ipſius Chriſti loquens Petrum primum commemorat, quaſi primo loco electum, & Chriſtus, ut obſervavimus, hunc præ omnibus alloquitur, & curam ovium peculiariter ipſi commendat. Itaque negari non debet, quin ex Chriſti inſtituto Petrus fuerit primus: cur autem hanc prærogativam ipſi Chriſtus conceſſerit, nemo certo definire poteſt. Sunt qui id ei ob ætatem delatum dicant, ut Hieron. lib. 1. contra Jovin. *Ætati*, inquit, *delatum, quia Petrus ſenior erat:* Caſſ. lib. 3. de Incarnat. *Primum*, inquit, *hunc docuit reſpondere, ut idem ordo eſſet reſponſionis, qui erat honoris, & ipſe antecederet confeſſione, qui antecedebat ætate:* Chryſoſt. Homil. 59. in Matth. ait: *Didrachma pro Petro ſolutum, quod ipſe eſſet primogenitus*, ac proinde Andrea ſenior, quem tamen Epiph. Petro ſeniorem eſſe arbitratur hæreſi 51. ſed ſine fundamento. Alii Primatum Petri repetunt ex eo, quod primus fuerit vocatus. Nam licet Andreas prior acceſſerit ad Chriſtum, videtur tamen primus Petrus ad munus electus eſſe, cum dixit ei Chriſtus Luc. 1. *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens:* ita Epiph. hæreſi 51. *Occurſus Andreæ primus contingit, poſtea rurſus quando perfecta renuntiatio facta eſt, ipſe fratrem ſuum præceſſit;* & in Ancorat. *Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum.* Cypr. item in lib. teſtim. ad Quirinum ait, Petrum primum eſſe, quem Chriſtus elegit. Hil. in Matth. cap. 7. *Petrus primus credidit, & Apoſtolatus eſt Princeps.* Gregor. Magn. lib. 2. ſuper Ezech. Homil. 18. *& non in memoriam revocat, quod primus in Apoſtolatum vocatus ſit;* et Chryſoſt. hom. 9. de pœnit. *Petrum cum dico, Petrum nomino, primum diſcipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.*

XX. Denique quod minus ad propoſitum facit, a nonnullis dicitur primus Petrus eſſe conſtitutus ob eximiam in Chriſtum charitatem: ita Auguſt. ſermone 13. de verbis Domini: *Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus.* Cyrillus in Joan. lib. 12. cap. 64. *Præveniebat*, inquit, *Petrus alios, ardore namque Chriſti præcipue fervens, & ad faciendum, & ad reſpondendum paratiſſimus erat.* Illius porro amoris in Chriſtum multa extant in ſcripturis veſtigia, quæ hic commemorare non eſt neceſſe.

XXI. Sed nihil intereſt, qua ratione motus Chriſtus Petrum primum Apoſtolorum conſtituerit, ſufficit illud extra controverſiam poſuiſſe, Petrum inter Apoſtolos primum locum obtinuiſſe vivente Chriſto, idque eo inſtituente. Nunc breviter oſtendo, illum hunc etiam locum poſt ejus mortem retinuiſſe; conſtat id ex Actis, ubi cap. 1. commemorantur omnes Apoſtoli, & inter eos primus nominatur Petrus; primus ibi ceteros alloquitur, & quid ſit faciendum præſcribit: capite 2. primus omnium Apoſtolorum Chriſtum annuntiat, & iterum cap. 3. & 4. comitem habens Joannem, ſolus tamen orationem habet, & pro ſe, ac pro iſto reſpondet.

XXII. Omitto quaſdam alias prærogativas, quas fuſe digerit Bellarminus, nam ex iſtis nonnullæ ſunt gratis confictæ, aliæ nihil

nihil omnino ad Primatum Petri pertinent: hoc facile esset demonstrare, sed in his immorari tædet, cum unusquisque illarum levitatem possit vel eas percurrendo statim perspicere.

§. II.

Petri Primatus ex veterum testimoniis asseritur.

QUæstio hæc, utrum primum inter Apostolos locum Petrus habuerit, historica est, potestque probari tum æqualium, tum supparium scriptorum testimonio: de iis, qui ejusdem ætatis sunt, jam satis dictum; de posterioribus hic dicendum.

II. Verum istud quoque est extra omne dubium, veteres omnes existimasse Petrum omnium Apostolorum primum fuisse: innumeris id pene illorum testimoniis probari posset, aliqua tantum nos ex iis selegimus.

III. De Petri Primatu nihil apud Justinum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, & alios antiquissimos. Apud Origenem Homilia secunda de diversis summus Apostolorum vertex appellatur, & in capite sexto Epistolæ ad Romanos: *Petro*, inquit, *cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia*. Sed utriusque loci αὐτόγραφον non habemus, & versio Ruffini innumeris ejusmodi additionibus scatere creditur: at Clementis Origene antiquioris locum refert Euseb. *Post Servatoris ascensum Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipsos ceteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse*. Vides Petrum, Jacobum, & Joannem ceteris Apostolis prælatos, & ex his primum fuisse Petrum. Citatur ex Cypriano locus in lib. de unit. Ecclesiæ: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia monstretur*. Verum, ut admonet Rigaltius, hæc verba sunt adscititia, nec habentur in vetustissimis duobus Mss., & a proposito Cypriani aliena plane sunt, quod & agnovit auctor notarum ad calcem editionis Romanæ.

IV. Addit Bellarminus, Petrum dici a Cypriano fontem, & radicem, & caput totius Ecclesiæ, unde unitas oritur: verum sensum ille Cypriani minime assecutus est; non enim intendit probare unam esse Ecclesiam ex eo, quod super unum Petrum sit ædificata, sed ideo in uno Petro ædificatam Ecclesiam dicit, ut unitas Ecclesiæ monstraretur: vide locum supra a nobis allatum ex libro de unitate Ecclesiæ, ubi mentem suam diserte explicat: negari tamen non potest, quin Cyprianus in Petro Primatum agnoverit, sed non eum, quem Bellarminus intendit: *Nam nec Petrus*, inquit Epist. 70. *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de Circumcisione disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se Primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris sibi oportere*. Hoc est, ut inquit Rigaltius, non imperium, non dominatum, non potentatum, sed primum locum.

V. Eundem Petro tribuit honorem Petrus Alex. cap. 9. Epist. Canonicæ: *Petrus*, inquit, *Apostolorum primus sæpe comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, ac postremo Romæ crucifixus est*.

VI. Euseb. lib. 2. cap. 14. Petrum vocat fortissimum, & inter reliquos Apostolos virtutis merito facile Principem, sed hic locus est de virtutis, non de loci Primatu.

VII. Optatus lib. 2. inquit: *negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram aliam convocare*; & lib. 7. *potuit itaque Petrus caput Apostolorum*.

VIII. At si Petrus est caput, certe primum membrum est, ac proinde Primatum obtinet: id ex Optato liquet. Sed ejus verbis

Digitized by Google

verbis abutuntur, qui inde concludere volunt, Cathedram Romanam unicam esse in tota Ecclesia: etenim per Cathedram intelligit successionem Episcoporum ab Apostolis decurrentem; non enim inquit lib. 1. Cæcilianus exivit a Majorino avo tuo, sed Majorinus a Cæciliano, nec Cæcilianus recessit a Cathedra Petri, vel Cypriani, sed Majorinus, cujus tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat: ergo Optatus Cypriani non secus ac Petri Cathedram esse agnoscit, et eos, qui ab illa separantur non minus schismaticos esse, quam eos, qui ab ista: cur ergo Cathedræ Romanæ successionem adducit? quia hujus notior erat successio: *Videndum est*, inquit, *qui & ubi prior Cathedra sederit. Igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse constitutam, &c. Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus*; et post enumeratos omnes ad Damasum: *Qui noster*, inquit, *est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Vestræ Cathedræ vos origenem reddite.*

IX. Probat igitur Optatus ex communione, quam habebant cum Damaso, & ceteris Episcopis suam esse Cathedram, hoc est, se esse inter eos, qui legitimam habebant successionem; unde idem Optatus paulo post aliarum quoque Ecclesiarum successionem, & communionem adducit. *Ergo*, inquit, *ex dotibus supradictis Cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostram esse*. Dein allegat septem Angelos, qui sunt in Asia, ad quorum Ecclesias Apostolus Joannes scripsit: *Cum quibus*, inquit, *Ecclesiis nullum communionis probamus habere consortium*; & postea: *Argue nos Thessalonicensibus, Corinthii, Galatis, septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia communicasse*, ex quibus constat Optatum non præcise probare se, suosque in Ecclesia esse, quod adhærerent Cathedræ Petri, sed se suosque veram Cathedram, hoc est, successionem Apostolicam retinere, quod communicarent Petri, & aliorum Apostolorum successoribus.

X. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 2. et 7. Petrum Apostolorum Principem ut supremum appellat.

XI. Basilius in sermone de Judicio Dei: *Ille*, inquit de Petro, *Beatus, qui ceteris prælatus discipulis fuit*.

XII. Gregorius Nazianzenus orat. de moderat. in disputationibus servanda: *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus, & excelsis, atque electione dignis hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta suæ fidei commissa habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant*.

XIII. Epiphanius hæresi 51. *Si elegit Dominus Petrum, ut Dux esset discipulorum*.

XIV. Gregorius Nyssenus, seu potius Auctor incertus libelli de delectis testimoniis ex veteri testamento hæc habet, ut ipse Dominus ait ad Principem Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, super confessionem videlicet Christi.

XV. Ambrosius in caput ultimum Lucæ: *Quia*, inquit, *solus Petrus profitetur, & omnibus antefertur*; & in caput 12. Epist. 2. ad Corinth. *primatum*, inquit, *non accepit Andreas, sed Petrus*. Affertur ejusdem locus ex serm. 11. sed isti sermones mihi valde sunt dubii. Hieronymus sæpe Petrum Apostolorum Principem appellat, ut in lib. de viris illustribus, & lib. 1. adversus Pelag. *Ut Plato*, inquit, *fuit Princeps Philosophorum, ita Petrus fuit Apostolorum*.

XVI. Necnon in lib. 1. adversus Jovin. *Ubi dicit inter 12. unum electum Petrum, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio: sed cur non Joannes electus est virgo, ætati delatum est, quia Petrus erat senior*.

XVII. Chrysost. Homil. 55. in Matth. *Ecclesiæ pastor, & caput homo piscator, & ignobilis*. Orat. 4. adversus Judæos: *Petrus adeo abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus*. Et Homilia 3. in Acta: *quam est fervidus, quam in choro princeps est, & ubique primus omnium incipit loqui*. Denique Homil. 86. in Matth. vocat Petrum caput, & verticem Apostolorum.

XVIII. Sanctus Augustinus multis in

Digitized by Google

locis Petri primatum asserit lib. 2. de Baptismo cap. 2. Petrum commemorat his verbis: *In quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* Hinc eundem ob primatum personam Ecclesiæ gestasse sæpius scribit, ut enarrat in Psalm. 108. *Agnoscitur*, inquit, *Petrus in figura gestasse personam Ecclesiæ ob primatum, quem in discipulis habuit.* Idem lib. 2. de Baptismo cap. 1. principatum Apostolatus Petri cuilibet Episcopatui præferendum esse docet, ubi comparat ille Apostolatum Petri cum Episcoporum potestate, & dignitatem Apostolatus, ac maxime Apostolorum principis Episcoporum dignitate superiorem esse affirmat.

XIX. Cyrillus Alexandrinus Petrum Apostolorum πρόκριτον vocat Thesaurorum assert. 34. necnon 12. in Joannem. De S. Leonis mente nullum est dubium, is enim primatum Petri sæpe extollit sermone 3. in anno Assumptionis: *Et tamen*, inquit, *de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.* Deinde jus potestatis illius non soli Petro datum, sed in omnes Apostolos transiisse ait: ideo tamen singulariter Petro intimatum; quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponebatur. Denique auream hanc sententiam subjungit: *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium.* Serm. 72. *Beato Apostolo Petro supra ceteros, hoc est, præ ceteris, post regni claves ovilis Dominici cura mandatur.* Serm. 81. beatus Petrus princeps Apostolici ordinis item Epist. 86. Petrum vocat Apostoli chori primum, ac principem. His addi possent alii recentiores, tum e Græcis, tum e Latinis. Sed id minime necesse est, quia scilicet extra dubium est eos Petri primatum agnovisse. His igitur missis ad alia veniamus.

§. III.

In quo ostenditur nihil obstare Petri Primatui Apostolorum inter se æqualitatem, & recentioris de Petri, & Pauli individuo Primatu sententia examinatur.

PEtrum inter Apostolos Primatum obtinuisse satis demonstratum est: unus tamen superest eximendus scrupulus, qui plerosque non parum commovet, arbitrantes obstare Petri primatui Apostolorum inter se æqualem potestatem; nam, inquiunt, Apostoli omnes eadem auctoritate, eadem potestate a Christo donati sunt, illamque eodem modo, quo Petrus, exercuerunt, nam Ecclesias, ut ille, fundarunt; Evangelium ubique annuntiaverunt, Episcopos constituerunt, nec quidquam assignari potest, quod iste fecerit, illi vero non fecerint: ergo constat eos fuisse æquales, ac proinde ruit primatus Petri.

II. Confirmatur hæc objectio multis, et apertis testimoniis sanctorum Patrum, ut Cypriani in lib. de unit. Eccles. scribentis. *Et quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat post resurrectionem, hoc erant utique, & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi honoris, & potestatis:* Eadem est sententia Hieronymi lib. 1. adversus Jovinianum: *At dicis*, inquit, *super Petrum fundatur Ecclesia, licet hoc ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cunctis claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Hinc Apostoli omnes a Patribus dicuntur Vicarii Christi: *Constat*, inquit Hilarius Diaconus in Epist. 1. ad Cor. *Apostolos esse Dei adjutores, quia Vicarii sunt Christi.* Et Chrysostomus explicans illud Pauli pro Christo: *Legatione fungimur*, ait, *omnes Apostolos illius loco officium ejus suscepisse:* mitto illud omnibus notum Præfationis Missæ Apostolorum: *quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præesse pastores.* Quapropter illi ipsi, qui primatum Pontificis maxime extollunt, fatentur vulgo Apostolos omnes æquales fuisse; sed ajunt ex ipsis plerique Apostolicam illam auctoritatem

Digitized by Google

tem ad tempus tantum datam fuisse ceteris, & Petro concessam, ut ad successores ejus permaneret. Verum hæc responsio mihi videtur esse fictitia, et Petri primatui non parum derogare. Fictitia quidem est, quia nulla ratione, nullo testimonio Scripturæ, aut traditionis docemur potestatem Apostolatus Petri ad ejus successores permanasse, non autem potestatem ceterorum Apostolorum, cum ex æquo Ecclesiarum Apostolicarum Episcopi dicantur eorum Apostolorum, a quibus Ecclesiæ sunt fundatæ, successores: imo omnes Episcopi Apostolorum omnium successores esse perhibeantur. Deinde hæc opinio primatui Petri derogat; nam ex ea sequitur quidem, Petri successores præferri debere ceteris Episcopis, at Petrum propterea inter Apostolos primatum habuisse non convincitur.

III. Itaque respondeo, æqualitatem illam Apostolorum nihil obstare Primatui, quia semper ille excipiendus est ab ista æqualitate; nam ut monuimus, plures esse non possunt primi, sed unum esse primum necesse est: cum ergo haud dubium sit, Petrum fuisse primum inter Apostolos, fieri non potest, ut illi fuerint ei æquales in Primatu, æquales igitur sunt, si ita, vis in omnibus, excepto Primatu, qui pluribus conferri non potest. Porro testimonia in contrarium adducta hoc unum probant, Apostolos in clavium administratione, fidei prædicatione, Ecclesiarum fundatione, potestate, auctoritate æquales fuisse: at eos in Primatu Petro æquales fuisse nullus dicit, imo contrarium omnes dicunt iis ipsis in locis, ubi æqualitatem Apostolorum maxime commendant.

IV. Ex his videre est, falli eos, qui Petrum, & Paulum in primatu æquales, imo ejusdem omnino primatus, ex æquo participes esse asseruerunt; nam, ut diximus, plures non possunt, esse primi, sub eadem ratione: cum ergo Petrum primum fuisse constet, fieri non potest, ut Paulus sit etiam primus: Primatus enim res est, quæ uni tantum convenit, nec alteri potest communicari. Verum istos in errorem induxere multorum Patrum dicta, quibus Petri, ac Pauli æqualitas commendatur; sed æqualitas illa est in Apostolatus potestate, non autem in Primatu; ut autem illorum argumenta sigillatim excutiamus. Primum igitur aiunt antiquos omnes unanimi consensu tradere, Ecclesiam Romanam a Petro, & Paulo fundatam, utrumque Ecclesiæ hujus Episcopum fuisse, utriusque hanc fuisse Cathedram, Romanos Pontifices, non solum Petri, sed & Pauli successores esse ac Vicarios, & ab eis auctoritatem, & Episcopatum accepisse. Hinc illi concludunt, eum cum urbis Romæ Episcopus fuerit cum Petro, cum eo quoque Primatum obtinuisse.

V. Verum id immerito concludunt illi: namque ex eo, quod Petrus, & Paulus Romanam Ecclesiam ambo fundarint, non sequitur eos individuum habuisse Primatum, sed tantum eos simul ad urbem Romam accessisse, ibique fidem annuntiasse, & Ecclesiam licet diversis temporibus rexisse. Huc accedit, quod simul ibi martyrio coronati sunt, & hanc Ecclesiam sanguine suo consecrasse videntur: hac de causa uterque merito dici potest Episcopus Romæ, non quod illi Ecclesiæ, ita fuerint addicti, ut non aliarum etiam curam susceperint; sed quia ad hanc urbem ambo venerunt, ambo Evangelium, ibi annuntiaverunt; ambo multos illic ad fidem adduxerunt; ambo hanc Ecclesiam per tempus aliquod rexerunt; ambo sibi successores ordinarunt, si fides nonnullis habeatur; ambo denique ibi glorioſe vitam pro Christo finierunt: ergo haud immerito Ecclesiæ hujus ambo dicuntur Episcopi, & Romani Pontifices istorum, ex æquo successores esse perhibentur; sed non video cur inde Primatum utriusque individuum asserere sit necesse; non valet enim hæc consecutio, Petrus, & Paulus Ecclesiam Romanam in commune rexerunt, ergo in commune Primatum habuerunt; qnippe Episcopatus Romanus cura est gregis Romani, cujus partem unus, partem alius potest suscipere: at Primatus non ita se habet, nec iste partem Primatus unam, ille alteram potest habere.

VI. Ergo, inquiet aliquis, inde sequetur aliquem fuisse Episcopum Romanum, qui Primatu caruerit; at proinde dici poterit, Ecclesiam Romanam Primatu caruisse.

Digitized by Google

VII. Respondeo, falsum esse consequens, quia scilicet semper Ecclesia Romana prima dici potuit omnium Ecclesiarum, tum ob urbis illius amplitudinem, tum quia unus ex ejus Episcopis Primatum inter Apostolos habebat, licet alter ad eum proxime accederet, & in omnibus ei foret æqualis, si Primatum excipias.

VIII. Alterum argumentum multo gravius esse videtur: petitur illud ex summa Petri, Paulique æqualitate, quam non raro commendant sancti Patres. Sic Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 12. *Nec Paulus* inquit, *inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus sciens vestigia credentium fundare populorum, nec Paulus, inquam, indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus, & nulli secundus; nam qui se imparem nescit, facit æqualem.* Et Aug. serm. 25. de Sanctis: *Etsi Petrum priorem, tamen ambos ditavit honore uno.* Nec non Maximus Taurinensis homil. 5. in natali Apostolorum: *Ergo beati Petrus, & Paulus eminent in universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt; verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est, puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse.* Greg. 1. Dialog. cap. ult. *Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu frater est.* Hinc Petrus, & Paulus æque dicuntur Apostolorum Principes, Apostolorum primi, summi Apostoli, ad culmen, & apicem Apostolorum subvecti. Paulus non secus ac Petrus totius orbis curam habere dicitur, & omnium orbis Ecclesiarum Pastor; quin etiam Paulus sæpe solus dicitur Princeps Apostolorum, caput Apostolorum, qui Primatum Apostolatus inter gentes habuerit, quemadmodum Petrus inter Judæos. Hinc in imaginibus Petrus, & Paulus velut æquales depingi solent, imo nonnunquam Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram ponitur. His & aliis argumentis ex Patribus collectis vincere conantur illi, Petrum & Paulum esse individui Primatus participes.

IX. Sed his, quæ huc usque exposuimus, suppositis, nullo negotio ad hæc omnia respondetur, Petrum, & Paulum in Apostolatu, in potestate, & in auctoritate æquales fuisse, in Primatu non item. Imo etiam præter hanc æqualitatem, quam etiam ceteri Apostoli habuerunt, specialiter Paulus æqualis Petro dici potest: primo, quod sicut iste Judæorum, ita ille Gentilium fuit Apostolus. Secundo, quod ille non secus ac iste plurimum laboraverit ad annuntiandum Evangelium, ac innumeras gentes adierit, & ad fidem converterit. Tertio, quod uterque Romanam Ecclesiam fundarit, & ibi martyrio vitam finierit: at his non obstantibus Petrus in Primatu Paulo fuit superior: atque idipsum constat ex testimoniis allatis. Ambrosius ait Paulum cum primo conferendum, & nulli proprie secundum, supponens scilicet Petrum inter Apostolos primum fuisse, cum quo tamen Paulus conferri posset.

X. Sanctus Leo honorem unum esse ait Petri, ac Pauli, ob fundationem scilicet Ecclesiæ Romanæ, & martyrium ibidem perpessum. Hinc gloriæ ejusdem consortes sæpe dicuntur, ac Petrus Pauli in dignitate frater a Gregorio dicitur: eadem de causa Maximus Taurinensis ait Paulum esse æqualem Petro in meritis, & in martyrio.

XI. Quod deinceps additur, Petrum, & Paulum dici principes, apices, & capita Apostolorum, ostendit hos equidem præ ceteris insignes fuisse, at eos inter se in primatu æquales fuisse non probat. Namque non raro non solum Petrus, & Paulus, sed & alii Apostoli his nominibus decorantur; sic ipse Paulus comparat se cum magnis Apostolis: hoc nomine Petrum, Jacobum, & Joannem indicans, quos Ecclesiæ columnas appellat. Sic Chrysostomus tres istos ceteris omnibus Apostolis præstitisse ait, in serm. de præmiis Sanct. & in cap. 15. 1. ad Corinth. & in Ep. ad Galatas, initio. *Petrus*, inquit, *Jacobus, & Joannes non probibebant circumcidi, cum essent inter Apostolos primæ dignitatis.* Iidem Apostoli tres a Victore Antiocheno in Marc. cap. 9. dicuntur Apostolorum Coriphæi, qui primas inter Apostolos obtinebant. S. Aug. in Ep. ad Galatas. *Petrus*, inquit, *Jacobus & Joannes ho-*

Digitized by Google

honoratiores erant ceteris Apoſtolis. His adde Clementis locum ex Euſebio ſuperius citatum, ex quibus pariter inferri poſſet, ſi quid valeat adverſariorum conſecutio, Petrum, Jacobum, & Joannem primatus individui fuiſſe participes, non ſecus ac Petrum, & Paulum; ſed iſtud imprudenter omnino fieret. Sciunt enim omnes hiſce phraſibus non ſignificari omnimodam eorum, qui ceteris præferuntur æqualitatem, ſed tantum eorum ſuper alios præſtantiam: ſic cum Virgilium, Horatium, & Ovidium voco Poetarum principes, non intendo iſtos ſecum invicem comparare, & omni modo æquales ſtatuere, ita ut nullus inter eos ſit ſuperior; ſed hoc unum volo eos inter Poetas eminere, & ceteris præſtantiores eſſe. Quin etiam fieri poteſt, imo ſæpiſſime fit, ut iſtæ appellationes late ſumantur, & nonnumquam primus aliquis vocetur, ac princeps, qui non abſolute primus eſt, ſed inſignis tantum. Sic Cicero dicitur Oratorum princeps, licet Demoſthenes cum eo de primo gradu contendere poſſit. Sic Horatium Poetarum principem dicere nemo veretur, quamvis Virgilium ei præferendum eſſe vix quiſquam dubitet. Haud ergo mirum ſit nonnunquam Paulus ſolus dicatur primus ac princeps Apoſtolorum, non quod abſolute primus ſit, ſed quia inter primos, & principes numerari poteſt. Adde quod unus dici poteſt alio prior, ac præſtantior ſecundum aliqua: & ſic Paulus Petro præferri poteſt, quia, ut ipſe ait ceteris, abundantius pro Chriſto laboravit, unde & ſeipſum comparat magnis Apoſtolis Petro, Jacobo, & Joanni, nec minus quidquam ſe feciſſe ait, quamvis alibi minimum ſe Apoſtolorum appellet.

XII. Unus jam ſupereſt eximendus ſcrupulus, quod ſcilicet huic dicatur non ſecus ac Petro commiſſa totius orbis cura. Verum, ut advertimus, id fuit Apoſtolatus proprium, non primatus; omnium mundi Eccleſiarum curam habere, & ubique tum Chriſtum annuntiare, tum fideles confirmare: id autem præcipue Paulo conveniebat, quia Gentium erat Apoſtolus, & innumerarum Eccleſiarum fundator, quarum proinde ſpecialem curam habere tenebatur. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? quotidiana mihi incumbit ſollicitudo omnium Eccleſiarum*. Ob charitatem ſcilicet, & affectum, quo fideles omnes, ac præſertim eos, quos ipſe ad fidem adduxerat complectebatur. Argumentum ultimum ex imaginibus repetitum, ego nihil moror, nihil enim illo levius; nam ex eo, quod Petrus, & Paulus ſimul pingantur, non ſequitur eos eſſe æquales in primatu, ſed ad ſummum in Apoſtolatu: cur vero nonnunquam Paulus dextrum locum occupet, ratio certa reddi non poteſt præter pictorum arbitrium, quibus *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*.

XIII. His de Petri primatu præmiſſis, in illa diſputatione celebri de ejus Monarchia, non hæreo. Nam ſi Monarcha dicitur is, qui primum obtinet locum, qui primatem inter alios tenet, haud dubium eſt Petrum hoc ſenſu fuiſſe Monarcham. Si vero Monarchia ſumatur pro auctoritate abſoluta, necnon pro dominatu, cui nullus ſeſe poteſt opponere, nego Petrum hoc ſenſu Eccleſiæ Monarcham fuiſſe; hanc etenim Monarchiam a ſe, & ſuis rejicit Chriſtus cum ait: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*. Et Petrus ipſe ſcribens: *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, non coacte, ſed ſpontanee, non dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*.

XIV. Et certe quoad regimen prima illa Eccleſia ariſtocratia uſa eſt; nihil enim ſolus Petrus ſtatuit, ſed ſimul cum Apoſtolis, & ſenioribus: ſic cum eligendi fuerunt Diaconi, communi Apoſtolorum conſilio, & auctoritate id factum eſt; cumque de circumciſionis, & legalium obſervatione longe gravior difficultas foret exorta, illa non Petri auctoritate, ſed Apoſtolorum, ſeniorumque Hieroſolymis congregatorum judicio definita eſt. Atque adeo verum Petrum non fuiſſe abſolutum Monarcham aliorum Apoſtolorum, ut Paulus non ſit veritus ei in faciem reſiſtere, cum Gentes ad Judaicas ceremonias obſervandas vellet impellere. Conſtat ergo Petri primatum non fuiſſe Monarchiam abſolutam, aut dominatum in ceteros Apoſtolos; quod idcirco monui, quia ſolent hæretici

Digitized by Google

retici hæc ſecum invicem confundere, & Catholicos accuſare quaſi Monarchiam abſolutam, & dominatum, in Eccleſia admittant, quod a veritate alienum eſt: ſed de hoc fuſius dicemus capite ſequenti.

CAPUT II.

De Romanæ Eccleſiæ primatu.

§. I.

In quo demonſtratur primatus Eccleſiæ Romanæ ſupra ceteras orbis Eccleſias.

AD demonſtrandum Romanæ Eccleſiæ Primatum, non ſufficit oſtendiſſe Petrum inter Apoſtolos primum habuiſſe locum, quippe non omnis a Petro fundata, & inſtituta Eccleſia primatum hunc habuit; alioquin Antiochena, & aliæ quamplurimæ orbis Eccleſiæ, quas conſtituit, & ſaltem ad tempus rexit, primatum ſibi vindicarent: quapropter ex traditione oſtendendum eſt, quænam ex Eccleſiis a Petro fundatis primatus honore dignata fuerit: id porro ſoli Romanæ Eccleſiæ, non alteri ſemper competiiſſe unanimis traditio docet. Hujus primus teſtis eſt Irenæus, qui lib. 3. cap. 3. Romanam Eccleſiam maximam, & antiquiſſimam vocat. *Maximæ, & antiquiſſimæ*, inquit, *& a duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes; confundimus omnes eos, qui præterquam quod oportet, colligunt; ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Quæ verba oſtendunt Irenæi tempore Romanam Eccleſiam antiquiſſimam, & ampliſſimam traditionis teſtem locupletiſſimam fuiſſe, & ceteris omnibus Eccleſiis eminentiorem, ac celebriorem fuiſſe.

II. Secundus erit Cyprianus Ep. 54. *Navigare*, inquit, *audent ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.*

III. Tertius, Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua, ubi ſic canit.

Natura binos haud quidem ſoles dedit.
Dedit ipſa binas attamen mundi faces,
Romas vetuſtam ſcilicet, & novam:
Fides vetuſtæ recta erat, jam antiquitus
Et recta præſtat, nunc item nexu pio
Quodcumque labens videt ſol diminuens,
Ut univerſi præſidem mundi decet.

IV. Quanquam iſte novam Romam cum vetuſta comparet, hanc tamen totius orbis præſidem eſſe fatetur.

V. Quartus, Ruffinus, qui invect. ſecunda in Hieron. Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum caput vocat.

VI. Quintus, Auguſtinus Ep. 162. nunc 43. ubi ait principatum Apoſtolicæ Cathedræ ſemper in Romana Eccleſia viguiſſe, & Ep. 105. nunc 194. *De cujus*, inquit, *gratiæ commendatione maxime ad Romanos Apoſtolica Epiſtola loquitur, ut inde ſe prædicatio ejus, velut a capite orbis toto orbe diffunderet.* Et contra duas Epiſtolas Pelagii lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Romanæ urbis Epiſcopum hæc ait. *Communis eſt nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis in eo præemineas celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis.* Et antea, *quamvis altius præſideas*,

VII. Sextus, Theodorit. qui in Ep. ad Leonem, Romanam Eccleſiam orbi univerſo præeſſe ſcribit.

VIII. Septimus, Proſper in carm. de ingrat. in quo leguntur hi verſus.

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris.
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

IX. Quæ poſtrema verba non hunc habent ſenſum, quod Roma per religionem domina ſit omnium Eccleſiarum, ſed quod ea religio, quæ Romæ viget, ubique vigeat, iis etiam in locis, quo Romanorum arma penetrare non potuerunt.

X. Octa-

Digitized by Google

X. Octavus, auctor libri de vocatione Gentium lib. 2. cap. 6. cujus ſimilis omnino eſt ſententia. *Roma*, inquit, *per Sacerdotii principatum amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis.*

XI. Hos ſequuntur Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 11. Vincentius Lyr. commonit. cap. 42. Victor Uticenſis lib. 2. de perſecutione Vandalica, qui Romanam Eccleſiam mundi caput appellant, & alii bene multi, quos impræſentiarum commemorare longum foret.

XII. Addam nonnulla Romanorum Pontificum, qui hanc ſibi dignitatem vindicant, teſtimonia. Siricius Ep. ad Himerium Romanam Eccleſiam caput mundi appellat. Idem habet Innocent. Epiſt. 22. & 91., ubi vocat eam fontem, & caput omnium Eccleſiarum. Sanctus Leo ſerm. 1. de natali Apoſtolorum, & alibi paſſim Eccleſiæ ſuæ primatum inculcat. Joannes 2. Epiſt. ad Juſtin. ſeniorem Romanam Eccleſiam vere Eccleſiarum caput eſſe dicit, *ut Patrum*, inquit, *regulæ, & Principum ſtatuta declarant.* Anaſt. 2. in Ep. ad Anaſtaſium Imperatorem, ait Romanam Eccleſiam in univerſali Eccleſia tenere principatum. Fœlix 4. Epiſt. 1. & Pelag. 2. Epiſt. item 1. ſedem ſuam vocant caput omnium Eccleſiarum. Gregorius Magnus licet univerſalis Epiſcopi nomen rejiciat, primæ tamen ſedis Epiſcopi nomen, & honorem ſibi vindicat; ſed iſtorum in ſua cauſa teſtimonium non magni fortaſſe momenti videbitur, quapropter ad primatum Eccleſiæ Romanæ ſine controverſia aſſerendum, Conciliorum Decreta ſunt producenda, in quibus ipſi etiam Græci Romanæ Eccleſiæ primatum agnoverunt.

XIII. Adducitur Concilii Nicæni Canon ſextus, ſed in eo, prout in Græcis editionibus legitur, nihil eſt unde poſſit dignoſci, quem locum inter Patriarchales Sedes obtineat Romana; verum nonnullæ ſunt Canonis hujus editiones, in quarum initio legitur: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, vel *de primatu Romanæ Eccleſiæ*. Et quidem primo ita refertur a Paſchaſino Leonis in Concilio Chalcedonenſi Legato act. 16. *quod Eccleſia Romana ſemper habuit, ſeu Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.* At ſtatim Chalcedonenſes Patres eundem Canonem ex codice ſuo ſine iſta additione retulerunt. Quapropter conſentiunt omnes eruditi verba hæc non eſſe genuina, ſed aſſuta eſſe. Et hæc quidem primum inſcriptionis loco fuerunt, & ab aliquibus Canoni ſexto Nicæno præfixa ſunt hoc modo. *De primatu Eccleſiæ Romanæ*, vel certe ad marginem adſcripta: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Hinc in multis manuſcriptis hæc verba optime diſtinguuntur ab ipſo Canone, præſertim vero in codice Juſtelli, & Vaticanæ Bibliothecæ a Sirmundo edito, ubi extat hæc inſcripto, *de primatu Eccleſiæ Romanæ, & aliarum civitatum Epiſcopis.* At poſtea, ut fieri ſolet, hæc eadem verba in textum irrepſerunt. Id ex eo perſpicue patet, quod illa cum ſequentibus cohærere minime poſſint, & ad hujus Canonis ſcopum nihil quidquam faciant, deinde nec in Græco, nec in ulla verſione, nec in ipſo poſteriori Codice Romano Dionyſii Exigui reperiuntur.

XIV. Porro inſcriptio hæc parum fidelis eſt, namque, ut diximus ſupra, in ſexto Canone Nicæno non agitur de Primatu Romanæ Eccleſiæ præ ceteris orbis Eccleſiis, ſed de ejus juriſdictione in Eccleſias ſuburbicarias, ac proinde qui hanc inſcriptionem primi apposuerunt, quique eam deinde in textum immiſerunt Canonis mente aberrarunt.

XV. Itaque prima Concilii alicujus univerſalis ſanctio de Primatu Romani Pontificis, hæc eſt, quæ extat Canone 2. Conſtantinopolitani Concilii: *Conſtantinopolitanus habeat Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum*: quo in Canone ſupponunt Græci Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum primam eſſe, nec id illi ſuo Canone indulgent, ut viſum eſt Græcis recentioribus, ſed privilegium, quo ab antiquo fovebatur, ei ſartum, tectumque eſſe volunt, ut nihil ejus obſit primatui honor Antiſtiti Conſtantinopolitano delatus.

XVI. Concilium Aquileienſe eodem ferme tempore habitum Pontificis quoque Primatum agnoſcit in Epiſt. ad Imperat. de Urſicino. *Obſecranda fuit*, inquiunt, *Epi-*

Digitized by Google

Episcopi clementia vestra, ne totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam turbari sineret.

XVI. In Concilio Chalcedonensi primus locus Leonis Legatis datus est, & Romanæ Ecclesiæ primatus communi omnium consensu comprobatus, nec non a judicibus ita confirmatus. His verbis: *Glorioſiſſimi judices dixerunt ex his, quæ gesta sunt vel ab unoquoque disposita perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Episcopo conservari.* Ita sanctio confirmatur Canone 36. Synodi Trullanæ. His accedit Imperatorum auctoritas. sic Theodos. & Valent. Imperatores *Cum igitur Sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.* Valentinianus item in Epist. ad Theodos. ante Concil. Chalced. *Quatenus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit.*

XIII. Justinianus Novell. 132. tit. 14. c. 2. *Sancimus secundum Ecclesiasticarum Regularum definitiones sanctiſſimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatiſſimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem: aliis autem omnibus Sedibus præponatur.*

XIX. Idem Romanæ Ecclesiæ privilegium agnoverunt Gallicani, & Hispani Antestites illi in Epist. ad Leonem Principatum Ecclesiæ Romanæ super omnes Ecclesias prædicant. Isti in Synodi Tarraconensis Epist. ad Hilar. *Cujus*, inquiunt (Petri Vicarii) *principatus sicut eminet; ita ab omnibus metuendus, & amandus.* Sed hæc ad asserendum Ecclesiæ Romanæ Primatum abunde sufficiunt, nunc illi sunt refellendi, qui adversus eum insurgunt.

§. II.

De Primatu, quem ambiit Constantinopolitana Ecclesia, necnon de Græcorum recentiorum ea de re sententia.

QUibus gradibus Sedes Constantinopolitana ad Patriarchalem dignitatem sit evecta, ex dictis superiori dissertatione liquet; at quia sunt nonnulli, qui, quæ a Concilio Constantinopolitano, & Chalcedonensi facta sunt, Primatui Romano obfuisse putent, res paulo exactius examinanda.

II. Ex Concilii Constantinopolitani Canone vix quidquam objici potest: nam, ut probavimus, in eo honoris primatus Constantinopolitano Episcopo nonnisi post Romanum conceditur.

III. In Chalcedonensi major difficultas, namque Episcopi in definitione act. 16. ἴσα πρεσβεῖα, hoc est, eadem, & æqualia privilegia tribuunt Episcopo novæ Romæ, ac veteris Romæ Episcopo, & judices in sua determinatione æqualia primatus honoris jura concedunt utrique: verum si quis hæc diligentius attendat, videbit hæc non obesse primatui veteris Romæ, nam hic Episcopi fatentur Constantinopolim esse secundo loco. *Secundam*, inquiunt de nova Roma, *post illam veterem existentem.* Et postea: *Episcopum tamen Constantinopolitanum habere* πρεσβεῖα τῆς τιμῆς *post Romanum Episcopum.* Judices vero Romanæ Ecclesiæ tribuunt, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμήν. Constantinopoli vero tribuunt τὰ αὐτὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Sed tantum *post Romanum*: Itaque dum idem primatus honor Constantinopolitano defertur his Canonibus Romani Pontificis primatus non læditur, sed tantummodo Antiochenæ, & Alexandrinæ, aliarumque Ecclesiarum privilegiis derogatur. Hinc S. Leo Epist. 56. non queritur suum primatum læsum esse Canone Chalcedonensi, *Sed quod secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.* Et postea: *Non convellantur provincialium jura primatuum nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur An-*

Digitized by Google

Antiſtites. Nihil Alexandrinæ Sedi ejus, quam per ſanctum Marcum Evangeliſtam beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Eccleſia in paternæ conſtitutionis ordine perſeveret. Eadem expoſtulat Epiſt. 57, 58, 63, 66. at nuſquam queritur hanc Chalcedonenſis Concilii ſanctionem ſibi, ſuoque Primatui obeſſe.

IV. Sed deinde ulterius progreſſa novæ Romæ ambitio ſuam Eccleſiam cum Romana coæquare quantum potuit conata eſt: ſic Joannes conſt. ad Homiſdam ſcribens Epiſt. eam, quæ inter Epiſt. Hormiſdæ eſt 34. *Sanctiſſimas*, inquit, *Dei Eccleſias hoc eſt ſuperioris veſtræ, & novellæ iſtius Romæ unam eſſe accipio. Illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius auguſtæ civitatis unam eſſe definio.* Et poſt alia: *ſicut oportet dicere, & olim ſcripſi utraſque Eccleſias tam ſenioris, quam novæ Romæ unam eſſe evidenter intelligens, & utriuſque unam Sedem recte definiens.*

V. Hinc etiam Conſtantinopolitanus œcumenicum ſe Patriarcham dici amavit, ſibique illud nomen vindicavit. Hoc primum Joanni Cappadoci tributum legitur in Concil. Conſtant. ſub Menna, & Anthimo conceditur in eod. lib. 4. cap. 7. & novella 16. Deinde Maxentio imperante Joannes cognomento jejunator ſeipſum œcumenicum Epiſcopum appellavit in Synodo adverſus quendam Gregorium Epiſcopum. Tum Pelagius II. ob elationis hujus vocabulum, inquit Gregorius lib. 4. Epiſt. 38., hujus Concilii acta diſſolvit. Hujus Pelagii ſucceſſor Gregorius eundem titulum, quem Joannes Mauritii gratia fretus retibat, impugnavit litteris ad Imperatorem, ad Patriarchas, & ad ipſum Joannem ſcriptis.

VI. Ex his Eulogius Alexandrinus reſcripſit Gregorio ſe pariturum, & iſta voce œcumenici abſtenturum. Hunc tamen titulum in his ipſis literis Gregorio aſcripſit, quod ei non placuit, ſed Eulagium monuit, ne vel ſibi, vel alteri cuiquam tale aliquid adſcriberet.

VII. Poſt Joannis mortem Cyriacus hujus ſucceſſor eundem titulum retinuit, auctorque fuit Mauritio, & Anaſtaſio Antiocheno, ut Gregorio ſcriberent rem eſſe levem, & omnino indignam ejus diſſentionem, & ſcandala generaret: Ideo Gregorius licet invitus, ſed pacis ergo Cyriaci litteras communicatorias hocce titulo inſcriptas ſuſcepit: at graviter eum admonuit, *ut a ſtulti* (verba ſunt Gregorii) *vocabuli ſe appellatione compeſceret.* Attamen hunc retinuerunt Conſtantinopolitani Antiſtites fruſtra reclamantibus Pontificibus Romanis: nam licet Phocas in odium Cyriaci, & in in gratiam Romani Pontificis adverſus hanc Conſtantinopolitani Antiſtitis dignitatem decretum emiſiſſe dicatur, ſtatim tamen Heraclius rem in integrum reſtituit, poſterioreſque Antiſtites Conſtantinopolitani hunc ſemper titulum uſurparunt. Quamvis autem ambitioſus ille ſit, ut recte viſum eſt Gregorio, attamen Romani Pontificis Primatui non obeſt, dici etenim poteſt aliquis Epiſcopus univerſalis ratione Diœceſeos, cui præeſt, quo ſenſu non ſolum Conſtantinopolitano, ſed & Alexandrino, & Antiocheno id nominis indultum eſt. Hinc Anaſtaſius Bibliothecarius in præfat. 7. Synodi ad Joannem 8. hunc titulum excuſat. *In eo*, inquit, *quo frequenter œcumenicum in hac Synodo Græci Patriarcham ſuum inconvenienter appellant, Apoſtolatus veſter adulationi veniam det. Verum cum apud Conſtantinopolim poſitus frequenter Græcos ſuper hoc vocabulo reprehenderem, & faſtus vel arrogantiæ redarguerem, aſſerebant, quod non ideo œcumenicum, quem multi univerſalem interpretati ſunt, dicerent Patriarcham, quod univerſi orbis teneat præſulatum, ſed quod cuidam parti præſit orbis, quæ inhabitatur. Nam quod Græci, οἰκουμένην vocant, a Latinis non ſolum orbis, a cujus univerſitate univerſalis appellatur, verum etiam habitatio, vel locus habitualibus nuncupatur.*

VIII. Denique quamvis Græci poſtquam a Latinorum communione ſejuncti ſunt, in Romanam Eccleſiam fuerint iniquiores, nunquam tamen ejus primatum directe impugnaverunt, nec enim aut Photius, aut Michael Cerularius hanc diſſenſionis cauſam allegant, nec de primo loco cum Romano Epiſcopo contendunt: Unde & Græci recentiores fatentur primum locum deberi Romanæ Eccleſiæ. Verum id ipſi a

Digitized by Google

Conciliis, & Imperatoribus indultum, vel ob amplitudinem urbis conceſſum eſſe contendunt, non autem jure divino, & a Petro illam iſtud privilegium habere autumant. Sic Barlaam Monachus in libello de Papæ Principatu cap. 2. ait omnes Apoſtolos quoad Eccleſiam attinet in pari honore fuiſſe, ſacri autem duodenarii Principem fuiſſe Petrum, cap. 3. negat Romanum Pontificem peculiariter eſſe ſucceſſorem Petri, cap. 4. ait: *Romanam Sedem multis ſæculis poſt Petrum Sanctorum Patrum, piiſſimorumque Imperatorum beneficio primas fuiſſe nactam*. Cap. 6. ait Sedem Conſtantinopolitanam dignitate parem eſſe, & in rebus Eccleſiaſticis, perinde atque Romanam ſumma eminere poteſtate, ſed ordine ſecundam eſſe: *quemadmodum enim*, inquit cap. 7. *novæ Romæ Epiſcopus a Papa ſecundus ordine eſt, ita plane Alexandrinus huic ſecundus, deinde Alexandrino proximus Antiochenus, Hieroſolymitanus denique Antiocheno*.

IX. Hac ratione negat Conſtantinopolitanos Antiſtites a Pontifice creandos eſſe, & cap. 9. Papæ prærogativam in eo ſitam eſſe docet, *ut primo ſederet loco, primuſque frater appellaretur, atque adeo in myſticis divinæ liturgiæ precibus prima illius mentio fieret. Tu ſi quid amplius*, inquit, *dicere habeas e ſacris Canonibus, id demonſtra, minime refragabimur*.

X. Eadem habet Nilus in lib. de Primatu: *Cum*, inquit, *duo circa Papam conſideranda ſint, quod & Romæ Epiſcopus ſit, & præterea quod ſit primus aliorum Epiſcoporum, prius illud a Petro accepit, quod ſcilicet ſit Romæ Epiſcopus, alterum vero a ſanctis Patribus, & piis regibus multo poſt tempore. Etenim Sedi veteris Romæ, quod urbs illa Imperatrix eſſet, merito Patres primatus dignitatem tribuerunt*. Idem in lib. de diſſenſ. Eccleſ. *Neque vero*, inquit, *illud in cauſa eſt, quod Latini affirmant nos nobis primatum arrogare velle, & in ſecundis poſt Romanum principatum nolle conſiſtere, ſimulque ideo pacem detrectare, neque enim, inquam, cum Romana Eccleſia de primatu contendimus, neque de ſecundo loco nunc agitur*. Ex his perſpicere licet, quæ ſit recentiorum Græcorum de Primatu Romanæ Eccleſiæ ſententia, & in quibus vera dicant, in quibus a vero aberrent.

§. III.

Sententia Wiceſiſtarum, Lutheranorum, & Calvinianorum de Eccleſiæ Romanæ Primatu refertur. Huic ſubjicitur oppoſita Curiæ Romanæ Theologorum opinio, ac demum refertur, & probatur aliorum Theologorum, & præſertim Gallorum doctrina, inter utramque media.

UT recte de primatu Romanæ Eccleſiæ, ejuſque prærogativis ſtatuatur, examinandæ ſunt omnium ea de re ſententiæ, ut ea, quæ æquior eſt retineatur: Primum ergo Heterodoxorum opinationes percurrendæ ſunt.

II. Joannes Wiclefus referente Thoma Valdenſi doctrinalis fidei antiquæ tom. 1. lib. 2. art. 3. ait profuturum Eccleſiæ: *Si careret Papa, Capitaneo, quia tunc deſcenderet gratia in omnes homines perpendiculariter, ut ſunt digni*.

III. Idem Wiclefus in concluſ. ſuis num. 5. *Statuit Papam eſſe Antichriſtum. Papa*, inquit, *eſt ille Antichriſtus*, unde colligit *expedire, ut nullus ſit Papa: experimento*, inquit, *cognoſcimus, quod Papa vel mortuo vel depoſito cum ſuis Cardinalibus, & Prælatis Cæſareis, non minus ſed amplius proſperaretur Eccleſia*.

IV. Inde in Concilio Conſtantienſi damnatur hæc propoſitio Wiclefi: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*.

V. Ibidem in articulis Joannis Hus damnantur iſti 9. *Papalis dignitas a Cæſare inolevit. Et Papæ perfectio, & inſtitutio a Cæſaris potentia emanavit*. 10. *nullus ſine revelatione aſſereret de ſe, quod eſſet caput particularis Eccleſiæ ſanctæ, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ*. 27. *non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat unum eſſe caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conſervetur*.

VI.

Digitized by Google

VI. Poſt Huſſium, & Wicleſum Lutherus Papæ Primatum aggreſſus eſſe videtur in Theſibus Lipſiæ diſputatis cum Ecchio anno 1519. quarum propoſitio 13. hæc eſt: *Romanam Eccleſiam eſſe aliis omnibus ſuperiorem, probatur ex frigidiſſimis Romanorum Pontificum decretis circa quadringentos annos natis, quibus adverſantur hiſtoriæ approbatæ mille, ac centum annorum, textus ſcripturæ divinæ, & Decretum Nicæni Concilii omnium ſacratiſſimi.* In diſputatione cum contenderet Ecchius Monarchiam in Eccleſia eſſe, reſpondit Lutherus ejus caput eſſe Chriſtum, non hominem: deinde propoſitiones Huſſii, & Wicleſi in Synodo Conſtantienſi damnatas probavit, & in diſputationis æſtu omnem primatum, tum Petro, tum Romanæ Eccleſiæ eripuit. In fine tamen primatum honoris concedit Petro, ſed nunquam Romanis Pontificibus: attamen in reſolutionibus propoſitionum Lypſiæ diſputatarum numero 15. primatum ejus admittit humano jure: *Si Romana Eccleſia*, inquit, *eſt prima propter primum Apoſtolum Petrum, eadem neceſſitate confitebuntur Compoſtellanam eſſe ſecundam propter Apoſtolum ſanctum Jacobum, & Epheſinum tertiam propter Apoſtolum tertium Joannem, & ſic per ordinem Apoſtolorum. At ordo iſte nunquid ſervatur? quo jure ergo ſolus Petrus facit primam Eccleſiam niſi humano?* Et ibidem: *Nec Papa Epiſcopis, nec Epiſcopus eſt Presbyteris ſuperior jure divino.* Unde Melanćthon in Epiſt. de diſput. Lypſica, *teſtatur quæſtionem fuiſſe, utrum jure divino probari poſſet œcumenici Pontificis auctoritas*, & poſtea, *Lutherus œcumenici Pontificis auctoritatem veneratur, ac tuetur, de jure divino diſputari voluit.*

VII. Idem Lutherus in Epiſtola ad Emſerum propius ad nos accedens. *Volo &*, inquit, *Romanum Pontificem eſſe primum omnium, verum eſſe Romanum Pontificem jure divino ſuperiorem nulla ratione credam.* At poſtquam damnatus eſt a Leone X. anno 1520. nullum jam ſervavit modum, ſed Pontificem paſſim Antichriſtum appellavit.

VIII. Zuinglius in Comment. ad Coloſſ. negat Papam dici poſſe caput Eccleſiæ, imo impoſſibile eſſe ait viſibilem hominem eſſe caput Eccleſiæ, cum ipſa ſit inviſibilis.

IX. Calvinus hac in re Lutherum, & Zuinglium ſecutus eſt lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 1. negat primatum, aut ex Chriſti inſtituto, aut ex Eccleſiæ veteris uſu ſumpſiſſe originem, & §. 8. Pontificem negat eſſe caput non ſolum principale, ſed & miniſteriale, cap. 7. §. 1. primatus Romanæ Eccleſiæ exordium Synodi Nicænæ Decreto tribuit. In aliis quoque operibus ut in lib. de vera Eccleſiæ reformatione, & in Harm. Evangelica ad caput 16. Matthæ: negat ea primatu Petri Romanæ Eccleſiæ primatum ſequi.

X. Eadem docent Calviniani, & Lutherani, qui ſi quem Pontifici Romano primatum tribuunt, illum quantum poſſunt extenuant, & referunt tantum ad humanas conſtitutiones.

XI. Huic oppoſitum plane callem inſiſtunt Theologi Romanæ Curiæ placitis nimium addicti, dum enim Pontificis primatum defendunt, ita eum extollunt, ut invidiam ipſi maximam conflent.

XII. Primo igitur aiunt Pontificem Romanum eſſe abſolutum Eccleſiæ Monarcham, & ita jure divino conſtitutum eſſe; Monarchiam autem hanc Eccleſiæ nulla Ariſtocratia, aut Democratia temperatam eſſe.

XIII. Secundo, dicunt Romanum Pontificem habere claves, & juriſdictionem immediate a Deo; ceteros autem Epiſcopos hanc a Romano Pontifice accipere.

XIV. Tertio, aiunt eum eſſe controverſiarum omnium de religione judicem ſupremum, appellationes univerſæ Eccleſiæ ipſi jure divino competere.

XV. Quarto, eum leges de novo condere poſſe, quæ univerſam Eccleſiam obligent.

XVI. Quinto, eum non modo debere præeſſe Conciliis omnibus, ſed etiam ſupra omnia Concilia eſſe, & a nemine judicari poſſe.

XVII. Sexto, iidem tribuunt Pontificibus jus ordinandorum ubique non modo Patriarcharum, & Metropolitanorum, ſed etiam Epiſcoporum.

Digitized by Google

XVIII. Septimo, Romanum Pontificem saltem ex cathedra loquentem infallibilem esse in judiciis suis de fide perhibent.

XIX. Octavo, ipsum esse Dominum totius mundi, dominio temporali, & habere potestatem deponendorum Regum, & fidelium a sacramento fidelitatis absolvendorum.

XX. Has, & alias ejusmodi incredibiles prærogativas Romanæ Ecclesiæ ejusque Episcopo deferunt Turrecremata, Sanderus, Bellarminus, Baronius, Lupus, & alii Curiæ Romanæ plus æquo addicti.

XXI. At ceteri Theologi, præsertim vero Galli, illi magni Leonis dicto obsequentes: *manet Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium.* De primatu Romanæ Ecclesiæ secundum hanc æquitatem judicant, nec eam extenuant cum hæreticis, nec nimium extollunt cum prædictis Theologis.

XXII. Primo itaque statuunt in Ecclesia jure divino esse quandam Monarchiam, hoc est, in ea primum esse Romanum Pontificem. Attamen ajunt Christum immediate, ac per seſe claves toti Ecclesiæ collectim sumptæ dedisse, & subjectum, ut loquuntur, immediatum potestatis Ecclesiasticæ non esse Papam, aut Prælatos, sed totam Ecclesiam; ita tamen ut per Prælatos jus clavium exerceatur, non per solum Pontificem, licet primus sit inter eos, qui jus illud habent. Hinc ajunt statum Ecclesiæ Monarchicum esse, regimen Aristocraticum, seu Ecclesiam Monarchiam esse Aristocratico regimine temperatam.

XXIII. Quod ad hunc primatum Pontificis Romani, aiunt illum esse de jure divino, quia scilicet Petrus a Christo Collegii Apostolici primus est institutus, eo consilio, ut ad hujus rei exemplum semper Ecclesia primum aliquem agnosceret Episcopum. Cum ergo constet Romanum Pontificem omnium primum semper habitum fuisse, haud dubium est, quin ad eum ille primatum Petri pervenerit. Hoc ipsum tradit Bellarminus, ubi sic ratiocinatur, lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. *Oportuit*, inquit, *Petro aliquem succedere in primatu Ecclesiæ, cum certum sit primatum hunc esse propter Ecclesiam: igitur moriente Petro interire non debuit primatus, sed subsistere debet, ac perseverare quandiu manet Ecclesia: atqui*, inquit, *quod iste Petri successor sit Romanus Pontifex facile probari potest, nullus enim est, nec fuit, unquam, qui se Petri successorem ullo modo asseruerit, vel pro tali habitus sit præter Romanum.*

XXIV. Unum habent, quod opponant Calviniani, talem successionem non esse ex Christi instituto: sic Amesius relatis his Bellarminus verbis. *Fundatur*, inquit, *iste primatus non in jure, sed in facto. Secundo, in facto, quod in scripturis non narratur. Tertio, in tali facto, quod non constituit jus divinum, sed humanum. Quarto, in tali facto, quod non videtur vim habere communicandi juris hujus, ut doctissimi Pontificiorum negant; nam Scotus* in 4. dist. 24. *Cordubensis* lib. 4. q. 1. *Cajetanus* de Primatu Papæ. *Bannes* in 2. quæst. 1. art. 10. *contendunt per accidens tantum conjungi Episcopatum urbis, & orbis, non jure divino Episcopus Romanus non sit successor Petri, sed possit eligi in successorem Petri Episcopus Parisiensis, aut quilibet alius.*

XXV. Ut huic respondeas duo sunt distinguenda cum Bellarmino; successio Romani Pontificis, & ratio successionis: successio est ex Christi instituto, ratio successionis non item, quia scilicet ex instituto Christi est aliquem esse primum in Ecclesia, at Romanæ urbis Episcopum esse primum, non est ex instituto Christi, sed ex facto Petri, & Ecclesiæ consensione, sicut Episcopos esse in Ecclesia est ex jure divino, & instituto Christi; verum licet non sit de jure divino Romanum Pontificem, quia Romanus est, esse primum de jure divino, est eum esse primum, quatenus succedit Petro; ut enim dicatur jure divino primus, sufficit ut habeatur successor Petri, cum ipsa successio in primatu Divi Petri (cuicumque tandem Episcopo competat) sit de jure divino, utpote cum in Ecclesia debeat semper aliquis ordo servari, ut a Christo institutum est: igitur dato quod Romanus Pontifex sit nunc fueritque semper habitus, ut successor Petri in primatu, nemo negare debet dici posse ipsum jure

Digitized by Google

jure divino primatum habere, & licet negaretur Romanum Pontificem Petro in Episcopatu succedere, negari tamen non posset eum succedere in primatu, ut antea probatum est. Porro si quæras, cur potissimum Romana Ecclesia sit electa, quæ primatum obtineret, responderi potest id factum, quia Romana urbs erat prima, nec alia congruentior ratio videtur reddi posse.

XXVI. Verum ut majorem his lucem afferamus, distinguenda sunt plura in Romano Pontifice. Primo, quod sit primus Episcoporum. Secundo, quod sit Metropolitanus, & Patriarcha. Tertio, quod aliquas habeat prærogativas, aliqua jura sibi peculiariter concessa. Quarto, quod habeat potestatem temporalem, in patrimonium sancti Petri. Primum habet, ut jam diximus, præsertim ex instituto Christi. Secundum, & tertium habet ex consuetudine, & Canonibus ob urbis, & Ecclesiæ dignitatem. Quartum partim ex donatione Pipini, & Caroli Magni, partim jure gentium, & præscriptionis more aliorum Principum politicorum. Ita optime Valentinianus in Novella, quam obtinuit. S. Leo potestatem Episcopi Romani a triplici capite repetit, a Petri merito, a dignitate Sedis Romanæ, & a Synodorum auctoritate. Sic etiam conciliantur invicem dicta Patrum, & Pontificum, quorum alii primatum suum, & prærogativas repetunt a Christi instituto, alii a constitutionibus, & decretis Synodorum, alii ab usu, & consuetudine. Conciliari item potest per ea, quæ tradidimus Græcorum sententia cum nostra. Denique istis rite explicatis, ac perpensis, facilior reddetur Heterodoxorum reditus ad Ecclesiam.

XXVII. Ex hoc primatu Romani Pontificis fluunt multæ prærogativæ, quæ ipsi non secus ac Primatui jure divino competunt.

XXVIII. Prima eaque potissima est curam habere, ut per universum orbem Canones observentur, utque fides illibata custodiatur. Atque ob id potestatem habere uti pœnis Ecclesiasticis per ipsos Canones statutis, & refragantes ad id compellere. Hoc autem privilegium habet Romanus Pontifex jure Primatus sui. Nam qui primus est, in aliqua societate, is lege naturali tenetur invigilare, ut leges societatis observentur, atque ut id procuret necessaria auctoritate debet esse instructus. Hinc summi Pontifices se se passim Canonum executores esse perhibent, & si qui ubique terrarum, fidem, aut disciplinam Ecclesiasticam Canonibus sancitam violassent, statim adversus eos primi insurgebant, & malum in ipso exordio auctoritate sedis Apostolicæ, si fieri posset comprimebant. At si pertinacius esset malum, nec tantæ Sedis judicio posset omnino extingui ob contumaciam Hæreticorum vel Schismaticorum, cum necesse sit hoc in casu Concilium generale universam Ecclesiam repræsentans congregari, nemo dubitare potest quin secundo loco Romanus Pontifex vi Primatus sui potuerit ad hujusmodi Concilium Episcopos convocare, ut infallibili ejus auctoritate, controversia terminaretur. Verum equidem est prima Concilia generalia ab Imperatoribus esse convocata, sed sæpe sæpius Imperatores id fecerunt ad preces Romanorum Pontificum, qui eo recurrebant, ut facilius ac promptius Episcopi congregarentur, sed dubium esse non potest, quin ubi fidei, vel disciplinæ periculum imminet, nec jam unius Romani Pontificis auctoritas ad comprimenda Ecclesiæ dissidia sufficit, dubium, inquam non est quin hoc in casu Romanus Pontifex classicum canere possit, & vi Primatus sui cunctos Episcopos ad Synodum generalem vocare, atque in eos si legitime vocati adesse renuerint, velut in Ecclesiæ desertores excommunicationis ferre sententiam.

XXIX. Tertio licet Romani Pontificis definitiones de fide, & moribus non sint omnino infallibiles, sunt tamen magni apud omnes momenti, & universam spectant Ecclesiam. Atque hinc singulæ privatim Ecclesiæ magnam ejus definitionibus reverentiam præstare debent, nec possunt pro libito eas vel contemnare, vel rejicere.

XXX. Quarto, licet Romanus Pontifex, non sit solus omnium controversiarum judex, sunt tamen ejus præcipue in judicando partes nec quidquam in Ecclesia magni momenti definiri par est, quod non

ad

Digitized by Google

ad ipsum referatur, vel de quo non consulatur. Innumera sunt ejusmodi relationum, & consultationum, ut ita loquar, exempla, quæ alias retulimus, nec hic repetere necesse est.

XXXI. Quinto, Theologi nostri censent Romanum Pontificem a legibus a Conciliis etiam generalibus latis sapienter dispensare posse eo in casu, quo Concilium ipsum dispensaret, nec non agnoscunt ipsum leges Generales posse condere, & toti Ecclesiæ observandas proponere, sed quæ vim habeant, nisi sint promulgatæ, & receptæ communi omnium consensu.

XXXII. Sexto, ajunt προεδρίαν in Conciliis ipsi quidem ex convenientia deberi sed non ex necessitate, quandoquidem tribus primis Conciliis generalibus non præfuit, negant porro illum esse supra Concilia, aut a nemine judicari posse, quin imo contrarium diserte affirmant, & probant ex ipsorum Pontificum exemplis.

XXXIII. Septimo, probavimus in dissertatione præcedenti jus ordinationum Pontificem non habuisse extra Patriarchatus sui limites.

XXXIV. Octavo, Pontificem infallibilem esse negant, & de facto plures erasse contendunt.

XXXV. Nono, contendunt ipsum œcumenicis Conciliis inferiorem esse, & ab ipsis judicari, ac deponi posse.

XXXVI. Decimo, execrantur illorum sententiam, qui asserunt Pontificem jus habere deponendorum Regum, & subjectorum a sacramento fidei absolvendorum, regnorumque aut transferendorum, aut cuilibet occupanti tradendorum.

XXXVII. Sunt & alia quædam privilegia, quæ sibi arrogant Romani Pontifices, quæ ex istis fluunt, quæ illi pariter non agnoscunt: ut quod solus Papa possit deponere Episcopos, quod falsissimum est, & innumeris exemplis refellitur: quod necesse sit Concilia ab ipso confirmari, ut robur habeant, quod pariter falsum esse docent prima Concilia, quæ a Pontificibus confirmata minime sunt. Item quod solus jus habeat ea convocandi, quod adeo falsum est, ut octo priora Concilia ab Imperatoribus convocata esse constet (*). Hæc sunt, quæ nostri præsertim Theologi ad Primatum Pontificis Romani pertinere negant: vide de his Gersonem in tractatu de potestate Eccles. de Auferibilitate Papæ, de statibus Eccles. de pace, & in articulis contra Petrum de Luna, Petrum de Alliaco in tract. de Ecclesiæ auctoritate, Jacobum Almainum tract. de Dominio naturali, civili, & Ecclesiastico, de auctoritate Ecclesiæ, de potestate Ecclesiastica, & laica, Joannem majorem disput. de auctoritate Concilii supra Pontificem, & in 4. dist. 24. & post hos Richetium tract. de Eccles. & politica potestate in Apolog. pro Gersonio, & in historia octo Conciliorum generalium nuper edita, Simonem Vigorium in responsione Synodali, & in libro gallice edito, cui titulus *De l' état & gouvernement de l' Eglise*, Joannem Launoium in Epistolis, variisque tractatibus, Petrum de Marca in libro de concordia, assertiones Parisiensium Theologorum, & censuram eorumdem in Vernantium cum ejus assertione, librum de antiquis, & majoribus Episcoporum causis, librum Gerbasii Doctoris Parisiensis de eodem argumento, & alios.

XXXVIII. Eadem nos post tot graves, ac summos Theologos de Primatu, & prærogativis summi Pontificis asserere non dubitamus, & jam ex iis nonnulla probavimus, cetera fuse deinceps probabuntur.

DE

(*) Et facto, quod Imperatores aliquando Concilia generalia Orientalia convocaverint, haud læditur jus, quod in R. Pontifice modo ipsemet Auctor agnovit: scilicet *Vi Primatus sui cunctos Episcopos ad Synodum generalem vocat &c.* Tum alibi Imperatores *ex sententia Sacerdotum* Synodos generales aliquando convocasse tradit.

Digitized by Google

DE
ANTIQUA ECCLESIÆ
DISCIPLINA

DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO QUINTA.

In qua probatur Romani Pontificis judicium non esse irreformabile.

PRÆLOQUIUM.

CUM ea communis sit omnium hominum conditio, ut multis ac variis erroribus sint obnoxii, nullum præstantius mortali cuiquam munus a Deo concedi potest, quam ut aliquibus in rebus falli non possit, præsertim vero in iis, quorum cognitio, licet necessaria, rationis tamen viribus haberi non potest: Hinc nullum majus Romanis Pontificibus privilegium tribui potuit, quam certum, & infallibile in rebus fidei definiendis judicium; sed quo majus, & excellentius est istud donum, eo diligentius cavendum est, ne illud temere ac sine fundamento ipsis adscribamus: nam præterquam quod indignum est alicui auctoritatem eam, quæ ipsi non competit tribuere, nihil magis periculosum, quam eum, qui possit errare infallibilem credere: si enim contingat eum de facto errare, necessario in errorem ducuntur, qui eum deficere minime posse arbitrantur, cum ei auctoritati, quæ putatur infallibilis, adhærendum omnino sit. Igitur Romani Pontificis infallibilitatem credere nemo debet, nisi tam perspicue demonstretur, ut nullus dubitationi superst locus. Nam nisi omnino certum sit eum esse infallibilem, qui potest ejus judicium pro certo & infallibili haberi? Quippe si probabile tantum est Pontificem esse infallibilem, potest id etiam esse falsum; quod si falsum id esse potest, potest in particulari judicium quodlibet Papæ esse falsum: Quomodo ergo dicetur infallibile judi-

judicium, quod potest esse falsum? Itaque qui Pontificis defendunt infallibilitatem, tenentur apertissime demonstrare istud privilegium ei a Deo concessum esse, hoc autem aliter probare non possunt, quam ex scriptura, & traditione: quare si ex neutro capite palam, & aperte id ostendant, actum est de illa infallibilitate Pontificia.

II. Porro, qui Pontificis Romani infallibilitatem propugnant, non id sibi volunt Romanos Pontifices prorsus, & quocumque in casu esse infallibiles: imo fatentur eos non secus ac ceteros mortales sæpe errare ac decipi; sed tunc eos errare non posse perhibent, *cum ex Cathedra* loquuntur, quæ vox antiquis omnibus Theologis hoc in negotio ignota a recentioribus est excogitata.

III. At quamvis omnes infallibilitatis Pontificiæ assertores de ea conveniant, in ejus tamen sensu assignando multum a se invicem discrepant: quibusdam loqui ex Cathedra, idem est ac cum Concilio loqui; sed isti non tam videntur infallibilitatem Pontifici tribuere, quam Concilio. Aliis ex Cathedra loqui, idem sonat ac secundum scripturam, & traditionem loqui; quæ quidem expositio nihil magis tribuit Pontifici, quam cuilibet alii; certum enim est eum non errare, qui secundum scripturam, & traditionem loquitur: Sed illud quæritur quomodo, & an certo sciri possit Pontificem secundum scripturam, & traditionem loqui? quod si cuilibet examinare liceat, ruit profecto infallibilitas illa Pontificia. Alii sic explicant, illud ex Cathedra loqui, ut idem sit ac loqui re mature, & diligenter examinata. Vulgatissima expositio verborum istorum, quam Cajetanus, Bellarminus, Duvallius, & alii subministrant, hæc est, Pontificem loqui ex Cathedra, cum circa fidem, aut bonos mores Ecclesiam docet, sed nec ista nodum plane solvit; ulterius enim quæritur unde cognoscatur, utrum Ecclesiam doceat, universam, an vero ut privatus loquatur. Hic eis aqua hæret; quidam dicunt Pontificem tunc censeri Ecclesiam docere, cum decretalem condit, alii cum consultus respondet; nonnulli cum Bulla ejus certo tempore ad valvas S. Petri affixa est, quo nihil ineptius dici potest. Ceterum inde colligitur quanta sit eorum, qui Pontificem Romanum infallibilem esse docent in sua opinione tuenda anxietas, & inconstantia ex qua de ejus falsitate præjudicari quodammodo potest: Enimvero ut certi esse possimus de infallibilitate judicii alicujus a Romano Pontifice lati, debemus habere certam regulam, per quam manifeste cognoscamus hoc illorum de numero esse, quæ necessario infallibilia sunt; at nondum de ejusmodi regula convenit inter eos ipsos, qui Pontificem infallibilem esse prædicant; sed hi quidem unam, alii vero aliam conditionem ad certitudinem alicujus judicii Pontificii requisitam esse contendunt, ac proinde necesse est judicium illud in dubium ab aliquibus revocari, quod ab aliis pro certo, & infallibili habebitur.

IV. Quomodo ergo quisquam potest esse certus hoc vel illud judicium de numero infallibilium esse, cum secundum aliquos in dubium revocari possit, secundum alios de eo dubitare sit nefas: ergo hic ἐπέχειν oportet, & neutrum judicium pro infallibili habere: Sed his præmissis, Romanos Pontifices, aut solos, aut cum sua Romana Synodo etiam cum ex Cathedra loqui perhibentur, in judicando falli posse ostendamus.

V. Ad hoc autem sufficeret adversæ opinionis argumenta refellere, quia ipsorum est (ut observavimus) probare ex scriptura, & traditione Pontificem Romanum inerrantiæ privilegio gaudere; quapropter satis nobis esse, argumenta, quibus id suadere conantur, inania demostrare, nec opus foret rationibus, & exemplis docere Pontifices in definiendo errare posse, & de facto erravisse, sed quia non nocet (ut loquuntur) abundantia juris, utrumque nos, Deo dante, præstabimus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

In quo oſtenditur Romanos Pontifices non eſſe in judicando infallibiles.

§. I.

Docetur id ex ſcriptura.

(*) ET primum quidem Pontificem Romanum infallibilem non eſſe, colligitur ex ſcriptura: nam Galatarum 2. v. 14. Petrus a Paulo reprehenſibilis fuiſſe perhibetur, accuſaturque ab eodem, quod non recte ad Evangelii veritatem ambularet, quodque gentes auctoritate ſua ad judaizandum impelleret. Jam vero ſi potuit Petrus adverſus veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia ſecuta eſt, cogere gentes ad judaizandum (ut obſervat Auguſtinus) cur non potuerunt Petri ſucceſſores contra veritatis regulam aliquid aut docere, aut faciendum præſcribere? hæc vero ratio non a nobis primum inventa eſt, ſed ab Auguſtino centies inculcata: is enim ex hoc loco ſæpius concludit nullum omnino Epiſcopum, nullam Synodum Provincialem eſſe infallibilem. Sic lib. 2. de Baptiſmo c. 1. ita ratiocinatur.

II. *Si quiſquam nunc cogat circumcidi aliquem more Judaico, & ſic baptizari, multo amplius hoc deteſtatur genus humanum, quam ſi aliquis cogatur rebaptizari; quapropter cum Petrus illud faciens a Paulo poſteriore corrigitur .... quanto facilius, & fortius quod per univerſa Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel unius Epiſcopi auctoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum eſt.* Ante Auguſtinum vero Cyprianus idem ex iſto Apoſtoli Pauli facto intulit in Epiſt. ad Quintum: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de Circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari a novellis, & poſteris ſibi potius oportere, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat facile conſenſit, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando a fratribus, & collegis noſtris utiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima noſtra potius ducamus.* Ex quibus conficitur exemplo Petri doceri Epiſcopos omnes, nullo excepto, in errores prolabi poſſe, & ab aliis emendari. Id vero ad Romanos etiam Pontifices pertinere docet Pelagius II. in Epiſt. ad Iſtriæ Epiſcopos: *Debet*, inquit, *perpendere veſtra dilectio, quia prædeceſſorum noſtrorum in hac cauſa (trium capitulorum) conſenſus tanto poſt inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus inſudavit: ſed his inſuper factum Petri, qui & Paulum ſuperat veſtra fraternitas ad memoriam reducat, diu quippe reſtitit, ne ad fidem gentes ſancta Eccleſia ſine circunciſione reciperet; diu ſe a converſarum Gentium communione ſubtraxit, Paulo atteſtante, qui ait, cum veniſſem Antiochiam in faciem ei reſtiti, &c. qui tamen ab eodem Paulo poſtmodum ratione ſuſcepta, dum quoſdam conſpiceret, qui Gentiles ad Eccleſiam venientes pondere ſervandæ circumciſionis onerarent: dicit cur tentatis Deum, imponentes jugum cervicibus diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus, nunquid, fratres dilectiſſimi, Petro Apoſtolorum Principi ſibi diſſimilia docenti debuit ad hæc reſponderi. Hæc quæ dicis audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti. Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud cum veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate di-*

(*) Argumenta, quæ ad ſuam ſententiam adſtruendam in hac diſſertatione congerit Auctor non omnia ejuſdem ſunt roboris. Non vacat in ſingula inquirere; etenim de eodem iſthoc capite fuſe agunt Theologi Clariſſimi. Ceterum ipſemet Auctor fatetur pag. 336. *Romani Pontificis definitiones de fide, & moribus magni eſſe apud omnes momenti, & univerſam ſpectare Eccleſiam. Atque hinc ſingulæ privatim Eccleſiæ magnam ejus definitionibus reverentiam præſtare debent.*

Digitized by Google

ctum eſt, cur mutatio ſententiæ huic ſedi in crimine objicitur, quam cuncta Eccleſia in ejus auctore veneratur.

§. II.

Idem probatur ex veteris Eccleſiæ diſciplina.

SEcundo, idem conficitur ex diſciplina Eccleſiæ in judicandis cauſis Eccleſiaſticis in alia diſſertatione a nobis expoſita, ex ea etenim luculenter demonſtratur ignotum fuiſſe per decem, & amplius ſæcula illud non errandi privilegium, quod Romano tribuitur Epiſcopo, nam ut abunde ibi probatum eſt, non pauca etiam de fide olim lata ſunt judicia, inconſulto Romano Pontifice, nec habitus eſt ille ſummus controverſiarum judex: Sed ſæpe ſæpius judicia ab ipſo lata in Conciliis præſertim œcumenicis, iterum examinata, & retractata ſunt: jam vero ſi extra controverſiam tunc fuiſſet Romani Pontificis infallibilitas, an credibile eſt ceteros Epiſcopos quidquam judicaturos fuiſſe abſque illius conſenſu, & auctoritate, aut aliquid ab ipſo judicatum retractaturos fuiſſe. Nam poſito quod infallibile ſit aliquod judicium, abſurdum eſt cauſam in eo terminatam iterum examinare, & judicare. Quid ergo neceſſe erat totius orbis Epiſcopos fatigari? Quid opus Eccleſias Paſtoribus orbari ad cogenda Concilia, quorum judicium non pluris fieri deberet, quam unius Romani Epiſcopi? nam e duobus infallibilibus judiciis, unum pluris altero fieri non poteſt, nec duo infallibilia judicia majorem habent auctoritatem quam unum; quod enim infallibile eſt omnem omnino meretur fidem, nec quidquam huic certitudinis ex illo judicio, licet infallibili accedit.

II. Verum id argumentum, quod ineluctabile eſt, majorem etiam lucem accipit ex his controverſiis, quas nonnulli Epiſcopi maxime Catholici cum Romanis Pontificibus habuerunt; nam ſi Romani Pontificis infallibilitas in judicando ab omnibus Catholicis tum fuiſſet agnita, ceteri Epiſcopi Catholici illius procul dubio judicio ceſſiſſent, & ab eo diſſentire nefas eſſe duxiſſent: ſic, verbi gratia, ſi tempore Victoris Romani Pontificis judicium infallibile habitum fuiſſet, ei non reſtitiſſent, non modo Aſiatici, ſed nec Iræneus, & ceteri orbis Epiſcopi, qui in illorum communione contra Romani Pontificis ſententiam permanſerunt. Similiter ſi tempore Stephani compertum fuiſſet Romanum Pontificem errare non poſſe, Cyprianus, & Africani Præſules, necnon Dionyſius, & alii Orientis Epiſcopi in Stephani ſententiam pedibus iviſſent, nec diſciplinam ſuam contra ejus auctoritatem mordicus retinuiſſent: & certe S. Auguſtinus hac de re agens, ſupponit eos illæſa fide, & charitate a Stephano diſſenſiſſe, quia res nondum fuerat ſupremo judicio, & infallibili determinata. *Fuit*, inquit lib. 2. de Bapt. c. 5. *aliquando de Baptiſmo dubitatio, qui diverſa ſenſerunt in unitate manſerunt, ea dubitatio procedente tempore perſpecta veritate ſublata eſt.*

III. Jam vero ſi Romani Pontificis judicium tempore Auguſtini habitum fuiſſet indeficiens, nonne Stephani judicio veritas perſpecta, & ſublata quæſtio dici debuiſſet?

IV. Denique ut alia mittam tempore Baſilii Magni judicium Romani Pontificis, etiamſi cum Epiſcopis Occidentalibus ſentiret, non habebatur infallibile. Nunquam enim ille (Baſilius) aut ceteri Orientales tres hypoſtaſes rejicere voluerunt, & eos probare, qui unam dicebant hypoſtaſim; quamvis id maxime urgerent cum Romano Pontifice Occidentales, nec alia conditione cum Meletio communionem habere vellent, quorum propterea typhum Baſilius acriter reprehendit.

V. Confirmatur idem ex Romanis Pontificibus, qui ad cauſas Eccleſiaſticas finiendas, Synodos petierunt convocari: ſic Liberius ad Athanaſii cauſam judicandam Synodum petiit a Conſtantio, Damaſus, & Occidentales petierunt Synodum fieri univerſalem ad res Orientis componendas. Siricius Bonoſum ad Concilium remiſit judicandum. Innocentius petiit Synodum fieri ad cauſam Chryſoſtomi examinandam. S. Leo ad Eutychis cauſam retractandam, reſcindendumque latrocinii Epheſini decretum,

Digitized by Google

tum, Synodum universalem necessariam esse duxit. Mitto alios innumeros: quod si Romani Pontifices se in judicandis rebus fidei, aut morum infallibiles esse præsumpsissent, nunquam illas Synodos fieri petiissent, sed judicium suum veluti supremum, & infallibile interposuissent.

VI. Confirmatur item hæc ratio multis Augustini testimoniis, in quibus asserit nullius Episcopi, aut etiam Synodi Provincialis judicium esse infallibile. Sæpissime id habes in libris ejus de Baptismo, cum observat nec Stephani, nec Cypriani judicio quæstionem de rebaptizatione hæreticorum fuisse terminatam, sed universalis Concilii, ac totius Ecclesiæ judicio. Hinc ibidem aperte pronuntiat omnes omnino Episcoporum litteras, & omnia omnino Concilia Provincialia, ne exceptis quidem Romanis, emendari posse a Conciliis majoribus. Speciatim vero hanc regulam Romano Pontifici ejusque Synodo adaptat, lib. 2. ad Bonifac. c. 3. cum enim jactarent Cælestiani Romanum Pontificem Zosimum Cælestii dogma approbasse, respondet primo Cælestium Zosimo imposuisse: deinde vero hæc addit. *Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Cælestio, & Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* Siccine loqueretur Augustinus, si credidisset Romanum Episcopum cum suo Clero non posse a fide deficere? Ceterum tunc temporis adeo persuasum erat Episcopis Africanis Romanum Pontificem non esse in judicando Spiritus sancti adjutorio infallibilem, ut non dubitent id veluti certum proponere: *nisi forte*, inquiunt, *quisquam est, qui credat unicuilibet nostrum posse Deum inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Unus ille Episcopus, non alius est, quam Romanus, ad quem hæc verba diriguntur,

VII. Eadem est ferme sententia Concilii 5. generalis collat. 8. tom. 5. Concil. colum. 562. & 563. unde hæc exscripta sunt,

VIII. *Licet Spiritus sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi definire, priusquam communiter congregati, divinarum scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt, unde communiter de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes, visum est Spiritui sancto, & nobis: sed & sancti Patres, qui per tempora in sacris quatuor Conciliis convenerunt, utentes communiter de exortis hæresibus, & quæstionibus dispositionibus certo constituto, quod in communibus de fide disputationibus, cum proponantur ex utraque parte, quæ discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii: nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget.* Ex quibus cernere est istius Concilii Patribus fuisse persuasum veritatem alibi definiri non posse quam in Conciliis generalibus, nec ab ullo privato Episcopo etiam Romano quidquam circa fidem decerni posse, quod ita certum sit ac ea, quæ in Conciliis definita sunt.

§. III.

Idem probatur exemplis Romanorum Pontificum, qui de facto a fide, & veritate deviarunt.

TErtio, Pontificem Romanum indefícientis judicii privilegio non gaudere ad oculum demonstratur exemplis Romanorum Pontificum, quos in quæstionibus fidei, aut morum etiam consultos, & decretalibus Epistolis Ecclesiam docentes, & proinde, ut loquuntur, ex Cathedra loquentes, a veritate deviasse certum est.

II. Primus est Eleutherius seu quisquis alius Romanus Pontifex, quem testis est Tertullianus in lib. contra Praxeam litteras pacis misisse ad Montanistas, & eas postea revocasse: verba Tertulliani hæc sunt. *Nam idem Praxeas tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitio-*

Digitized by Google

ne pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & eorum Ecclesiis asseverando, & prædecessorum ejus auctoritates defendendo; coegit litteras pacis revocare jam emissas, & a proposito recipiendorum charismatum concessare. Fuit ergo tunc temporis Romanus Pontifex, qui novas Montani prophetias approbavit, & per litteras Montanistis communionem impertiit, quas, errore cognito, revocare coactus est.

III. Secundus est Victor, qui temere in Asianos Episcopos sententiam excommunicationis tulit, & ideo acerbe reprehensus est a ceteris Episcopis, ut ex Eusebio liquet. Quamvis autem res ista disciplinæ tantum fuerit, nihilominus tamen graviter erravit, iste Pontifex, qui ob rem, tam parvi momenti totum orbem laceraſſet, nisi ceterorum Episcoporum prudentia hujus temeritatem correxisset.

IV. Tertius est Stephanus, qui in oppositum Cypriano errorem videtur incidisse, docens quoslibet hæreticos a quacumque hæresi venientes sine iterato Baptismo suscipiendos, quo omnium omnino hæreticorum baptismata, sive in nomine Trinitatis, sive secus collata approbavit: ita certe mentem ejus intellexerunt Cyprianus, & Firmilianus, ejusque verba, id omnino sonant: adde quod omnes fere hæretici, qui tunc exorti erant, exceptis Novatianis, de quibus nondum erat quæstio, cum Trinitatem non agnoscerent, in Trinitatis nomine minime baptizabant, sed in baptismate absurdis utebantur quibusdam formulis, ut videre est apud Irenæum. Cum ergo omnes, aut fere omnes hæretici, qui a Christo ad Stephanum usque exorti erant, in Trinitatis nomine minime baptizarent; Stephanus autem a quacunque hæresi venientes sine iterato baptismo susceperit, quid aliud inde inferri potest; nisi eum illorum, qui in Trinitatis nomine minime baptizabant, rata habuisse baptismata, qui error est Cypriani errori oppositus, quem tamen ille, ita acriter defendit, ut Cyprianum, & alios aliter sentientes a communione Ecclesiastica summovere sit conatus.

V. Quartus est Liberius, qui non tantum Athanasii damnationi, sed & fidei formulæ hæreticæ subscripsit: quænam autem, ista fuerit fidei formula, cui subscripsit, hic ego inquirere nolo. Unum hoc mihi ad propositum sufficit, antiquos pro certo habuisse Liberium hæreticæ fidei formulæ subscripsisse, & Arianæ perfidiæ consensisse. Hoc autem manifestum est, ex Hilarii testimonio, qui sæpius in fragmentis formnlam illam, cui subscripsit, Arianam perfidiam vocat, atque identidem Liberio anathema dicit: unde patet eam formulam, cui subscripsit Liberius, primam non esse Sirmiensem, utpote quam Hilarius defendit, ac velut Catholicam exponit. Similiter Hieronymus in Chronico scribit Liberium hæreticæ pravitati subscripsisse, atque omnes antiqui uno ore de lapsu Liberii, velut de apostasia a fide loquuntur, & sane, ita verum est hæreticam fuisse formulam, cui subscripserat in exilio Liberius, quæque ipsi a Demophilo fuerat oblata, ut hujus subscriptionis occasione Ætiani sparserint in vulgus Liberium dissimilem Patri Filium agnovisse, quæ res movit eos, qui Semiariani dicebantur, ut ab eo Sirmium reverso exigerent, ut Filium Patri natura similem scripto profiteretur. Nam bis subscripsit Liberius, primum quidem in exilio fidei formulæ sibi a Demophilo oblatæ, quæ quidem procul dubio Ariana prorsus erat, nam Demophilus Arianam hæresim palam profiteri non verebatur: huic autem cum subscripsisset, scripsit ad Orientales litteras obtestans eos, ut quoniam in omnibus Demophilo, & Orientalibus consenserat, apud Imperatorem efficiant, ut ab exilio revocetur, & ad Ecclesiam suam redeat. Evocatus itaque Sirmium Liberius occurrit ibi Synodi Ancyranæ Legatis, qui quoniam Ætiani in vulgus sparserant, Liberium Filium Patri dissimilem profiteri, eo quod consubstantialis vocabulum damnasset, ab eo exegerunt, ut tomo formularum subscriberet, utque Filium natura Patri similem profiteretur. Ita rem narrat Sozomenus lib. 4. Hist. c. 15. cui consentiunt antiqua monumenta, quæ reperiuntur in fragmentis Hilarii, unde liquet Liberium ab hæresi liberari non posse.

VI. Quintus est Zosimus, qui Cælestii hære-

hæretici libellum Catholicum esse pronuntiavit, eumque datis ad Africanos litteris comprobavit: nam etsi errorem Cælestii non approbaverit Pontifex, attamen ejus de peccato originali dubitationem procul dubio approbavit; ita Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 3. *Quænam tandem*, inquit, *querela venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit, credi oportere sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci, nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit, sed cum hoc Cælestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se dubitare, & instrui velle confessus est in homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est, & propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia, & hoc Catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.* Ita primum Augustinus excusare conatur factum Zosimi probantis libellum Cælestii, qui dubitationem de peccato originali præferebat. Deinde vero huic responsioni parum fidens hæc addit. *Sed si*, quod absit, *tunc fuisset de Cælestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda, & tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Clericis Romanis inurenda.* Hæc Augustini responsio nodum plane solvit, necnon Pontificem, & Ecclesiam, quæ Romæ est, a fide majorum deficere posse supponit.

VII. Sextus est Honorius, qui a Sergio Patriarcha consultus Monothelitarum errorem decretali Epistola definivit, & propterea a Synodo sexta œcumenica non semel anathemate percussus est, nec tantum damnatur, ut fautor hæreseos, sed ut illius reus & ex Epistola convictus sic act. 13. damnatur ejus Epistola, ut contraria rectæ fidei, & hæreticorum doctrinæ consentanea p. 944. his verbis: *Retractantes Dogmaticas Epistolas, quæ tanquam a Sergio scriptæ sunt tam ad Cyrum, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ. Similiter, & Epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam ad eundem Sergium, hasque invenientes alienas existere ab Apostolicis Dogmatibus, & a definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus:* Si quis ab hæresi excusare velit Epistolam Honorii, is pariter Epistolas Sergii potest excusare, deinde de Honorii Epistola non secus ac Sergii dicitur, *quod aliena existat ab Apostolicis Dogmatibus, & a definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, & quod sequatur doctrinas hæreticorum.* Nec est quod dicat Garnerius hic mentionem nullam esse de una Christi voluntate, sed tantum generatim de falsis doctrinis; agebatur enim in illa Synodo tantum de Monothelitarum dogmate: cum ergo Epistola Honorii jungitur Epistolæ Sergii, & ambæ damnantur quasi abhorrentes ab Apostolicis Dogmatibus, de alio Dogmate id non potest intelligi, quam de una Christi voluntate. Nam quod addit Garnerius, abhorrere Epistolam Honorii a doctrina Apostolorum, non in fide sicut Epistolam Sergii, sed in constantia, & fortitudine, a mente verbisque Synodi prorsus abhorret, nec quisquam cordatus huic unquam assentietur expositioni, eamque refellit id, quod sequitur in eodem loco, ubi Patres ita loquuntur. *Cum his vero simul projici a vultu Dei Ecclesia Catholica, simulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sint ad Sergium, quia in omnibus mentem Sergii secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Hinc p. 972. Epistolæ Honorii lectæ in Concilio: *Non secus ac ceteræ chartæ, & litteræ hæreticorum igni addicuntur, eo quod, inquiunt Patres, cognovimus in unam ipsam, eandemque impietatem tendere, cum scriptis hæreticorum*, Act. 8. pag. 1024. ait Synodus, dæmonem per organa sua, id est, *Teodorum, Sergium, Pirrhum, Paulum, Honorium, & Cyrum, atque Marcianum, & Stephanum Ecclesiæ continenter erroris scandala excitare, unius voluntatis, & operationis in duabus naturis Christi hæresim in populum spargendo.*

VIII. In Prosphonetico ad Imperatorem eadem

eadem actione pag. 1033. anathematizatur Honorius cum ceteris hæreticis: *Utpote*, inquit Synodus, *qui eos in omnibus ſecutus eſt*. Mitto alia loca innumera, in quibus Honorius una cum ceteris Hæreticis anathemate percutitur, nulla facta mentione cur damnetur, quod vel unum ſufficeret ad probandum cum fuiſſe hæreticum.

IX. Quantum vero iſtud argumentum adverſarios premat, ex eo videre eſt, quod Baronius vir acerrimi judicii non alia ratione ſeſe ab eo expedire poſſe judicavit, quam ſcribendo acta Concilii eſſe adulterata: Sed hujus opinionem nunc omnes rident, & actorum his in locis γνησιοτητ nullus non agnoſcit: Quapropter alii eo confugiunt, ut dicant Honorium fuiſſe damnatum non ut hæreticum; ſed tantum eo quod hæreſim naſcentem negligendo, ac connivendo foverit. Verum ſi hæc fuiſſet Concilii mens, cur nunquam Honorium a ceteris hæreticis diſtinxiſſet, cur ubique eodem anathemate iiſdem verbis, tum illius perſonam, tum ejus Epiſtolas confixiſſet: durum id, & odioſum, diverſis longe criminibus eandem pœnam infligere. Quid quod verba Concilii hunc ſenſum habere non poſſunt, quis enim patiatur de eo, qui hæreſi non conſenſerit, ſed tantum illam, non ea qua par eſt diligentia compreſſerit, illa dici, quæ de Honorio ſexta Synodus habet, *quod ejus epiſtola ſit contraria Apoſtolicis dogmatibus, quod ſequatur doctrinas hæreticorum, quod per ſcripta inveniatur mentem hæreticorum in omnibus ſequi, & impia dogmata confirmare, & in unam eandemque impietatem tendere, unius voluntatis, & unius operationis hæreſim in vulgus ſpargere*, & alia ſimilia, quæ dici non poſſunt, niſi de eo, qui hæreſi plane conſentit. Maneat ergo perſuaſum fuiſſe ſextæ Synodo Honorium in ſuis Epiſtolis hæreſim Sergii aperte docuiſſe.

X. Ipſæ vero Epiſtolæ ſi legantur hæreſim Monothelitarum omnino ſapiunt, nam in iis Honorius unam profitetur Chriſti voluntatem, & de duplici Chriſti operatione, aut voluntate ſileri vult, & quod Monothelitarum præcipuum erat dogma, totiuſque hæreſeos principium, *dicit Jeſum operatum eſſe divina, media humanitate, & humana plene a divinitate*; Nam Monothelitæ aiebant humanam in Chriſto naturam eſſe divini verbi inſtrumentum, quod tantum ageretur: Excuſatur equidem Honorius eo quod rationem reddens cur unam dicat voluntatem, excludere tantum videatur eam, quæ ex originis vitio in nobis eſt: Verum hac etiam ratione utebantur Monothelitæ, ſtatuentes omnem voluntatem humanam ex peccato eſſe, & ad peccatum eſſe proclivem: Unde non mirum ſi Honorius ut probaret voluntatem humanam in Chriſto nullam eſſe, hanc rationem reddit, *Quia a divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*. Et licet Joannes, ac Maximus aliter ejus verba interpretentur, ſic tamen illa intellexit totus Oriens, imo & ipſa Eccleſia Romana, quæ in veteri Breviario in feſto Leonis II. hæc ad tertiam quartamque lectionem legebat. *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata eſt .... in qua Synodo condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, necnon Macarius cum diſcipulo ſuo Stephano, ſed & Polychronius, novus Simon, qui unam voluntatem, & operationem in Domino Jeſu Chriſto dixerunt, vel prædicaverunt, &c.* nec vero pugnat cum iſtius Breviarii teſtimonio Leonis ipſius ſecundi auctoritas. Quem nonnulli putant Honorium eo tantum nomine accuſare, quod negligentia ſua errorem Monothelitarum foverit: Utrumque enim in Honorio reprehendi merito potuit, & quod a fide deviarit ipſe, & quod alios deviantes non correxerit; Utrumque dicit Leo II. Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, *necnon*, inquit, *& Honorium anathematizamus*, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina illuſtravit, ſed prophana traditione immaculatam maculari permiſit. Ita etiam Conſtantius in Edicto: *Anathematizamus qui novorum Dogmatum auctores, & fautores ſunt, Theodorum, Sergium, &c. atque etiam Honorium horum fautorem, adjutorem, & confirmatorem hæreſis, & alias ad hæc Honorius hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſibi ipſe pugnat, &c.* Ita non tantum Honorius hæreſim Monothelitarum naſcen-

Digitized by Google

naſcentem comprimere neglexit, non tantum Sergii, & aliorum hæreticorum perſonis favit; ſed & ipſius hæreſeos fautor, & confirmator fuit ex mente Leonis, & Conſtantini, quam perperam alio trahunt plerique, non diſtinguentes inter fautorem hæreticorum, & hæreſeos. Qui perſonæ tantum hæreticorum fautor eſt, poteſt non eſſe hæreticus, at qui fautor, & confirmator eſt hæreſeos, qualis fuit Honorius, is non poteſt non eſſe hæreticus: ruit ergo vana illa diſtinctio, qua ſola poteſt Honorius ab hæreſeos crimine cum nonnullo colore vindicari.

XI. Porro exemplum iſtud Honorii, & alia, quæ ſuperius adduximus, probant Romanos Pontifices etiam ut Pontifices; atque ut aiunt ex Cathedra loquentes erroribus obnoxios eſſe poſſe: nam in exemplis propoſitis cernere eſt eos conſultos univerſam Eccleſiam docentes litteris, & ſcriptis publicis animo definiendi emiſſis a veritate, & fide deviaſſe.

XII. Denique Joannis XXII. exemplum in medium poteſt adduci, qui Pontifex, tum prædicationibus publicis, tum etiam litteris, & ſcriptis, & legationibus conatus eſt ſuum de medio animarum poſt mortem ſtatu errorem in Eccleſiam univerſam inducere, & contrarium ſentientes a ſua opinione demovere. Rem ſic narrat Continuator Nangii ad annum 1333. *Hoc anno 1333. cum prædicatio, qua dictus Dominus Joannes Papa, in qua publice, ut ferebatur, dixerat, quod animæ decedentium in gratia non vident Deum per eſſentiam, nec ſunt perfecte beatæ uſque poſt reſurrectionem corporum (quod dictum multos ſcandalizaverat) tacebatur publice tamen apud Avenionem, ubi Papa tunc reſidebat, iſtud dictum a pluribus ab aliquibus, & maxime a quibuſdam Cardinalibus ob favorem, ab aliis propter timorem prædicti Pontificis. Nam quemdam fratrem Prædicatorem, qui contra iſtud dictum ſive errorem iſtum prædicaverat, in carcerem fecit poni: Pariſiis autem ut a magiſtris, & tota Theologiæ Facultate approbaretur, miſſi ſunt a latere ipſius Papæ duo Magiſtri in Theologia, qui ſibi in opinione ſua conſentiebant ..... ut Magiſtros Pariſienſes ad opinionem ſuam adducerent, ſed ita Dei gratia non contigit.* Narrat deinde quemadmodum hæc opinio ab illis propoſita fuerit Facultati; & repetit dein quomodo coram Rege a decem Magiſtris fuerit damnata; denique vocatos ait Rege omnes Magiſtros in Vincennas, miſſamque ab eo ad Papam Epiſtolam, qua mandatur, ut *ſententiam Magiſtrorum Pariſienſium teneat, qui melius ſcirent, quid deberet teneri, & credi in fide, quam Juriſtæ aut alii Clerici.*

XIII. Tum per litteras petiit Pontifex ut liceret Baccalariis utramque opinionem defendere, his acceptis tribus vicibus congregata Facultas opinionem Joannis improbavit, & vetuit eam defendi: Eadem habet Petrus Alliacus Cameracenſis horum fere oculatus teſtis ann. 1406. In oratione ad Regem: *Quand l'on traita l'erreur Joannis Papæ XXII. de Viſione beata Rex Franciæ, qui étoit au Bois de Vincennes, envoya par devers la Faculté de Theologie, non mie par devers l'Univerſité, & luy envoya-t'on a Vincennes la Faculté vingt-neuf Maitres, & l'appointement qu'ils firent, il l'executa, & manda lors Joanni Papæ 22. qu'il ſe revoquât, ou qu'il le feroit ardre.*

XIV. *Item Joannes Gerſo in ſerm. de feſto Paſchatis: propter quod inſuper appareret falſitas doctrinæ Papæ Joannis XXII., quæ damnata fuit cum ſono Buccinarum vel tubarum coram Rege Philippo.*

XV. Gobelinus Coſmodromii ætat. 6. cap. 71. *Joannes XXII. poſtquam ſenex effectus eſt deſipuit prædicans animas ſeparatas non videre eſſentiam divinam ante diem judicii, contra quem Thomas Walleis de Ordine Prædicatorum ſe exponens periculo propter fidem Catholicam publice pœdicavit; itaque propter hoc Papa miſit eum in carcerem, & ibidem fame cruciatus eſt. Papa anno 20. Ludovici in extremis conſtitutus ad inſtantiam quorumdam amicorum ſuorum prædictum errorem revocavit.*

XVI. Longius in Monaſterio Ciſtercienſis Chronic. *Thomas de Valas prædicavit Avenione contra Papam Joannem propter errorem ejus de cæcitate animarum.* Joannes antequam migraret e vita revocavit errorem, verba revocationis ſunt: *Et ſi forſan*

in

Digitized by Google

in prædictis sermonibus, collationibus aliqua diximus, quæ scripturæ sacræ quovismodo essent, vel viderentur obvia, ea revocamus expresse.

XVII. Ex his, & aliis, quæ huc afferri possent testimoniis constat Joannem XXII. non tantum in eo errore fuisse animas sanctorum beatitudine non frui ante judicii diem, sed etiam nihil non molitum esse, ut errorem istum tota Ecclesia, ac præcipue Gallicana amplecteretur; atque ob eam rem Legatos a latere cum litteris in Galliam misisse, & forte multos Gallos in eam sententiam traxisset, nisi Facultatis nostræ auctoritas obstitisset. Habemus ergo in isto Pontifice exemplum, quo manifeste probatur Papam Romanum etiam cum Ecclesiam docere intendit, errorem posse tanquam fidei dogma proponere, ac proinde ruit Romani Pontificis ex Cathedra loquentis, hoc est, Ecclesiam docentis infallibilitas.

§. IV.

Ex recentiorum Pontificum pugnantibus inter se definitionibus rejicitur infallibilitas.

VEritas cum una sit nunquam potest secum invicem pugnare, nec potest aliquo tempore falsum esse, quod aliquando verum fuit. Ubi ergo occurrunt Pontificum pugnantes inter se definitiones, necesse est ex iis alteram a vero esse alienam. Hoc autem Pontificibus recentioribus usu sæpe venisse, ut contraria definirent, haud ignorant qui in jure Canonico paulum versati sunt. Duo hujus rei exempla paulo vetustiora referuntur ab Almaino in tractatu de auctoritate Ecclesiæ his verbis: *Secundo*, inquit, *Innocentius III. & Cælestinus determinaverunt contraria super ista propositione: uno conjugum ad hæresim transeunte, alter qui remanet in fide, potest ad secunda vota transire, determinatio Innocentii III. quod non potest, ponitur in capite quarto de divortiis, determinatio Cælestini ut dicit Glossa in eodem capite olim ponebatur in Decretalibus de conversione conjugatorum in fine. Tertio*, pergit idem, *aliqui Pontifices statuerunt contra Evangelium, ut Pelagius, qui fecit constitutionem quod omnes Subdiaconi Siciliæ a suis uxoribus abstinerent, quas in minoribus ordinibus duxerant ut ab officio cessarent, quam quia erat iniqua, & contra Evangelium, retractavit Gregorius primus ejus successor, ut patet 31. distinct. c. ante triennium in textu, & Glossa: si enim potuerit judicialiter statuere contra Evangelium, ita & definire.*

II. Innocentius IV. in caput Presbyter de Sacramentis non iterandis, ait *formas Sacramentorum post Apostolos esse inventas, & ab Ecclesia ordinatas. De ritu inquit Apostolico invenitur in Epist. ad Timotheum, quod manum imponebant ordinandis, & orationem fundebant, aliam autem formam non legimus ab eis servatam, unde credimus, quod nisi essent formæ postea adinventæ, sufficeret ordinatori dicere: sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba: sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur Ecclesia ordinavit:* Hæc Pontificis hujus sententia adversatur Eugenii IV. definitioni, & vulgatæ scholasticorum opinioni.

III. Similiter Stephanus II. consultus respondens, & Decretalem condens, ac proinde ex Cathedra loquens de Baptismo in vino collato, sic statuit c. 11. Epist. *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso baptismo, nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ subjiciatur.* Hæc definitio adversatur contrariæ Eugenii IV. in responsis ad Consulta Bulgarorum sanctioni, & Ecclesiæ universæ disciplinæ.

IV. Aliud hujusmodi contradictionum in Romanis Pontificibus exemplum admodum facetum nobis subministrat Franciscanorum de paupertate contentio, quæ Pontifices quoque inter se commisit: quippe cum Franciscanis quibusdam venisset in mentem, omnem omnino rerum ad usum pertinentium proprietatem abjicere curarunt, ita Franciscí Regulam a Gregorio IX. anno 1230. explicarunt ut nulla omnino proprietas ipsis, sive in communi, sive in speciali competere deberet. *Dicimus*, inquit iste Pontifex, *quod neque in communi,*

Digitized by Google

ni, neque in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed utenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, eorum uſum habeant . . . . nec vendi debent mobilia, vel extra ordinem commutari, aut alienari quoquomodo, niſi Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator, Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris auctoritatem ſuper hoc præbuerit, vel aſſenſum.

V. Poſt hæc Innocentius IV. *rerum quarum* uſus minoribus conceditur proprietatem ad Sedem Apoſtolicam ſpecialiter pertinere declaravit anno 1245. Itemque Alexander IV. anno 1254. decrevit loca Fratrum ad Pontificem, & Sedem Apoſtolicam ſpecialiter pertinere: cum vero hujuſmodi proprietatis abdicationem quidam irriderent, Nicolaus III. in Decretali exiit, eos velut errantes damnavit, & excommunicatione perculit, *Dicimus*, inquit, *quod abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum non tam in ſpeciali quam etiam in communi meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerunt volentes perfecte vivere per doctrinæ, & vitæ exempla in eos derivarunt. Aliter ſentientes excommunicationis ſententiæ, quam nunc in ipſos proferimus ſe noverint ſubjacere, a qua per neminem niſi per Romanum Pontificem poſſint abſolvi:* Ita occaſione contentionis Franciſcanorum, Innocentius dogma condit de abdicatione proprietatis omnium rerum, eoſque, qui illam meritoriam aut ſanctam eſſe negarent proſcribit, idque tam diſertis verbis adhibita etiam ſacrarum litrerarum auctoritate decernit, ut facile intelligatur eum habuiſſe in animo univerſam Eccleſiam docere, ac rem ex Cathedra definire. Hujus ſucceſſor Martinus IV. in Bulla data 10. Kal. Februarii anno 1282. *pariter ſtatuit ad Eccleſiam Romanam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus fratres uti poſſunt, jus, proprietatem, & dominium nullo modo ſpectare.* Idem decernit Nicolaus IV. anno 1298. ac demum Clemens V. in Concilio Viennenſi circa ann. 1311. eadem, quæ anteceſſores ſui declaraverant confirmat conſtitutione ſatis prolixa, quæ inter Clementinas legitur, cujuſque principium eſt *Exivi*; ita ſeptem Romani Pontifices non modo approbarunt eos Franciſcanos, qui illarum, quibus utebantur rerum proprietatem abdicabant, eamque Pontifici ultro largiebantur, ſed & eos, qui iſtud improbarent damnare non dubitarunt.

VI. At e contra Joannes XXII. qui Clementi ſucceſſit Minores quoſdam, qui fratres de paupere vita, necnon Biſocchi, ac Beguini dicebantur, ſeque D. Franciſci regulam ad litteram ſervare profitebantur, damnavit, & abolevit, conſtitutione, cujus initium ſancta Romana Eccleſia, necnon altera Directorio Inquiſitorum inſerta, quæ incipit glorioſam Eccleſiam, utraque anno ipſius 2. data, tunc ait Eymericus quatuor fratres hujuſmodi velut hæretici apud Maſſiliam anno 1318. per Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, velut hæretici condemnati ſunt, & flammis addicti, qui ab eorum collegis tanquam Martyres honorati ſunt: Porro præcipua cauſſa, quæ Joannem XXII. in iſtos exacerbaverat, hæc erat quod Nicolai III. de proprietate bonorum, quibus utebantur ſententiam mordicus retinerent. Hinc 7. Kal. Aprilis anno 1322. conſtitutionem (*quia nonnumquam*) promulgavit, qua ſuſpendit excommunicationis ſententiam a Nicolao latam, in eos, qui decretalem ſuam *Exiit*, aliter quam littera ipſa ſonat exponerent, aut aliquid in ea declaratum in dubium revocarent: At ex alia parte Michaël Ceſenas Generalis Minorum, Gulielmus Provincialis, & alii Conſtitutionem Nicolai III. tueri cœperunt, & contrariam ſententiam velut hæreticam oppugnare: tum Joannes ut eos proſcriberet, conſtitutionem *Cum inter*, emiſit, in qua fundamentum opinionis Nicolai velut hæreticum, & erroneum proſcribit *declarans erroneum, & hæreticum eſſe pertinaciter aſſerere, quod Chriſtus, ejuſque Apoſtoli, nec in ſpeciali, nec in communi aliqua, nec hæc ipſa vendendi, vel donandi jus habuerint.* Deinde in alia Extravaganti *ad conditorem* declarat e translato, & recepto per Nicolaum III. in Romanam Eccleſiam, rerum quæ Minori-

Digitized by Google

bus conferentur dominio, ſervato tamen ab iis uſu, nihil commodi Romanis Pontificibus accedere, nec propterea fratres fieri pauperiores. *Cum*, inquit, *nec intentio reſervantis, nec fratrum ipſorum fuerit, quod ad quemcumque alium, quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium.* Cum vero fratres minores a Nicolai ſententia minime propter hæc diſcederent, iterum Joannes novam edidit ſanctionem (*quid quorumdam*) anno 1324. promulgatam, ubi manifeſte illam Nicolai III. de expoliatione Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam *peſtiferam, erroneam, damnatam doctrinam, & hæreſim, ac blaſpemiam Catholicæ fidei inimicam pronuntiat, omnes, & ſingulos, qui eam docuerint verbo, vel ſcripto, vel in poſterum docturi, & defenſuri ſunt hæreſeos damnat, ac tanquam hæreticos contumaces, Romanæque Eccleſiæ rebelles ab omnibus haberi mandat.* Hinc Nicolaus Eymericus in Hiſpania Tarraconenſi Inquiſitor creatus, 20. circiter annis poſt obitum Joannis XXII. Fratrum Minorum Joanni adverſantium, quos fraticellos, ſeu fratres de paupere vita appellat, errores recenſens, director p. 2. q. 51. *Primus*, inquit, *error, & hæreſis eſt, quod Dominus Jeſus Chriſtus in quantum fuit homo, & ejus Apoſtoli nihil habuerunt in proprio, nec in communi; quia fuerunt perfecti pauperes in mundo. Secundo quod dicunt hanc eſſe perfectam Evangelicam paupertatem videlicet, nihil habere in proprio, nec in communi.* Item Antoninus, qui Eymerico paulo recentior eſt eorumdem fratricellorum mentionem faciens, ait ſummæ Theologi p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5. *in Extravagantibus Joannis XXII. Determinatur pro hæreſi habenda opinio eorum, qui dicuntur fratricelli, ſeu fratres de opinione dicentium Chriſtum nihil habuiſſe cum Apoſtolis proprium, nec in particulari, nec in communi, etiam rerum mobilium: ſed ſolum nudum uſum facti eorum, quibus utebatur ſibi conceſſis per eleemoſinam, vel alium modum, cum tamen Joannis IV. dicatur, quod diſcipuli ejus iverunt in civitatem ad emendum cibum, & Joannis XIII. quod Judas habebat loculos, &c. multi pertinaces in dicta opinione fuerunt combuſti.*

VII. Ex his autem ut ad propoſitum noſtrum revertamur abunde liquet Romanos Pontifices etiam ſolemniter aliquid definientes errori obnoxios eſſe, cum enim Nicolaus, & Joannes contrarium plane definiant, atque huic videatur hæreticum, quod ab illo determinatum eſt, neceſſe eſt alterutrum eorum non modo in errore verſari, ſed & errorem ſolemniter definiviſſe.

VIII. Et certe Joannes ultro agnovit ſtare non poſſe ſuam definitionem cum infallibilitate Pontificia, cum enim Michaël Generalis Minorum cum aſſeclis ſuis Joanni *objiceret; quod in his, quæ pertinent ad fidem, & mores, determinatum ſemel per ſummum Pontificem non poteſt per alium revocari*, reſpondit pro Joanne Cardinalis, qui poſtea Pontifex eſt creatus, dictuſque Benedictus XII., id falſum eſſe, cum exemplis pluribus conſtet, quod illud, quod circa fidem, & mores *male determinatum eſt, per unum Papam, vel Concilium, poteſt per alium perſpecta melius veritate corrigi, & emendari, & ideo non eſſe mirum, ſi dominus Joannes diligenti deliberatione cum multis peritis in Theologia, & in utroque Jure habita revocavit, quæ male dixerat D. Nicolaus de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate:* Hæc refert Eymericus Direct. p. 2. q. 17. itaque fruſtra Bellarminus Pontificem utrumque conciliare conatur lib. 4. c. 14. de Romano Pontifice, cum ultro Joannes agnoſceret ſe Nicolai III. ſententiæ adverſari: nec eſt quod dicat Bellarminus Joannem non negare Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi, ſed negaſſe quod ſemper talem vitam egerit. Non eſt, inquam, quod Bellarminus hoc pacto velit contradictionem inter Nicolaum, & Joannem aut tollere, aut ſaltem lenire: nam primo Joannes XXII. exappropriationem, ſeu abdicationem dominii in rebus, quæ uſu conſumuntur impoſſibilem eſſe putavit: *Cum*, inquit, *in ipſo actu res conſumatur hujuſmodi ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine ipſius conſummatione eſſe valeat.* At Nicolaus eam poſſibilem eſſe arbitrabatur. Secundo, Joannes XXII. hujuſmodi abdicationem inutilem eſſe ſanxit

Digitized by Google

xit, quippe ex qua nihil commodi accederet Romanæ Ecclesiæ, nihil incommodi fratribus minoribus, qui nec propterea fuerint pauperiores.

IX. At e contra Nicolaus II. eam sanctam, & meritoriam esse sanxit, in eaque perfectionem paupertatis consistere definivit, & contrarium sentientes proscripsit. Tertio Joannes hæreticum, & blasphemum esse ait dicere Christum, & Apostolos non habuisse proprietatem aliquarum rerum, sive in communi, sive in particulari. At Nicolaus dicit Christum, & Apostolos verbo, & exemplo hujusmodi abdicationem docuisse. Quarto Joannes non solum damnat, ut hæreticos, sed & igni addici jubet eos fratres, qui abdicationem hujusmodi pertinaciter profiterentur: Nicolaus vero cum sex aliis Pontificibus hoc institutum commendat, laudat, approbat.

X. Aliud exemplum nobis præbet dissidium inter Clementem V. & Bonifacium VIII. Hic enim Extravaganti *unam sanctam*, veluti fidei articulum definivit, Reges suæ sedi in temporalibus subesse; ille vero eam constitutionem revocavit in capite *Meruit de privilegiis*. Sed de hoc dissidio agemus dissertatione ultima, qua constabit Bonifacii sententiam cum recta, & sana fide manifeste pugnare.

XI. Denique, ut alia plura ejusmodi exempla omittam, quæ Decretales, & Bullas Pontificum legentibus passim occurrent, sic secum invicem pugnant Sixtus V. & Clemens VIII. circa Bibliorum correctionem: Sixtus enim in bulla editioni Bibliorum præfixa, hanc suam vulgatæ editionem emendatissimam esse, & pristinæ puritati restitutam sanxit: nihilominus tamen Clemens VIII. cum multos in illa editione errores relictos deprehendisset, illam simul cum bulla jam promulgata suppressit, & novæ editioni emendatiori conficiendæ operam posuit, quæ innumeris pene in locis a Sixtina dissidet: ergo vel hic de novo Biblia corrigendo, vel ille suam editionem emendatissimam, & pristinæ puritati restitutam esse pronuntiando, in negotio maximi ad religionem momenti, a veritate deviavit.

§. V.

Ex Romanorum Pontificum confessione probatur eos non habere indeficientis judicii privilegium.

SI Romani Pontifices indeficientis judicii privilegio fruerentur, nulli essent, qui de eo securi magis essent quam ipsimet Pontifices, quippe qui illius essent conscii; at si consulantur, tantum abest ut istud non errandi privilegium in seipsis agnoscant, ut e contra ultro suam ipsi confiteantur infirmitatem, seque non secus ac ceteros Episcopos a fide posse deviare fateantur. E multis, qui id sponte agnoscant paucos tantum selegimus, quos hic testes laudaremus; atque ut a recentioribus ordiamur, fatetur id Paulus IV. in consessu quodam frequenti propter quandam consultationem congregato anno 1557. ut statueretur, num ille posset solvere matrimonium, quod per verba de præsenti inter Franciscum Montmorancium, & Joannam Halluyriam Pienneam contractum fuerat, qua occasione sic locutus est. *Ne, quæso, vos teneant decessorum meorum facta, & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducent .... Non dubito quin ego, & prædecessores mei errare aliquando potuerimus; non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus, & tamen condemnandi plane non sumus: nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit:* Hæc refert Joannes Haga Parisiensis Theologus, qui in illo consessu aderat, ut refertur in Michaëlis de Calstenau tom. 2. comment. & in lib. 6. additionis ad illos commentarios, qui anno 1659. Lutetiæ prodierunt.

II. Fatetur Hadrianus VII. qui in 4. art. 3. de ministro confirmationis ait, *ad secundum principale de facto Gregorii primi, dico quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta, Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determi-*

nationem, aut decretalem docendo; plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici, item & noviſſime fertur de Joanne XXII., qui publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit. Hæc ille ſcripſit cum eſſet adhuc Lovanienſis Theologus, quæ Pontifex factus non retractavit, rurſum edi voluit in nova editione Commentariorum ſuorum in quatuor ſentent. libros, quam Romanus Pontifex adornari curavit.

III. Fatetur idem Eugenius IV. qui in tertia bulla adverſus Concilium Baſilienſe, licet ſe ſupra Concilium generale efferret, ait in quæſtionibus, *quæ ad fidem reſpiciunt, vel ſtatum univerſalis Eccleſiæ, potius attendendam eſſe Concilii, quam Papæ ſententiam.*

IV. Fatetur Gregorius XI. in teſtamento ſuo: *Item*, inquit, *volumus, dicimus, & proteſtamur, ex noſtra certa ſcientia, quod ſi in Conſiſtorio, in Concilio, vel in ſermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis, ex lapſu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præſentia magnatum ad eorum forſitan complacentiam, ſeu ex aliqua diſtemperantia, vel inadvertentia, aut ſuperfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo, & hominibus, ut tenemur, præ ceteris profitemur, colimus, & colere cupimus; ſed forſitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ ſcienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus, illa expreſſe, & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & habere volumus pro non dictis.* Hæc Pontifex ille tom. 6. Spicilegii Dacheriani.

V. Innocentius tertius ſe in errorem, & hæreſim labi poſſe fatetur, & ab Eccleſia propter eam judicari, ſerm. 3. de Conſecrat. Pontificis *in tantum, mihi fides*, inquit, *neceſſaria eſt, ut cum in ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter peccatum, quod in fide committitur poſſim ab Eccleſia judicari.*

VI. Fatetur idem Hadrianus ſecundus in Epiſtola, quæ Synodi ſextæ act. 7. lecta, & approbata eſt: *Licet*, inquit, *Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia ſuper hæreſi fuerat accuſatus, propter quam ſolum licitum eſt minoribus majorum ſuorum moribus reſiſtere, vel pravos ſenſus libere reſpuere.*

VII. Fatetur Leo ſecundus in Epiſt. ad Conſt. in qua confirmat Synodum ſextam, ubi de Honorio ait, *ipſum Romanam Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtraſſe, ſed prophana traditione immaculatam fidem maculari permiſiſſe*, & in Epiſt. ad Ervigium, *accuſat eum, quod immaculatæ Apoſtolicæ traditionis regulam, quam a prædeceſſoribus acceperat maculari conſenſerit.*

VIII. Denique huc afferri poſſent ii omnes Pontifices, qui nonnulla prædeceſſorum ſuorum ſtatuta infirmarunt; ſed unus ſit pro omnibus Clemens IV., qui ad Abbatem caſæ Dei ſcribens, ait, *cernere ſe deceſſores ſuos Monaſteriis dediſſe privilegia juri divino contraria, quæ rationabiliter annullare ſe poſſe dicit*, adjiciens, *& quamvis noſtris prædeceſſoribus, prout neceſſitas exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti, & ſcientiæ nulla poſſent ratione placere.* Ex his patet non eſſe audiendos eos, qui invitis, & reclamantibus ſummis Pontificibus ipſis indeficientis judicii privilegium aſcribere conantur.

§. VI.

Rejicitur infallibilitas Pontificis ex Decretis Conciliorum.

AD rejiciendam Romani Pontificis infallibilitatem, nihil clarius, nihil apertius eſt quam Concilii Baſileenſis ſanctio, quæ ſic ſe habet in Epiſtola Synod. tom. 12. Concil. col. 682. *Si Eccleſia errare poſſit, cum certum ſit Papam errare poſſe; tunc, & Papa, & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Eccleſia, quod eſſe non poteſt. Experientia etiam demonſtrat, quia ſæpe experti ſumus, & legimus Papam licet caput, & principalem partem erraſſe, reliquum autem corpus, Papa errante, erraſſe nunquam legimus, propterea reli-*

Digitized by Google

reliquum ſæpe totum corpus condemnavit, aut excommunicavit, aut depoſuit Papam tam ratione fidei, quam morum. Hæc eſt definitio Concilii generalis, & approbati a Pontifice: nam Baſileenſe Concilium approbavit, & œcumenicum eſſe declaravit Eugenius quartus in bulla, quæ lecta eſt ſeſſione decima quarta. *Decernimus*, inquit, *& declaramus præfatum Concilium generale Baſileenſe a tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitimæ continuatum fuiſſe, & eſſe, &c.* Cum ergo Epiſtola illa Synodica a Synodo probata fuerit ſeſſione tertia, haud dubium quin pro definitione Concilii generalis habenda ſit, & inter acta Concilii ab Eugenio approbata numeranda. Adde quod Nicolaus quintus Eugenii ſucceſſor, omnia facta, geſta, conceſſa, data, indulta, diſpoſita, & ordinata Concilii Baſileenſis approbavit, ut videre eſt tom. 12. Concil. col. 665. Ergo non eſt, quod reſpondeant adverſarii, hanc Epiſtolam Synodicam Concilii non fuiſſe a Romanis Pontificibus approbatam, & ideo nullam vim habere. Addi poteſt Synodi Conſtatienſis ſanctio, quæ Concilium Papa ſuperius eſſe definivit: quod verum eſſe non poteſt niſi Pontifex errori ſit obnoxius, ut nos obſervavimus antea. Adjice etiam illa, quæ diximus §. 2. hujuſce diſſertationis.

§. VII.

Adducuntur Academiarum, ac præſertim Pariſienſis adverſus infallibilitatem Pontificiam Decreta.

DEinde accedit his omnibus Academiarum Theologicarum auctoritas, ac imprimis Pariſienſis Facultatis, quæ ſemper tenuit, ac docuit Pontificem Romanum errare poſſe.

II. Sic cenſuit, cum anno 1033. Philippo Pulchro conſulenti reſpondit, licitum eſſe a Bonifacii octavi ſententia ad Concilium generale appellare.

III. Sic cenſuit anno 1333. ſub Philippo Valeſio cum Joannis XXII. ſententiam de ſtatu animarum rejecit, eumque hæreſeos, & erroris arguit, ut ſupra diximus.

IV. Sic cenſuit in Concilio Piſano anno 1409., ubi nomine Academiarum Pariſienſis, Andegavenſis, & Toloſanæ Doctor Gallus aſſeruit, Petrum de Luna eſſe hæreticum.

V. Sic cenſuit in cauſa Monteſoni Dominicani, qui cum a cenſura Facultatis anno 1387. in ipſum lata appellaſſet, hoc fundamento, quod ſolus Papa de fide, & doctrina judicare poſſet, in actis, quæ Facultas ad cenſuræ ſuæ defenſionem confecit; reſpondit in cauſis fidei licite ad Concilium appellari poſſe. *Secunda pars*, inquit, *illius dicti, quod ſcilicet ad ſummum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio, & deciſio continet manifeſtam hæreſim, imo multas hæreſes.* Prima hæreſis, primo, *quia per illam excluſionem excluditur univerſalis Eccleſia, & generale Concilium eam repræſentans, quod eſt hæreticum, quia in cauſis fidei a ſummo Pontifice appellari poteſt ad Concilium, ſicut patet in diſtinctione* cap. *Anaſtaſius, & manifeſtum eſt, quod ad ipſum pertinet Concilium res fidei definire*, ſicut patet ex auctoritate Gregorii 15. diſt. cap. *Sicut &c.* Hæc ex mſ. codice Collegii Navarrigi in urbe Pariſ.

VI. Sic cenſuit in cauſa Sarraceni ex eodem Ordine Prædicatorum Monachi, qui cum in Actu Veſperiarum hanc propoſitionem in Theſi inſeruiſſet, *Quandocumque in alio Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, in ſolo ſummo reſidet Pontifice.* Facultas hanc propoſitionem velut erroneam ab ipſo revocari voluit anno 1429. contraria hac propoſitione aſſerta. *Quandocumque in alio Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto, & Eccleſia Catholica.*

VII. Sic cenſuit in articulis contra Lutheranos, in quibus infallibilitatem, poteſtatemque rerum fidei ſupremo judicio judicandarum, Eccleſiæ ſoli, & Concilio generali, eam repræſentanti vindicat art. 18. „ Tenetur, & quilibet Chriſtianus firmi„ ter credere unam eſſe in terris univer„ ſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide, „ & moribus errare non poteſt, cui omnes „ fi-

Digitized by Google

„ fideles in iis, quæ ſunt fidei, & morum „ obedire aſtringuntur, art. 12. Quod ſi „ quid in ſcripturis ſacris controverſiæ, aut „ dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam „ definire, & determinare ſpectat art. 22. „ certum eſt Concilium generale legitime „ congregatum univerſam repræſentans Ec„ cleſiam in fidei, & morum definitioni„ bus errare non poſſe: de Pontifice vero „ Romano nihil ſimile ait; ſed hoc tan„ tum a. 23. nec minus certum eſſe de „ jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti „ militante Pontificem, cui omnes Chri„ ſtiani parere tenentur, qui quidem po„ teſtatem habet indulgentias conferendi, „ &c.

VIII. Sic cenſuit in cenſura propoſitionum Joannis Angeli Minoritæ anno 1482. ubi damnat has proeoſitiones. Undecimus articulus „ Papa poſſet ab uno Eccleſiaſti„ co tollere medietatem redituum benefi„ ciorum, & uni alteri dare, non expri„ mendo aliquam cauſam: hæc propoſitio „ eſt periculoſa, & nullo modo prædican„ da, ut jacet articulus 12. Quicumque „ contradicit voluntati Papæ paganiſat, & „ ſententiam excommunicationis incurrit ip„ ſo facto. A nullo Papa reprehendendus „ niſi in cauſa hæreſis: hæc propoſitio eſt „ falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim ma„ nifeſtam.

IX. Sic cenſuit anno 1663. cum Senatui Pariſienſi ſex propoſitiones obtulit, quarum ſexta eſt ejuſmodi, *non eſſe doctrinam ſacræ Facultatis, quod ſummus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis*. Cum enim Facultas procul dubio aliquam circa quæſtionem hanc doctrinam habeat, declaretque doctrinam ſuam non eſſe, quod Pontifex ſit infallibilis: ergo contrariam habet Doctrinam, quod ſit fallibilis, nullum quippe eſt inter utrumque medium.

X. Denique anno 1664. diſerte, & abſque ambagibus mentem ſuam aperuit in cenſura contra Vernantium edita, in qua falſas, temerarias, ſcandaloſas, & in fide periculoſas eſſe pronuntiat propoſitiones Vernantii, quibus infallibilitatem ſummi Pontificis aſſerebat.

XI. Academiæ Pariſenſi conſentiunt hac in re plures aliæ, inter eas Herfordienſis in tract. ſuper unione, & neutralitate Principum electorum, ubi hæc habet. *Cum Papa poſſit errare, reſiduum corpus Eccleſiæ ſynodaliter congregatum errare non poteſt, experientia hoc ipſum demonſtrat; ſæpius enim compertum eſt Papam errare reſiduo Eccleſiæ corpore recte ſentiente, Papa autem recte ſentiente reſiduum totum Eccleſiæ corpus erraſſe nunquam eſt compertum.*

XII. Cracovienſis Academia anno 1441. de auctoritate ſacrorum Conciliorum ad Uladislaum Poloniæ, & Hungariæ regem hæc ſcripſit Concluſione quarta. *Sic etiam eſt de judicio Eccleſiæ reſpectu actionum Papæ, quia Eccleſia nunquam deviare poteſt, aut aberrare a fide recta, Papa vero frequenter*, 19. diſt. Anaſtaſius. *Ideo judicium Eccleſiæ dignius eſt judicio Papæ.*

XIII. Viennenſis in opere, quo Electorum conſultationi reſpondit, approbat Concilii Baſileenſis, & Conſtantienſis Decreta de auctoritate Concilii ſupra Pontificem Romanum.

XIV. Colonienſis idem facit in tractatu de poteſtate Concilii, & Papæ ad Theodoricum Colonienſem.

XV. Idem etiam cenſent aliæ quamplurimæ, quarum teſtimonia relata ſunt a Launoio in Epiſtola ad Barillonium tom. 1. Epiſt. 4.

§. Ultimus.

Ex Theologis idem docetur.

DEnique innumeri pene Theologi ac præſertim antiquiores, & doctiores Pontificem errori obnoxium eſſe aſſeruerunt, & infallibilitatis Pontificiæ figmentum multis argumentis oppugnarunt: imprimis vero Joannes Gerſo Pariſienſis Cancellarius multis in locis hanc doctrinam propugnavit, ac præcipue in tractatu, *utrum liceat in cauſis fidei a Pontifice provocare*, in quo hæc habet *propoſitio quarta in cauſis fidei: nulla determinatio judicialis Epiſcopi vel Papæ ligat fideles ad credendum quod ita ſit de veritate fidei, ſicut prætendit ſua declaratio, quoniam tam Papa quam Epiſcopus, deviabiles ſunt a fide, obligat tamen ſubditos pœna excommunicationis talis*

Digitized by Google

lis determinatio, quod non dogmatiſent oppoſitum, niſi appareat manifeſta ratio repugnandi, vel per ſacram ſcripturam, vel per revelationem, vel per Eccleſiæ ſeu generalis Concilii determinationem.

II. Gerſonem ſequitur Toſtatus defenſorii cap. 3. *Apparet*, inquit. *quod jura ſupponunt Papam fieri poſſe hæreticum, & confirmatur experimento: nam Papa Marcellinus fuit hæreticus: &* poſt alia. *Item de Joanne XXII. qui tenuit hæreſim circa viſionem beatam* &c. Et Præfat. in Evangel. Matthæi. *Quilibet homo quantumcumque ſanctus, & quantæcumque poteſtatis poteſt errare in fide, & effici hæreticus, ſicut de multis ſummis Pontificibus legimus, ut de Liberio, de Joanne XXII. & aliis quibuſdam.* Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de auctoritate Papæ, & Concilii cap. 51. *Cum Papa poſſit errare in fide, moribus, & ceteris, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ejus judicio non videtur ultimate, & certitudinaliter ſtandum in iſtis, cum non ſit infallibilis fidei regula, neque indeviabile fundamentum.*

III. Petrus de Alliaco Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis, tract. de auctor. Eccleſ. p. 3. c. 3. *Talem*, inquit, *auctoritatem, nempe ſummam non habet Papa, cum errare poſſit in fide.*

IV. Hadrianus Galterus, ex Ordine D. Benedicti Pariſienſis Theologus, tract. de Primatu Petri, & Eccleſiæ. *Quis*, inquit: *tam vafre imponere, ſuaviterque didicit obtrudere palpum, ut glorioſis mendaciis, & coacervatis fabulamentis tanta ſoliditate firmare contendat, & judicium ejus (ſucceſſoris Petri) in iis, quæ ſunt fidei, & bonorum morum, errare a veritate non poſſe mordicus aſſereret.*

V. Joannes Arboreus Pariſ. Theologus lib. 4. Theologiæ cap. 32. *Papa in fide errare poteſt*, ut dicit Innocentius hujus nominis quartus. vel in cap. 1. de ſumma Trinitate: *Et tota mihi via aberrare videtur, qui aliter ſentit, & plus veritati tribuendum eſt quam amico: aſſentantur ſane Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem a peccato, & a lapſu hæreſeos, & ſchiſmatis, cum non ſit divino munere confirmatus in gratia.*

VI. Claudius Santeſius, qui Tridentino Concilio interfuit, in reſp. ad Apolog. Theodori Bezæ. *Licuit*, inquit, *non ſolis Sorbonicis, ſed in omni orbe Chriſtiano Theologis diſſerere, an Papa, ſi a fide deſecerit, privari poſſet gradu ſuo.*

VII. Gulielmus Okamus lib. 3. p. 1. Dialogorum c. 3. multis probat, Papam poſſe, ut ipſe loquitur, hæreticari, ac potiſſimum exemplo Joannis XXII. & Nicolai III. a nobis ſupra expoſito.

VIII. Gratianus ipſe diſtinct. 40. C. *Si Papa. Cujus*, inquit, *iſtic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius.* Et in cap. Anaſtaſius diſt. 19. *Videtur quod Papa*, inquit gloſſa, *tenetur requirere Concilium Epiſcoporum, quod verum eſt ubi de fide agitur, & tunc Synodus major eſt Papa*, ut 15. diſt. *Sicut videtur ergo, quod Papa non poſſit deſtruere ſtatuta Concilii, quia orbis major eſt urbe.*

IX. Guido Archidiaconus Bononienſis diſt. 21. nunc autem: *Hinc Papa poteſt condemnari de hæreſi, cum pertinax fuerit, alias non.* Eadem eſt ſententia Auguſtini ab Ancona Eremitarum S. Auguſt. Theologi in ſumma q. 5. a 1. Alvari Pelagii lib. 1. de planctu Eccleſiæ, Joannis de Imola in capite de electione, & electi poteſtate, & aliorum bene multorum.

CAPUT II.

In quo reſpondetur argumentis, quibus adverſarii Romani Pontificis infallibilitatem ſuadere conantur.

DIximus adverſariorum eſſe privilegium illud indeficientis judicii, quod Romano Pontifici tribuunt, ex ſcriptura, & traditione aſſerere, noſtramque ſententiam, etiamſi nullo argumento poſitivo probaretur, neceſſario tenendam eſſe, ſi vanis tantum, ac futilibus augumentis adverſariorum opinio niteretur; hoc autem ita ſe habere, ex ſequentibus eorum argumentis, noſtriſque ad ea reſponſionibus unuſquiſque

Digitized by Google

que facile intelliget.

II. Ex ſacris litteris adducunt, primo illud Chriſti dictum ad Petrum, Lucæ 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Unde concludunt fidem Romanorum Pontificum Petri ſucceſſorum deficere non poſſe.

III. Verum ſi quid probet iſtud teſtimonium plus probat quam adverſarii poſtulant; non enim probaret tantum Romanos Pontifices non poſſe a fide deficiendo aberrare, ſed etiam nullatenus poſſe a fide, & gratia excidere: itaque intelligi debet iſta promiſſio Chriſti de ſola Petri perſona, docet id, & intentum Chriſti prædicentis futurum, ut Petrus aliquando ipſum negaret, ita tamen, ut a fide penitus, & uſque ad finem vitæ non excideret. *Simon, Simon,* inquit Chriſtus, *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, &c.* Tentatio illa ſatanæ reſpicit perſonam Petri, & Apoſtolorum, & ſimiliter oratio Chriſti non habet alium finem, quam ut Petrus licet a Diabolo tentatus, a fide tamen penitus, & uſque ad finem vitæ non deficiat, ſed ut poſt negationem converſus confirmet fratres, hoc autem totum in ipſa perſona Petri adimpletum eſt. Nam & tentatus eſt a diabolo, & in tentatione victus Chriſtum negavit. Verum ei profuit oratio Chriſti: ſtatim enim pœnitentia ductus reſipuit, & poſt Paſſionem ac Reſurrectionem Chriſti non modo conſtantior ceteris apparuit, ſed & generoſis dictis, & factis fratres ſuos confirmavit: ita hunc locum exponunt, Tertull. lib. de fuga in perſ. cap. 2. S. Cyprianus Epiſt. 8. & in lib. de orat. Dominica. S. Hilar. lib. 1. de Trinitate. Baſilius Homil. 22. de humilitate: Ambroſ. in Pſalm. 43. Chryſoſt. Homil. 63. Carth. Conc. in Ep. ad Innoc. I. & Innocentius I. in Ep. ad Carth. Conc. S. Aug. pluribus in locis, & alii Interpretes, quos numero 43. conſulere poteris apud Launoium Epiſt. ad Jacobum Bevilaquam Epiſt. tom. 5. Porro ex hac expoſitione nihil poteſt colligi ad probandum Pontificis Romani judicium eſſe indeficiens: Si quid enim, ex iſta oratione Chriſti pro Petro de ejus ſucceſſoribus colligeretur, inferri deberet pro Petri ſucceſſoribus, non ſecus ac pro ipſo Petro oraſſe Chriſtum, ut a fide ipſi privatim minime deficerent, at nullus huc uſque ſomniavit id ipſis privilegii adſcribi poſſe.

IV. Sunt & alii Patres, ac Interpretes, quos apud eundem Launoium ibidem collectos reperies, qui dicant oraſſe Chriſtum, ut univerſalis Eccleſia, vel etiam generale Concilium a fide nunquam deficiat, quorum interpretatio, licet minus ad litteram, eo magis adhuc cum adverſariorum placitis pugnat, cum ex illa ſequatur infallibilitatem Eccleſiæ, & Concilio adſcribi debere, non autem Pontifici Romano, ut quid enim locus ille, qui de Petro ad litteram intelligendus eſt ad Eccleſiam, & Concilium inflecteretur, niſi certum eſſet Petrum, & ejus ſucceſſores potuiſſe a fide deficere, Eccleſiam, & Concilium non item.

V. Secundo loco profertur ab iis, qui infallibilitatem defendunt illud Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Unde colligunt Petrum, & ejus ſucceſſores eſſe Eccleſiæ fundamentum: cum autem impoſſibile ſit Eccleſiæ fundamentum ruere, impoſſibile eſſe concludunt Romanum Pontificem a fide deficere.

VI. Verum uti diximus antea locus ille quatuor modis exponitur a Patribus, & Interpretibus ſcripturæ, alii enim de perſona ipſius Petri hæc verba interpretantur, dicuntque ſuper illum fundatam Eccleſiam, quia ipſe cum ceteris ad eam fundandam adlaboravit, alii dicunt ſuper omnes Apoſtolos fundatam pariter eſſe Eccleſiam, Petrumque cum hæc ei dicta ſunt geſtaſſe perſonam Eccleſiæ: ſunt qui nolunt Petrum hic petram eſſe dictum, ſed petram aiunt eſſe fidem, & confeſſionem Petri, vel, ut alii volunt, ipſum Chriſtum: nulla autem ex iſtis expoſitionibus Pontificum infallibilitati favet: ſicut enim qui in ſecunda expoſitione ſentiunt ſuper Apoſtolos omnes, eorumque ſucceſſores fundatam eſſe Eccleſiam, non propterea putant aut Apoſtolos omnes, aut eorum ſucceſſores indefectibiles fuiſſe, ita non ſequitur ex prima expo-

Digitized by Google

expoſitione Petrum, & ejus ſucceſſores indefectibiles, eo quod ſuper eos tanquam ſuper petram, & fundamentum Eccleſia ſit ædificata, ex tertia, & quarta expoſitione in gratiam Romanorum Pontificum nihil concludi poſſe perſpicuum eſt.

VII. Tertio loco Bellarminus objicit illud Chriſti dictum ad Petrum Joannis ult. *Paſce oves meas*, atque ex eo ſic ratiocinatur: *Pontifex eſt Doctor, & Paſtor totius Eccleſiæ, ergo tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur, ergo ſi ille erret, tota Eccleſia errabit.*

VIII. Reſpondeo, non ſolum Petrum, ſed omnes Apoſtolos, & eorum ſucceſſores Paſtores eſſe ovium Chriſti, ipſiſque in perſona Petri dictum fuiſſe illud *paſce oves meas*, & tamen nemo contendit ſingulos Eccleſiæ Paſtores infallibili judicio præditos eſſe. Ita hunc locum ad omnes omnino Apoſtolos, & animarum curam habentes referunt Ambroſius lib. 2. de dignitate ſacerdotali: *Paſce*, inquit, *oves meas, quas oves, & quem gregem non ſolum tunc B. Petrus ſuſcepit, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* S. Aug. tract. 47. in Joannem: *Et quidem fratres quod Paſtor eſt* (Chriſtus) *dedit, & membris ſuis. Nam & Petrus Paſtor, & Paulus Paſtor, & ceteri Apoſtoli Paſtores, & boni Epiſcopi.* Verum etiamſi iſtud dictum ad ſolum Petrum, & ejus ſucceſſores pertineret, non ſequitur eos eſſe infallibiles, nec valet ratiocinium Bellarmini, cum enim errant, deſinunt Eccleſiam paſcere, ut oportet: imo occidunt eas potius quam paſcunt, unde non tenentur ejus oves eum ſequi, cum vident ſe in mortifera paſcua duci: non enim oves paſcit irrationales, quas pro arbitrio, & nutu, quo voluerit, agere poſſit, ſed quæ ratione, & perſuaſionibus paſci debeant, hoc eſt, doceri, & moveri, ut ſponte Chriſtum colant, ejuſque fidem, ac religionem illibatam ſervent. Hæc fere ſunt, quæ adverſarii ex ſacris litteris argumenta depromunt, quæ nullius plane roboris eſſe ex dictis nemo non videbit: nec gravioris ſunt momenti ea, quæ ex ſanctorum Patrum, aut Pontificum operibus genuinis deſumunt.

IX. Inter ea vero primum, ac principem locum tenere videtur illud Hieron. Ep. ad Damaſum, in qua poſtquam dixit: *Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus erit, ſi quis in arca Noe non eſt, peribit regnante diluvio.* Addidit: *diſcernite ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis, &c.* ubi, inquiunt, aſſerit Hieronymus, ſe tuto ſequi poſſe ſententiam Romani Pontificis, quia novit ſuper eum Eccleſiam eſſe fundatam, & extra ejus communionem ſalutem non eſſe: deinde cur, inquiunt, Hieronymus totius Orientis de hypoſtaſibus ſententiæ, & judicio acquieſcere noluiſſet, Imperiumque Romani Pontificis ad tres hypoſtaſes agnoſcendas expectaſſet, niſi putaſſet eum in judicando falli non poſſe?

X. Reſpondeo, ex verbis Hieronymi inferri non poſſe Romani Pontificis judicium eſſe infallibile, ſed magni tantum ponderis, & momenti apud ipſum fuiſſe Eccleſiæ Romanæ ſententiam, atque communionem: hoc tantum ejus verba ſonant, quæ immerito ad infallibilitatem aſtruendam trahuntur: ait autem ſe tuto ſequi poſſe Romani Pontificis ſententiam, quia ſcilicet diſſidentibus de hypoſtaſeos voce Eccleſiis totius orbis, poterat ipſe ad eam, quam vellet partem accedere, unde non ſolius Romanæ Eccleſiæ auctoritatem adducit, ſed Occidentalium omnium, & Ægyptiorum: *Hæreticum*, inquit, *me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque*, quia ſcilicet iſtis duobus adhærebant Occidentales, & Ægyptii omnes, *condemnent; quid enim hominem exceptis ſociis criminantur?* Sequebatur porro ille iſtorum potius, quam aliorum ſententiam. Primo, quia ordinatus fuerat a Paulino trium hypoſtaſeon hoſte, qui Occidentem, & Ægyptum hypoſtaſibus minus æquum effecerat. Secundo, quia timebat ne nomine hypoſtaſeos aliqui non perſonam, ſed ſubſtantiam ſignificarent. Quod vero ait: *ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicumque extra hanc domum comederit agnum prophanus eſt; ſi quis in Arca Noe non eſt, peribit regnante diluvio;*

dictum est officiose, & per exagerationem. Deinde id non probat Sedis Romanæ sententiam infallibilem esse semper fidei regulam, sed ad summum ordinario adhærendum esse Romani Pontificis sententiæ, eosque, qui a sede Apostolica dissident, in periculum schismatis venire; at nihil id facit ad fidem, & judicium Romani Episcopi, sed tantum ad communionem. Denique perspicuum est ex dictis, cur Hieronymus Romani Episcopi Imperium ad tres hypostases profitendas expectarit, quippe sentiebat quæstionem esse de nomine, nihil mali esse, si tres hypostases bono sensu profiteretur, verum cum id ab ipso exigeretur, nolebat id facere, quia cum Occidente, & Ægypto communicabat, qui tres non dicebant hypostases, fueratque ordinatus a Paulino trium hypostasium adversario: ipseque peculiares habebat inimicitias cum iis, qui tres dicebant hypostases. Quid aliud, quæso, poterat facere, cum ab eis urgeretur, ut tres hypostases diceret, quam a Romano Episcopo petere, num vellet, num juberet, ut tres diceret hypostases; nam si citra ejus auctoritatem id feciſſet, visus fuisset ab Ecclesiæ Occidentalis, & Ægyptiæ communione discedere, quod imprimis cavebat: ergo imperium, & judicium Romani Episcopi non expectat, ut sententiam ferat de quæstione circa tres hypostases: ipse enim sciebat quid de ea esset sentiendum, & ante Damasi responsionem suum tulerat judicium; sed volebat ejus auctoritatem habere, quam Orientalibus opponeret.

XI. Post Hieronymum profertur Augustinus, qui serm. 2. de verbis Domini cap. 10. *Jam enim*, inquit, *de hac causa Pelagii, atque Cælestii duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, error utinam aliquando finiatur.* Unde inquiunt, cum finitam putet Augustinus causam fidei, quando post Concilia Sedes Apostolica judicavit, dicendum est hujus esse supremum, & infallibile judicium.

XII. Respondeo, finitam dici causam Pelagianorum post Conciliorum, & Apostolicæ Sedis judicium, non quod nullum superius esset judicium, superius enim agnoscit in simili causa Augustinus, cum ait, post judicium Romanæ Sedis adhuc restasse plenarium Ecclesiæ Concilium, sed quia post damnationem Romani Pontificis Pelagianorum causa omni defensione spoliata erat. Nam antequam a Zosimo proscriptus fuisset Cælestius, jactitabant Pelagiani, se a Romano Episcopo, & multis Occidentalibus probari; ubi vero ab isto Pontifice Pelagius, & Cælestius aperte damnati sunt, jam defensione omni carebant, ac propterea finita dici poterat eorum causa, quia unanimi consensu ab omnibus Occidentalibus damnabantur: porro tantum abest, ut Augustinus scripserit hanc causam finitam esse judicio Sedis Apostolicæ, quia supremum erat, & infallibile, ut ipse de ea dicat, quod si de Cælestio, & Pelagio in Romana Ecclesia fuisset aliquid secus judicatum, nota prævaricationis esset Clericis Romanis inurenda.

XIII. His additur Petri Chrysologi testimonium Epist. ad Eutychem ante Concilium Chalcedon. ubi hæc habet: *Hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsit, præstat quærentibus fidei veritatem.*

XIV. Respondeo, aliud est beatum Petrum veritatem fidei quærentibus præbere, aliud infallibiliter eam præbere: prius de Romano Episcopo dicit Chrysologus, non posterius, quod tamen unum est probandum.

XV. Denique Bernardi testimonium profertur, qui Epist. 190. ad Innocentium II. ita loquitur: *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, cui enim alteri sedi dictum est aliquando: oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

XVI. Respondeo primo, ex uno Bernardi officioso dicto infallibilitatis privilegium Romano Pontifici tribui non posse, nisi accedat scripturæ, & traditionis auctoritas. Nam etiamsi constaret mentem Bernardi fuisse his verbis Pontificem Romanum

Digitized by Google

num infallibilem prædicare, hujus unius auctoritas ad istud privilegium Romano Pontifici asserendum minime sufficeret.

XVII. Secundo, non loquitur Bernardus de persona Papæ Romani, sed de sede Petri, ac proinde ex illo loco probari tantum potest Romanam Ecclesiam totam non posse a fide deficere; at immerito concluditur, Romano Pontifici soli idem privilegium competere.

XVIII. Tertio, loquitur Bernardus comparate, non absolute exaggerando Pontificis Romani auctoritatem, qua tunc opus habebat ad Abaëlardi errores proscribendos.

XIX. Quarto, Innocentius non putavit hæc verba Bernardi ad se solum pertinere, nam Abaëlardi errores, licet a duobus Conciliis jam damnatos, non nisi coacto iterum Concilio proscripsit: *Nos itaque*, inquit in Epist. quæ inter Bernardinas est 294. *qui in Petri Cathedra, cui & Domino est dictum, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigne residere conspicimur, communicatio fratrum nostrorum consilio destinata nobis a vestra dilectione capitula, & universa ipsius Petri Abaëlardi perversa dogmata Canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus.*

XX. Denique Bernardus lib. 3. considerat. ad Eugenium de Romanis Pontificibus ut errori obnoxiis loquitur, præsertim l. 4. *Tunc*, inquit, *tibi licitum censeas suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt Patres tui, si justitiæ est jus cuique servare, suum auferre jus justo quomodo poterit convenire? Erras, si ut summam tuam, ita & solam institutam a Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.*

XXI. Ex dictis jam abunde constat, e Latinis Patribus nullum testimonium proferri, quo diserte Romani Pontificis infallibilitas astruatur, imo nullum proferri, e quo possit illa per legitimam consecutionem deduci, cum vero inter opera Patrum Græcorum genuina nullum testimonium inveniretur, quod illuc ullo modo trahi posset, confecta sunt plura testimonia, quæ ipsis ascriberentur, & sub eorum nomine venditarentur: sed eorum νοθείαν deprehendere haud difficile fuit. Inter ea vero insignia sunt illa, quæ ex Libris Thesaurorum Cyrilli laudantur a D. Thoma multis in locis, ut in 4. dist. 24. q. 3. art. 2. *Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quærere, quid credere, quid sinere debeamus, ipsum venerantes, ipsumque rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corripere, statuere, & disponere, solvere, & ligare loco illius, qui ipsum ædificavit, & multis aliis quod suum est, & plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tandem ipsi Domino Jesu Christo obediunt:* idem testimonium repetit in libro contra impugnantes Religionem, & in opusculo contra errores Græcorum, ac demum in catena aurea aliud sub ejusdem Cyrilli nomine testimonium refert his verbis: *Cyrillus*, inquit, *in libro Thesauri: secundum autem hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque circumventione manet immaculata, super omnes primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima, & auctoritate Petri, & quamvis aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabiliter illa sola regnat silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, &c.*

XXII. Hæc autem loca Cyrilli esse subditicia luce clarius est. Primo enim non extant in genuinis Thesaurorum Cyrilli libris, unde illa refert D. Thomas, nec extare illic possunt, cum nihil faciant ad scopum, qui hic in eo totus est, ut Trinitatem ex sacris litteris probet, nec alio excurrit. Deinde, istorum locorum sensus, & stylus longe abest a doctrina, & stylo Cyrilli. Demum, qui eos laudarit primus est D. Thomas, quem nemo nescit sæpe sæpius subditicia scripta, & testimonia Patrum pro veris laudasse.

XXIII. Ejusdem farinæ est testimonium Chrysostomi ab eo laudatum ex responsis ad Consulta Bulgarorum, cum Chrysostomus diu ante Bulgarorum nomen auditum, fuerit mortuus: nec majoris fieri debet nescio quis Canon Constantinopolitanus ab eodem laudatus, qui se sic habet: *Antiquæ Romæ Episcopum primum esse, & maxi-*

Digitized by Google

mum omnium Episcopum. Idem dicendum de acclamatione Synodi Chalcedon. ab eodem D. Thoma laudata, quæ nec in Græcis, nec in Latinis Concilii Chalcedonensis exemplaribus reperitur, & in qua reperitur vox *Icumeraïcos*, quæ nec græca, nec latina est. Denique non magis fidei habendum est aliis locis Chrysostomi, Maximi, Cyrilli, & aliorum ab eodem scriptore laudatis, quæ in eorum operibus non inveniuntur, hæc enim Patrum istorum genuini fœtus minime sunt, sed ipsi ab aliis subjecti a B. Thoma, qui in istis rebus acutum non cernebat, in suos commentarios translata sunt: qui plura de iis volet, Launoium consulat in Epist. t. 1. ubi fuse hæc loca subdititia esse demonstrat. Sed res clarior est, quam ut in ea diutius immoremur.

XXIV. Ultimo loco proferimus Romanorum Pontificum auctoritatem, qua maxime nituntur adversarii, quamvis ipsis in sua causa loquentibus tantum fidei, quantum ceteris haud debeatur. Verum ut probavimus antea ex iis quamplurimi agnoscunt errare se posse, & decipi, imo & in hæresim labi; quare etiamsi nonnulli hoc sibi privilegium vindicassent reclamantibus aliis non essent audiendi. At præterea nullum esse, qui sibi jus infallibiliter judicandi tribuerit, ut ex locis ab adversariis allatis constabit.

XXV. Objiciunt primo verba Epistolæ, quæ nomen Lucii I. præfert, quæ sunt ejusmodi: *Ecclesia Romana Apostolica, & mater Ecclesiarum omnium, quæ a tramite Apostolicæ traditionis nunquam erasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit secundum ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te Petre, &c.* Eadem fere habentur in Epist. Felicis I.

XXVI. Respondeo, testimonia hæc nullius esse momenti, utpote desumpta ex Epistolis, quas subdititias esse constat apud omnes, in utraque ista falsa Consulum nota earum ῥοθίων speciatim prodit.

XXVII. Objiciunt secundo testimonium Agathonis Papæ in Epistola ejus, quæ lecta est, & probata in Synodo 6. art. 4. in qua sic loquitur: *Hæc est vera fidei regula, quam in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam erasse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit. Quia dictum est Petro: Simon, ecce satanas expetiit: Ego autem rogavi pro te Petre, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quos Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores fecisse, cunctis est agnitum.*

XXVIII. Respondeo primo, adversarios, cum ab Agathonis testimonio ordiantur, agnoscere nullum Pontificem per quinque, & amplius Ecclesiæ sæcula sibi infallibilitatem arrogasse.

XXIX. Secundo, non dicit Agatho Romanum Pontificem infallibilitatis privilegium habere, sed tantum Romanam Ecclesiam a tramite Apostolicæ traditionis non aberrasse, quæ assertio est facti, non juris; nam ex eo, quod aliquis non erraverit, non sequitur eum errare non posse.

XXX. Denique, id non dicit Agatho de Romano Pontifice solo, hoc enim falsum fuisset, nam Liberium, & Honorium a traditionis Apostolicæ tramite deviasse ignorare non poterat, sed de Romana Ecclesia, quæ deficientibus a fide Episcopis suis, nunquam tamen a fide defecerat.

XXXI. Post Agathonem laudant Epistolam 8. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, ubi de sua sede sic loquitur: *Privilegia istius Sedis perpetua sunt divinitus radicata, atque plantata impingi possunt, transferri non possunt, quæ ante Imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.* Et mox ostendens unde illa privilegia, tam libere prædicaret, hæc ait: *nam & inter cetera, is, per quem nobis præcipue ista sunt privilegia collata, aliquando conversus audivit a Domino, confirma fratres tuos.*

XXXII. Respondeo, hic nihil a Nicolao dici, ex quo infallibilitas deduci possit. Privilegia Sedis suæ commendat, ea transferri non posse, & in æternum permansura esse dicit: hoc nihil ad infallibilitatem Pontificis Romani. Nam licet Ecclesiam Romanam semper subsistere, & a fide penitus non deficere necessarium sit, haud inde

Digitized by Google

de sequitur ejus Episcopum in errorem cadere non posse. Quod vero addit Petro, a quo hæc privilegia Romanæ Sedi sunt collata dictum esse, *& tu confirma fratres tuos*, si probaret aliquid de Romano Pontifice, probaret eum non posse in culpam cadere, quin pœnitentiam agat, & sic non posse damnari: addit enim Nicolaus post hæc verba: *& tu confirma fratres tuos, siquidem, & in culpam cecidit Petrus, ut sciret qualiter infirmitatis aliorum misereri deberet, &c.* Ergo si idem privilegium haberent successores Petri, quod habuit Petrus, haberent omnes donum perseverantiæ finalis: sed, ut jam dixi, Nicolaus ex his probare minime vult, se errare non posse, sed suum esse sollicitudinem Ecclesiarum omnium gerere, & fratres per vim oppressos adjuvare: colligitur ex antecedentibus verbis: *Hæc*, inquit, *Ignatium Patriarcham nulla regula, nulloque ordine dictante dejectum, tanquam fratrem adjuvare compellunt: nam inter cetera, is, per quem nobis sunt hæc privilegia collata sic aliquando conversus audivit a Domino, confirma fratres tuos:* ubi videre est privilegia Romanæ Sedis a Nicolao commendata eo tantum spectare, ut Romanus Episcopus Ignatium Patriarcham injuste dejectum possit adjuvare.

XXXIII. Post hæc profertur Leonis IX. qui circa annum 1050. Romanam Ecclesiam rexit, Epistola ad Petrum Antiochenum quinta, ubi commendans Sedem Romanam hæc habet: *Nimirum solus est Petrus, pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus, & Salvator asseruit se rogasse, dicens: rogavi pro te, &c. quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum variis concutiendæ fidei periclitationibus, sicut usquequaque confirmare non cessavit.*

XXXIV. Respondeo, hæc verba Leonis IX. non esse ita stricte accipienda, quasi Romanus Pontifex a fide deficere non possit; alioquin probarent, eum non tantum docendo Ecclesiam errare non posse, sed nec fidem eum posse amittere: non loquitur ergo de persona Romani Episcopi, sed de Ecclesia Romana, unde in Epistola ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham eumdem scripturæ locum allegans, ex eo probat fidem Petri non defecturam in universa Ecclesia: *Taliter*, inquit, *sancta Ecclesia super Petrum*, id est, *Christum, & super Cepham Filium hominis ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas: portæ inferi non prævalebunt adversus eam; cujus promissionis effectum se impetrasse a Patre Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Ego pro te rogavi, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet, tam per eumdem Petrum, quam per suos successores convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata.*

XXXV. Ex his videre est, per fidem Petri non defuturam, Leonem intelligere ipsam fidem, quam prædicavit Petrus; per fidem vero seu thronum Petri ipsum non intelligere solum Romanum Pontificem, sed Ecclesiam universam Romanam: sensus ergo ejus non est, haud defecturam fidem Petri in Romanis Pontificibus, sed non defecturam in universa Ecclesia Romana.

XXXVI. Denique Innocentii III. testimonium præ ceteris opponitur, hoc habetur in cap. *Majores*, extra de Baptismo, & ejus effectu, ubi hæc habet: *Majores causæ præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendos intelliget, qui novit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.*

XXXVII. Respondeo, Innocentium hoc poscere, ut majores causæ, ac præsertim fidei ad se referantur, at ipsum non dicere eas supremo, & infallibili judicio a se judicandas: nec alio fine adducit hæc verba Christi ad Petrum: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides.* Ergo immerito ab adversariis ad probandam infallibilitatem adducuntur, cum ex iis tantum probet Innocentius causas majores ad se referendas, & alio in loco diserte dicat, se

in

in fide posse aberrare, & ab Ecclesia judicari, serm. scilicet 3. de consecratione Romani Pontificis, ubi sic loquitur: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, ob peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari.* Porro peccatum in fide committi non potest, de quo Ecclesia possit cognoscere, & judicare, nisi fiat docendo pravum aliquod dogma. Hoc autem ipsi Innocentio contigit: consultus enim ab aliquo Abbate Cistercienſi de quodam qui sibi confessus fuerat se celebrasse Missas, etsi Laicus esset, & sic vellet permanere, an posset in hoc casu revelare secretum confessionis, ex consilio Cardinalium censuit Innocentius revelandum esse in eo casu confessionis secretum. Id refert Cæsarius Cistercienſis Monachus Innocentio æqualis, lib. 3. hist. memorab. c. 32. ubi ait, *Innocentii responsionem simpliciter, & absolute datam, non solum communi Theologorum doctrinæ adversari, sed etiam videri repugnare Lateranensi Concilio c. 21. sub eodem Innocentio celebrato.*

XXXVIII. Ex his abunde, ni fallor, demonstratum habemus, nihil afferri posse, quo vere solideque Romani Pontificis in rebus fidei definiendis infallibilitas astruatur: nunc ad alia properemus.

DE

DE ANTIQUA ECCLESIÆ DISCIPLINA

DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO SEXTA.

De Concilii generalis ſupra Romanum Pontificem auctoritate.

PRÆLOQUIUM.

QUAM aggredimur de comparatione poteſtatis Pontificiæ cum auctoritate Concilii generalis quæſtionem, quibuſdam prima fronte ſuperfluam, & odioſam videri poſſe non diffiteor. Eccui enim bono, inquiet aliquis, de duarum maximarum, ut nemo dubitat, poteſtatum ſupra ſe invicem excellentia tam acriter diſceptare? Quid opus eſt eas ſecum invicem committere, & de Primatu contendentes inducere: quid religionis intereſt, utrum Papa ſit ſupra, vel infra Concilium; ſed qui ita ratiocinantur, quæſtionis hujus conſectaria prorſus ignorant. Nam qui ad illa vel modicum attenderint, ſtatim intelligent non de quæſtione aliqua metaphyſica, & ludrica hic agi, ſed eam controverſiam moveri, e cujus determinatione Eccleſiaſtica diſciplina tota pendeat; nam ſi Papa ſit ſupra Concilium, ſequitur eum eſſe ſummum Eccleſiæ Monarcham, & Dominum; Eccleſiam auctoritate ſuprema, non autem Canone regi; nullum eſſe Ariſtocraticum in ea regimen (*); Conciliorum nullam eſſe neceſſitatem; horum auctoritatem omnem non a communi, & Catholico Eccleſiarum conſenſu, ſed ab unius

(*) Jacobus Benignus Boſſuetus in Vindiciis Declarationis Eccleſ. Gallic. agnoſcit regimen in Eccleſia Monarchicum Ariſtocratia temperatum.

nius Papæ ſententia, & voluntate pendere, propterea que Papam poſſe ex animi ſui arbitrio Canones abrogare, alios condere, ab illorum obſervatione pro libito diſpenſare, Epiſcopos ejus eſſe Conſiliarios, non legitimos, & neceſſarios controverſiarum Judices. Hæc ſunt conſectaria, quæ Theologi Curiæ Romanæ obnoxii, ex falſa, & perverſa quæſtionis hujus definitione inferunt. Nos autem e contra, qui tenemus Concilium generale eſſe ſupra Papam, ex hac aſſertione contraria prorſus elicimus conſectaria; Papam ſcilicet non eſſe ſupremum, ac abſolutum Eccleſiæ Monarcham, & Dominum; Eccleſiam non abſoluta auctoritate, ſed Canone regi; Statum ejus licet Monarchicum Ariſtocratico regimine temperari; frequentem Conciliorum celebrationem eſſe neceſſariam; horum auctoritatem non pendere a ſolo Papa, ac proinde Papam non poſſe leges a Conciliis latas abrogare, nec ab earum obſervatione diſpenſare, niſi legitima de cauſa, & in eo caſu, in quo Concilium ipſum diſpenſaret; Epiſcopos in Concilio congregatos eſſe Judices omnium controverſiarum, & perſonarum, atque ipſorum etiam Pontificum Romanorum, ſi in fide, & moribus peccent. Ex quibus intelligere eſt, ex hujus quæſtionis determinatione totam Eccleſiæ οἰκονομίαν pendere. Quare ſatis mirari non poſſum Petrum de Marca Pariſienſem Archiepiſcopum, virum alioquin acerrimi judicii pronuntiaſſe, controverſiam hanc nullius eſſe ad diſciplinam Eccleſiaſticam, libertateſque Eccleſiæ Gallicanæ vindicandas, momenti. Nam ſi ſemel Pontifex Romanus Conciliis omnibus ſuperior aſſeratur, ruit profecto omnis Eccleſiæ libertas, Concilia ſua auctoritate ſpoliantur, Canones in irritum mittuntur, omnia ad uniu; Pontificis nutum, & arbitrium revocantur: quæ ſi ſemel admittas, Eccleſiæ Gallicanæ libertates tueri nullo pacto potes.

II. Porro quæſtio propoſita tripliciter intelligitur. Primo enim quæritur, utrum Concilium generale legitime congregatum, cui adeſt Pontifex Romanus, vel ad quod legitime vocatus adeſſe renuit, majorem habeat auctoritatem, quam Pontifex Romanus ſolus, & ſine Concilio generali. Secundo, utrum Concilium generale habeat poteſtatem condendi Canones, quibus ipſe Pontifex teneatur. Demum, utrum Concilium poſſit judicare de perſona Papæ, ipſumque in errorem aut in crimen lapſum deponere. Hæc tria ſunt, quæ propoſita quæſtio de auctoritate Concilii generalis ſupra Papam involvit. Qui dicunt Pontificem eſſe ſupra Concilium, affirmant tria; majorem eſſe Pontificis, quam Concilii auctoritatem, aut ſaltem æqualem; Romanum Pontificem non teneri Concilii generalis legibus, eaſque poſſe pro libito ab ipſo abrogari: demum Pontificem non poſſe a Concilio judicari, aut deponi. Qui vero Concilium Pontifice Romano ſuperius eſſe aſſerunt, tria hæc negant, & oppoſitum tenent. Quæſtio porro iſta videtur primum in controverſiam veniſſe, atque hinc, & inde agitari cœpiſſe circa tempora Concilii Piſani, ut Bellarminus obſervat, qua de re nobis cum illo nulla lis erit; ſed tota difficultas eo redit, quid ante iſtud tempus Eccleſia univerſa de auctoritate Pontificis, & Concilii ſenſerit, & quid deinde in Conciliis generalibus de iſta quæſtione judicarit: contendit Bellarminus Eccleſiam ante iſtud tempus ſtatuiſſe Pontificem Concilio ſuperiorem, tuncque primum fuiſſe aliquos, qui Concilium ſupra Papam extollerent: nos e contra dicimus Bellarmini ſententiam ad illud uſque tempus fuiſſe orbi univerſo ignotam, tuncque primum inventam, & invectam fuiſſe, atque antea Eccleſiæ ſemper perſuaſum fuiſſe, majorem eſſe Concilii præſertim generalis, quam Romani Pontificis auctoritatem: ac demum idem ab ipſa poſt motam litem in Conciliis generalibus ſtatutum, atque definitum eſſe: hæc ſunt, quæ nobis adverſus Bellarminum oſtendere oportet.

§. I.

Poteſtatis Eccleſiaſticæ immediatum ſubjectum eſſe univerſam Eccleſiam.

PRopoſitarum quæſtionum definitio tota pendet ex hujus principii determinatione, quod hiſce verbis a noſtris Theologis concipitur: *quodnam ſit ſubjectum immedia-*

Digitized by Google

mediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ. Senſus eſt, an poteſtas clavium ſit immediate conceſſa univerſitati Eccleſiæ, ut per ejus Miniſtros, ac per ſummum Pontificem exerceatur, an vero ſummo Pontifici, aut etiam Epiſcopis ſit immediate collata: hoc eſt ſcilicet quæſtionum propoſitarum fundamentum; nam ſi clavium poteſtas eſt penes ſolum Pontificem Romanum, haud dubium eſt, quin ſuper univerſam Eccleſiam poteſtatem habeat, cum aliam poteſtatem hac in hypotheſi non habeant Eccleſia, & Prælati, quam quæ illis ab ipſo communicatur; ſecus vero ſi vice verſa Eccleſia ſupremam habet poteſtatem, quæ ab ea in Miniſtros ejus, ſummumque Pontificem derivatur. Operæ pretium eſt ergo, antequam ultra progrediamur, opinionis noſtræ fundamentum ex traditione confirmare. Ut ergo pateat mentem antiquorum omnium fuiſſe, claves non uni Petro, ſed in perſona Petri univerſitati Eccleſiæ collatas eſſe, quas illa Miniſtris ſuis, atque ipſi ſummo Pontifici communicat, nonnulla veterum id diſerte aſſerentium teſtimonia referam. Imprimis vero ſpectat illuc Chriſti dictum apud Matthæum Evangelii c. 18. *Si eos teſtes non audierit* frater peccans, *dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Quo patet ſupremam excommunicandi poteſtatem penes Eccleſiam eſſe. Hoc autem ex iſto loco, aliiſque ſimilibus intulerunt antiqui Patres, quorum ſelecta tantum, & aperta teſtimonia referam.

II. Tertullianus Scorpiaci cap. 10. *Memento claves hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ: *Loquitur Dominus ad Petrum: tu es Petrus, &c. Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut miſit me vivens Pater, &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit; hoc erant utique, & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis*.

III. Optatus lib. 7. *Præferri Petrus ceteris Apoſtolis meruit, & claves regni cœlorum communicandas ceteris ſolus accepit:* id eſt, accepit eas, ut ceteris etiam communicarentur, perſonam gerebat omnium.

VI. S. Baſilius Monaſticarum Conſtitutionum c. 23. *Petre*, inquit, *amas me plus his, paſce oves meas: & omnibus deinde Paſtoribus, ac Magiſtris eamdem tribuit poteſtatem, cujus quidem rei ſignum eſt, quod omnes ſimiliter, atque ille ligent, & ſolvant*.

VII. Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali c. 2. *Quæ oves*, inquit, *& quem gregem non ſolum tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes*.

VIII. Chryſoſtomus homil. 79. ad eadem verba: *Amas me, Petre, paſce oves meas: Quod*, inquit, *non ad Sacerdotes ſolos dictum eſt, verum etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minime grex commiſſus eſt . . . . . Habet unuſquiſque ovem, ad pinguia eam paſcua ducat*.

IX. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur, tamen propterea unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*.

X. Sanctus Auguſtinus diſerte, & centies lib. de Agone Chriſtiano c. 30. *Huic enim Eccleſiæ claves regni cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, paſce oves meas*. concione 2. ſuper Pſalmum 30. *cujus Eccleſiæ perſonam gerebat Petrus*, & enarratione in Pſalmum 108. *Agnoſcitur ille in figura geſtaſſe perſonam Eccleſiæ*. Tractatu 50. in Joannem: *Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit*. Item tractatu 118. *Claves unus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis accepit*. Item tract. 124. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam . . . . Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro*, id eſt, *poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata*. Mitto alia innumera ejuſdem teſtimonia in eamdem ſententiam, viginti ſex colle-

Digitized by Google

git Launoius Epistolarum p. 2. Epist. ad Hadrianum Vallantium, sed citata sufficiunt ad mentem eius cognoscendam.

XI. Cyrillus lib. 12. in Joannem: *Accipite Spiritum sanctum, respondemus virtutem in omnes permanasse, & scopum largientis impleſſe; dedit autem Christus non aliquibus seorsum, sed universis discipulis.*

XII. Sanctus Leo serm. 3. de anniversario Assumptionis suæ: *propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum, transivit quidem in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter id creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus præponitur.* Idem habet serm. 2. de natali Apostolorum.

XIII. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum c. 3. *Deus in persona B. Petri ligandi, solvendique tribuit potestatem.* lib. 1. de peccat. meritis, & remiss. *Cui* (Ecclesiæ) *claves regni cœlorum dedit, cui etiam potestatem ligandi, solvendique conceſſit.* Et cap. 20. *Hinc est quod etiam B. Petro, idest, Ecclesiæ suæ in terra ligandi solvendique tribuit potestatem.*

XIV. Eucherius Lugdunensis homilia de natali Petri: *Et tibi dabo claves regni cœlorum, hoc enim quod principaliter Petro dicitur, ceteris quoque Apostolis dictum intelligi debet, & non tantum Apostolis, verum etiam Episcopis, & Sacerdotibus.*

XV. Gregorius I. lib. 6. epost. in caput 16. lib. 1. Regum cap. 3. *Nam quod antiquis nusquam dicitur, quodcunque ligaveris super terram, modo universali in Ecclesia dicitur.*

XVI. Beda in cap. 19. Matthæi: *Claves regni cœlorum Petrus tanquam personam gerens ipsius unitatis accepit.* Et in cap. 21. *Ecclesia ergo in Petro claves regni cœlorum accepit.* Et lib. 4. in cap. 16. Matth. *Hæc potestas* (ligandi, atque solvendi) *sine dubio cunctis datur Apostolis, necnon Episcopis, Presbyteris, & omni Ecclesiæ.*

XVII. Ambrosius Auspertus lib. 4. in Apocalypsim: *Huic Petro typum gerenti Ecclesiæ dicit: quodcumque ligaveris*; idem habet lib. 5. & lib. 7.

XVIII. Dungalus Diaconus in lib. contra Claudium Taurinensem citata B. Augustini testimonia transcribit, Rabanus lib. 5. in Matt. c. 16. *Quæ solvendi, atque ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur a Domino, absque ulla dubietate tamen noscendum est, quod & ceteris datur ipso teste.*

XIX. Meldense Concilium anni 845. *Ut clavibus Ecclesiæ datis aditus ad vitam claudi debeat, aut reseravi.*

XX. Paschasius Radbertus lib. 8. in Matt. cap. 16. *Videtur cum Petro, & cum omnibus Apostolis hæc potestas specialius a Domino attributa, & licet Ecclesiæ eadem sit conceſſa.*

XXI. Hincmarus Rhemensis Epist. 33. cap. 20. cap. 36. & 47. necnon in libello expostulationis, qui in Concilio Duziacensi I. refertur cap. 26. citata ex Augustino, & Beda testimonia exscribit.

XXI. Odo Cluniacensis lib. 4. collat. c. 19. *Qui* (Christus) *ligandi, atque solvendi potestatem Ecclesiæ rectoribus in persona beati Petri conceſſit.*

XXII. Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 26. *Quid est, quod in typo Ecclesiæ dictum est Petro: quodcunque ligaveris?* Sequuntur eamdem sententiam Magister sententiarum distinct. 18. & 29. Alanus lib. 2. contra Valdensem. Thomas Valdensis tom. 1. de Sacramentis cap. 145. Joannes Gerso tract. de potestate Ecclesiastica, consideral. 4. Tostatus Abulensis in cap. 13. Num. quæst. 48. Dionysius Carthusianus lib. 1. de auctoritate Papæ, & Concilii art. 4. 34. Almainus de potestate Ecclesiastica cap. 17. Hadrianus VI. in 4. q. 1. Gulielmus Okamus, & alii: sed ex iis Theologis non est, qui opinionem nostram diligentius explicet, & accuratius expendat, quam Tostatus Abulensis, e quo non pauca referre haud pigebit.

XXIII. Quæstionem sic proponit illo loco supra citato: *an communitas seu Ecclesia possit habere exercitium jurisdictionis, & an Christus dederit claves soli Petro specialiter, vel soli Ecclesiæ, & quomodo trans-*

transfertur auctoritas clavium de uno Prælato ad alium. Huic autem quæstioni respondet, Jurisdictionem quidem secundum actum cadere non posse in communitatem, sed in personam determinatam, quæ possit actus aliquos exercere, sed eam esse in communitate secundum originem, & secundum virtutem, quia omnes personæ, quæ accipiunt jurisdictionem, ex virtute communitatis accipiunt. „ Ita autem, *inquit*, „ videtur de clavibus Ecclesiæ, quia illæ „ datæ sunt a Christo toti Ecclesiæ, quia „ tamen non poterat universa Ecclesia dispensare illas cum non esset aliqua persona, eas Petro dedit nomine Ecclesiæ; „ si tamen intelligeretur claves traditas „ esse Petro specialiter, non solum sequeretur inconvenienter, quod inducitur, scilicet quod alii Apostoli non habuissent, „ &c. sed adhuc inconveniens majus erat, „ quod defuncto Petro non mansissent claves, quod necesse erat si soli Petro datæ fuissent, & non solum si ipsi soli, „ sed etiam si omnibus Apostolis datæ fuissent, tanquam determinatis personis, defunctis illis, non mansissent claves in „ Ecclesia, quia isti non habent potestatem dandi aliis claves, faciendo eos successores suos, cum nemo possit Prælatum successorem sibi facere . . . . Ergo „ non fuerunt datæ claves illis, tanquam „ determinatis personis, sed tanquam Ministris Ecclesiæ; & tunc magis dabantur „ claves Ecclesiæ, cum Ecclesia, quæ ipsas habet radicaliter, nunquam moriatur. „ Hinc leviter apparet, quomodo mortuo „ Petro succederent alii summi Pontifices „ in æquali potestate, quia illa potestas „ clavium erat in Ecclesia . . . Hinc mortuo Petro potest eligere successorem, & „ eligendo confert eam potestatem. Hoc „ idem patet in communitatibus; si enim „ aliqua communitas, vel collegium est, „ ibi erit jurisdictio, & quia non potest „ administrari per universam societatem, „ administratur per unum de communitate: non est tamen jurisdictio in illo ita, „ quod non sit in communitate, sed est „ magis in communitate, quia antequam „ ille constituatur in judicem, vel rectorem, nullam habet jurisdictionem, illo „ mortuo, vel cadente, non penitus exspirat jurisdictio; potest alius præfici in rectorem, vel judicem, non tamen posset „ hoc fieri, si non maneret jurisdictio in „ communitate: ergo ipsa communitas habet magis jurisdictionem. Adhuc patet „ hoc, quia sede vacante capitulum habet „ omnia, quæ pertinent ad jurisdictionem „ Prælati: licet non ea, quæ sunt ordinis . . . Ergo videtur, quod jurisdictio „ illa radicalius erat in Ecclesia, quam in „ Prælato: non tamen haberet eam Ecclesia, nisi in principio ei tradita fuisset, „ quia jurisdictio clavium non est talis, quales sunt jurisdictiones, quas constituunt „ sibi homines; quia cum jurisdictio sit in „ remittendo peccata, & ligando, non possunt eam homines sibi fingere, sed a „ Deo solo est, cum ipse solus remittat „ peccata, in Ecclesia autem est ista jurisdictio. Ergo oportet, quod illam aliquando acceperit, & hoc non fuit, nisi „ cum primo traditæ sunt claves a Christo. *Et quæst.* 49. Ecclesia suscipit claves a Christo, & Apostoli tanquam Ministri Ecclesiæ, & nunc Ecclesia illas „ habet, & Prælati etiam, sed aliter Ecclesia, quam Prælati; nam Ecclesia illas „ habet secundum originem, & virtutem, „ Prælati autem habent secundum usum „ earum. Dicitur Ecclesia habere secundum „ virtutem claves, quia potest illas conferre Prælato per electionem . . . Exemplum hujus rei in domino rei, & usufructuario, atque usurario; nam dominus „ rei habet usum rei, & confert illum „ usum alteri, sed non eo modo, quo habet, quia sibi reservat usum, ut proprietario alteri concedit, vel usuario, vel „ usufructuario; & in hoc confert dominus, „ quod habet, quia dominus rei non est „ usufructuarius, vel usuarius: conformiter „ in Ecclesia, ipsa enim non habet claves „ quantum ad usum, omnia autem ista „ descendunt ex hoc, quod Ecclesia non „ est aliquid unum per se potens habere „ administrationem clavium, si autem posset per se administrare, non committeret alicui Prælato. „ Ita Episcopus Abulensis opinionem nostram, quæ sacræ Facultatis Parisiensis est, mirum in modum

Digitized by Google

illuſtrat, & invicte probat, ita ut nihil a nobis addi poſſit ad eam explicandam, aut aſſerendam.

XXIV. Ut tamen ad propoſitum revertamur, oſtendendum eſt, quo pacto ex hoc principio, & fundamento ſequantur ea, quæ nobis in hac diſſertatione probanda ſumſimus. Hoc autem facile eſt ad oculum demonſtrare; nam nemo eſt, qui non ſtatim intelligat illum ſupremam habere poteſtatem, qui poteſtatem ipſam habet ſecundum originem, & virtutem; eum vero poteſtatem non habere ſupremam, qui tantum poteſtatem habet ab alio ſibi commiſſam quoad uſum. Patet autem ex dictis, poteſtatem Eccleſiaſticam, eſſe penes Eccleſiam, Romanum autem Pontificem, ceteroſque Prælatos, eam accipere ab Eccleſia quoad uſum tantummodo. Non ergo Summus Pontifex habet poteſtatem in univerſam Eccleſiam, licet habeat in univerſa Eccleſia, ſed vice verſa Eccleſia poteſtatem habet in Pontificem; & quemadmodum mortuo Pontifice alium ſufficit, ita poteſt eum corrigere, atque deponere, non quidem ipſa per ſe, nam univerſam ſocietatem Eccleſiæ convenire, aut judicare non eſt poſſibile; ſed per Concilium generale, quod cum univerſam Eccleſiam repræſentet, habet univerſam Eccleſiæ poteſtatem in ſe unitam, cum præſertim Eccleſiæ univerſæ habeat aſſenſum. Cum ergo Eccleſiæ poteſtas ſit ſuperior poteſtate Papæ, cum Eccleſia leges dicere poſſit Papæ, cum Eccleſia poſſit auferre a Papa juriſdictionem, quam ipſi commiſit; nemo dubitare poteſt, quin hæc omnia fieri poſſint a Concilio generali ipſam repræſentante: ſed hæc ſunt ſingillatim expendenda.

§. II.

Majorem eſſe Concilii generalis, quam Romani Pontificis auctoritatem.

AD probandam majorem eſſe Concilii præſertim generalis, quam Romani Pontificis auctoritatem hoc unum obſervaſſe ſufficeret, a Concilio generali Eccleſiam univerſam repræſentari, non item a Romano Pontifice; quippe cum ſuprema poteſtas ſpiritualis toti Eccleſiæ in commune a Chriſto collata ſit, ut paragrapho ſuperiori abunde probatum eſt, aliunde vero certum ſit, Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentare, non item Romanum Pontificem, quis negare poſſit, quin major ſit Concilii, quam Romani Pontificis auctoritas?

II. Præterea Romanis Pontificibus adeo perſuaſum fuit, Concilii auctoritatem ſua majorem eſſe, ut ultro ipſi Concilia poſtularint, tanquam ad dirimendas controverſias neceſſaria, ſuaque judicia in illis retractari poſtularint, aut ſaltem paſſi fuerint. Docet id conſtans, ac perpetua Romanorum Pontificum diſciplina.

III. Atque ut a Beato Petro ordiamur, *nihil ille*, ut Chryſoſtomus obſervat, nihil, inquam, alicujus momenti ſolus egit, nihil alicujus momenti ſine Concilio ſtatutum eſſe voluit: cum eligendus Apoſtolus in locum Judæ, cum conſtituendi Diaconi, cum aliquid de legalium obſervatione ſtatuendum in commune conſulit, & omnia fratrum electioni, ac judicio permittit. Id vero maxime elucet in illa celebri de legalium obſervatione controverſia, quæ in Concilio Hieroſolymis congregato diſceptata, ac judicata eſt, totiuſque Synodi non unius Petri nomine definita his verbis: *viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c.* Hoc exemplo utuntur Synodi V. generalis Patres, ut oſtendant Concilii præſertim generalis auctoritatem ſingulorum Epiſcoporum, ipſiuſque Romani Pontificis auctoritate ſuperiorem eſſe, ac majorem his verbis: „ Licet, *inquiunt*, Spiritus ſancti gratia circa ſingulos abundaret Apoſtolos, „ ut non indigerent alieno conſilio ad ea, „ quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret Gentes circumcidi, definiri priuſquam communiter congregati diverſarum „ ſcripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua „ dicta confirmaverunt, unde communiter „ de eo ſententiam protulerunt ad gentes ſcribentes, viſum eſt Spiritui ſancto, & „ nobis, &c. Sed & ſancti Patres, qui per „ tempora in ſanctis quatuor Conciliis convenerunt antiquis exemplis utentes communiter de exortis hæreſibus, & quæſtio-

„ ni-

Digitized by Google

„ nibus disposuerunt, certo constituto, quod „ in communibus de fide disceptationibus, „ cum proponuntur, quæ ex utraque parte „ discutienda sunt, veritatis lumen tenebras „ expellit mendacii. Nec enim potest in „ communibus de fide disputationibus ali- „ ter veritas manifestari, cum unusquisque „ proximi adjutorio indiget.

IV. Hinc quoties in Ecclesia majores, ac graviores controversiæ sunt exortæ, congregata semper fuere Concilia. Quid autem necesse fuisset ea congregari, si solius Romani Pontificis auctoritas Concilii auctoritatem superaret? At non ista fuit Romanorum Pontificum sententia, cum ipsi Concilia ultro ut necessaria postulent etiam post judicium suum.

V. Sic Clerus Romanus tempore Cypriani causam lapsorum non aliter tractari posse affirmat, *quam collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris Confessoribus facta, quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.*

VI. Sic Julius ad Orientalium dissidia finienda, Athanasii causam judicandam, necnon ad fidem confirmandam Concilium necessarium esse affirmat, atque ad illud Eusebium, & ejus socios invitat.

VII. Sic etiam Liberius ad eandem causam judicandam Concilium petiisse se testatur, & iterum enixe postulat in litteris ad Constantium; atque illa de causa Legatos ad eum mittit: idem cum in Imperatoris conspectum venisset, eamdem postulationem iterato renovavit, & interroganti Imperatoris Ministro, *quota pars orbis est Liberi*, non respondet se supra Concilia esse, suamque auctoritatem omni alia majorem esse, sed tantum ait, quod etiamsi solus sit cum paucis, non ideo causam fidei minui; quoniam tres tantum fuerunt, qui Nabuchodonozori restitere.

VIII. Damasus, & alii Episcopi Occidentales post Aquileïensem Synodum ad Imperatorem Theodosium scribentes, ad componendas Orientis res Synodum generalem fieri enixe postulant: iidem autem se non prærogativam examinis sibi vindicare aiunt, sed tantum consortium communis arbitrii. Causam Bonosi, quæ Concilii Capuensis statuto finitimis Episcopis, Anysio scilicet Thessalonicensi, & Macedonibus fuerat commissa, non audet ipse judicare: *cum hujusmodi*, inquit, *fuerit Synodi Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso de eo cognoscant; advertimus nobis judicandi formam competere non posse.* Quibus verbis agnoscit Siricius, se non solum Concilii generalis, sed & alterius Synodi, qualis esset Capuensis auctoritate ita astringi, ut non possit causam ab ista Synodo aliis judicibus commissam ipse judicare, agnoscit etiam judicium ab istis, qui a Synodo delegati fuerunt, ferendum suo judicio firmius ac superius fore: *Vos enim*, inquit, *ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Innocentius I. ad motas in Chrysostomum turbas componendas suam non interponit auctoritatem tanquam supremam, sed Synodum necessariam esse judicat: *Quodnam*, inquit in Epist. ad Clerum Const. *remedium istis rebus in præsenti afferemus, necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multo jam antea congregandam diximus: ea enim sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest.*

IX. Cælestinus I. cognita Nestorii hæresi privatam Sedis Apostolicæ, sed in Concilio Occidentalium sententiam in eum profert, ac deinde cum convocata Synodus generalis foret, ipse ad eam Legatos misit, litteris suis ita Synodorum generalium auctoritatem extollens: *Non poterit*, inquit, *veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum; quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum.*

X. Sed nullus est Pontifex, qui de Conciliorum necessitate, & auctoritate plura scripserit, quam beatus Leo, præsertim vero in causa Eutychetis. Licet enim Flavianus ad judicandum Eutychem Synodum generalem necessariam non esse credidisset, nihilominus S. Leo Concilii celebrationi annuit, petiitque ab Imperatore, *ut intra*

Ita-

Digitized by Google

Italiam habere juberet Episcopale Concilium, quo, conciliante Deo, possent omnia scandala, quæ in perturbationem Ecclesiæ commota erant, resecari. Cum vero Imperator eam Synodum Ephesi indixisset, ultro beatus Leo ad eam Legatos misit: *Unde*, inquit in Epist. ad Theodosium, *quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem; præsertim cum tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum. Tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur. Ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ æquitate sufficiant, quippe præsentiæ meæ impleant vicem.* Nec beatus Flavianus, nec sanctus Leo inutilem esse Synodum judicant, eo quod judicium Pontificis Concilii judicio sit superius, sed quia, ut observavimus, atque ut hic habet sanctus Leo, evidens omnino causa fidei sit in anterioribus Conciliis aperte definita, sed cum Synodum necessariam judicasset Imperator, ipse sanctus Leo ultro assensus est, nec putavit ullum fieri Sedi, aut auctoritati suæ præjudicium, si ad illam Legatos mitteret. Cum vero Synodus illa Dioscori nefariis artibus compulsa perperam judicasset, si S. Leo suam auctoritatem Concilii potestate superiorem credidisset, quis dubitet quin ille, prout affectus erat, statim ejus Decreta in irritum misisset; verum nihil hujusmodi fecit, aut facere se posse arbitratus est, imo nullam alium huic malo remedium esse ratus est, quam Concilii alterius generalis celebrationem. Quapropter Imperatorem supplex per litteras non semel obtestatus est, *ut majorem ex toto orbe Sacerdotum numerum congregaret.* Quum demum Synodum, imperante Martiano, obtinuit, & in qua Chalcedone habita Eutychetis causa supremo judicio terminata est; quis porro credat, Leonem dignitatis suæ defensorem acerrimum, aut Concilia generalia postulasse, aut sua judicia in iis retractari permisisse, si suam auctoritatem Concilii auctoritate superiorem fuisset arbitratus.

IX. Denique diserte testatur in Epist. ad Theodoretum post Synodum scripta, judicium suum post Synodi confirmationem magnum robur accepisse, & jam non posse ullatenus convelli, aut labefactari: *Gloriamini*, inquit, *in Domino, qui nullum nos in fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quod nostro prius ministerio definierat, non universæ fraternitatis privavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderit, quod prius a prima omnium sede firmatum, totius Christiani orbis judicium recepisset.* Ergo non existimavit judicium suum æqualis fuisse ponderis cum judicio Synodi.

X. Felix III. & Gelasius I. ad damnandum Acacium Constantinopolitanum, non suam, sed Concilii Chalcedonensis auctoritatem adducunt: cum enim ille Synodum peteret, in qua judicaretur, non ajunt illi opus non esse Synodo, eo quod sola sufficiat auctoritas Pontificis, utpote quæ qualibet Synodo major sit, atque superior, sed Synodum minime necessariam esse dicunt, eo quod Acacius jungeret se Eutychianis in Synodo Chalcedonensi damnatis: *Nec enim*, inquit Gelasius Epist. 9. *dubium est, quod sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices sectatores communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censetur, ideque fit consequens, ut sicut Timotheus, atque Petrus talium sectatores communicatores damnato semel pravitatis pari sorte censentur, secundum illius tenorem Synodi, nulla recenti facta Pontificum congregatione damnati sunt; sic & qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors factus sit & pœnæ.* Itaque Romani Pontifices non suam in Acacium, sed Concilii Chalcedonensis auctoritatem allegant, cujus se tantum executores perhibent; sic enim Gelasius Epist. 4. ait decessorem suum *executorem fuisse veteris constituti, non novæ Constitutionis auctorem. quod non solum*, inquit, *præsuli Apostolico facere licet, sed & cuicunque Pontifici, ut quoslibet, & quemlibet locum secundum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ a Catholica communione discernant.* Siccine se gesis-

Digitized by Google

gessissent isti Pontifices, nisi auctoritatem Concilii sua superiorem existimassent? Quid opus fuisset studiose observare, se non suo marte pugnare, sed tantum ex auctoritate Concilii Chalcedonensis? Non potest alia ratio asserri, cur eam tantum venditent, nisi quod illam sua majorem esse arbitrentur.

XI. Vigilius Papa in causa trium capitulorum ad eorum damnationem non potuit compelli, nisi auctoritate Concilii generalis: hoc testantur Italiæ Clerici in litteris ad Legatos Francorum Constantinopolim euntes: Cœpit, inquiunt, *Papa Vigilius ad hoc compelli, ut absolute ipsa capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret, sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimium ingravari, dixit tunc serenissimo Principi: veniant huc fratres nostri ex omnibus Provinciis quini, aut seni, & quicquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus; quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam.* Et postea: *si quis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum de istis capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, a communione Sedis Apostolicæ alienus existeret.* Cum vero quinta Synodus generalis de tribus capitulis judicium postea tulisset repugnante, ac resistente Vigilio, ejus tum Decretum vim habuit, coactusque fertur ipse Vigilius tandem ei contentire. Agatho Romanus Pontifex Synodo generali propter Menothelitarum causam indicta non deprecatur eam minime fieri, eo quod in Synodo Lateranensi, Præside Martino I. jam judicata causa videri potuisset; quinimo ultro ad eam Legatos mittit, eamque necessariam fuisse fatetur in Epistola Synodica, *Ut*, inquit, *veritas adhuc in ancipiti positis clareat, & eam ferventer amplectentibus robur accrescat, & zizaniorum genimina spirituali falce abscindantur.*

XII. Mitto alia plurima Pontificum Romanorum testimonia, quibus centies ipsi profitentur, se nihil quippiam momenti definire, aut gerere posse sine Concilii auctoritate: unus erit instar omnium.

XIII. Innocentius III. qui Philippo petenti, ut sibi liceret cum uxore divortium facere, respondet se id sine Concilio generali facere non posse lib. 3. regist. 15. Epist. 104. *Verum*, inquit, *si super hoc absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis, & officii nobis periculum immineret.* Putavit ergo posse aliquid Concilium generale, quod sibi facere non liceret, ac proinde auctoritatem generalis Concilii sua superiorem agnovit.

XIV. Gregorius X. in indictione Concilii Lugdunensis agnoscit se solum sine Concilio generali non sufficere ad res Ecclesiæ restituendas. „ Ad quod, *inquit*, cum nos „ sufficere non posse sciamus, levamus oculos „ ad montem, montem quidem Dei, montem „ uberem, montem pinguem, unde opportunum „ nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote speramus; & quia salubre in „ his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto, & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit opportuno tempore decernimus congregandum, in eo tam circa præmissa, quam circa cetera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur. Eadem verba repetit Clemens V. in Epist. ad Philippum Francorum Regem.

XV. Denique, ut alia mittam, Romani Pontifices ad Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumque Novatorum errores peremptorio judicio damnandos Concilii generalis auctoritatem necessariam esse crediderunt; nec conquesti sunt, rem a sua Sede judicatam in Synodo Tridentina iterum examinari, ac de novo judicari. Non ergo putaverunt, suam auctoritate Concilii majorem aut superiorem esse.

XVI. Denique eandem semper fuisse de Concilii auctoritate totius Ecclesiæ sententiam docet ea, quam in definiendis rebus Ecclesiasticis perpetuo servavit disciplina, de qua

Digitized by Google

qua dissertatione secunda satis, & abunde dictum. Ex ea quippe liquet, supremum semper Ecclesiæ judicium fuisse penes Synodum generalem, a qua non poterat ulla ad Pontificem esse provocatio, cum e contra a Pontificis Romani judicio ad Synodum generaralem confugere liceret. Docet id diserte Divus Augustinus Epist. 162. ubi Donatistis Romæ a Pontifice, Synodoque proscriptis ait, unum adhuc confugium supereſſe, ad plenariam scilicet Synodum: *Ecce putemus*, inquit, *illos Episcopos, qui Romæ judicarunt non bonos fuisse judices, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur*. Haud dubitavit ergo S. Augustinus, majorem esse Concilii plenarii, & generalis (quod ad ejus Africanorumque mentem potuit esse tantum nationale) non dubitavit, inquam, quin hujusmodi Concilium Romani Pontificis, & ejus Synodi, quæ novemdecim erat Episcoporum, judicium infirmare posset, ac solvere. Et sane, ut jam multoties a nobis observatum, ac probatum est, universæ ferme causæ fidei, postquam a Romanis Pontificibus judicatæ sunt, iterum in Synodis agitatæ, atque definitæ fuerunt, nec res ante Concilii definitionem penitus eliquatæ, atque definitæ censebantur. Sic Augustinus observat in negotio Baptismi hæreticorum judicio Stephani litem non fuisse definitam, sed tantum Synodi plenariæ sanctione; beatumque Cyprianum potuisse sine hæresi a Stephani opinione dissentire, quod non poterant Donatistæ, postquam res in Synodo plenaria definita fuerat. Sic etiam in negotio celebrationis Paschæ, quandiu Victoris tantum, & Romanæ Ecclesiæ sententia reprobata est Asianorum consuetudo, pro hæreticis, aut schismaticis habiti minime fuerunt. At statim atque a Concilio Nicæno statutum est Pascha, nonnisi die Dominica celebrandum, qui alia die illud celebrarunt, schismatici ubique audiere.

XVI. Mitto alia innumera exempla, atque primum istud dissertationis hujus caput concludo auctoritate, & ratiocinio sancti Augustini lib. 2. de Bapt. cap. 4. *Universum*, inquit in simili negotio, *partibus semper optimo jure præponitur*. Cum ergo Concilium sit totum respectu Papæ, qui membrum ejus est, cum Concilium universam repræsentet Ecclesiam, cujus Pontifex est membrum, licet primum, atque præcipuum, quis sanus in dubium revocare possit, quin universa Ecclesia, & Concilium eam repræsentans majori auctoritate polleat, quam solus Pontifex Romanus? addi posset, & illud Hieronymi Epist. 85. *si auctoritas quæritur, orbis major est urbe*. Quod si ita est, major quoque debet esse Episcoporum universi orbis, quam Episcopi unius urbis auctoritas.

§. III.

Pontificem Romanum Concilii Legibus teneri, nec posse illas pro libito irritare, immutare, quamvis possit ab iis sapienter dispensare in eo casu, quo Concilium dispensaret.

SEquitur hæc propositio ex præcedenti, nam si Papæ auctoritas inferior auctoritate Concilii, si judicium Concilii superius est judicio Pontificis, cum inferior nihil possit in superiorem, necessario dicendum est, leges, & judicia Concilii generalis non posse a Romano Pontifice pro libito dissolvi, aut mutari, aut vice versa, cum superior inferiori leges dicere possit, Pontificem Romanum Conciliis, & legibus teneri fatendum est; sed ut omnibus id constet, non aliis utemur testibus, quam ipsis Romanis Pontificibus, qui omnes uno ore clamant, se Conciliorum legibus teneri, nec posse se illas infringere, aut pro libito immutare. Sed præstat ipsorum audire verba, quibus nihil disertius, nihil luculentius est: audiantur ergo.

II. Julius I. Epist. ad Orientales: *Id vere ad Synodi, & Episcoporum, qui in concilio* (Nicæno) *fuerant, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio, & cura, velut Deo præsente egissent, a nobis ut vana, futiliaque abrogarentur*. Et ibidem *Nos omnia secundum Canonem facimus*.

III.

Digitized by Google

III. Liberius in Epiſt. ad Conſt. *Ad iſtud officium, teſtis eſt mihi Deus meus, invitus acceſſi, in quo cupio quidem ſine offenſa Dei, quandiu in ſæculo fuero, permanere, & nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica ut eſſent ſemper firmata, & cuſtodita perfeci, ſecutus morem nihil addidi Epiſcopatui urbis, ordinemque majorum, Romæ nihil minui paſſus ſum.*

IV. Bonifacius I. in Epiſt. ad Hilarium Narboneſem: *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum functionum diligentes eſſe cuſtodes.* Et poſt alia: *Nemo ergo eorum termino audax temerator excedat, nec aliquid in illorum contumeliam partibus ſuis, quæ tibi non videntur conceſſa defendat. Ceſſet hujuſmodi præſumptio eorum, qui ultra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua adeo nos Canonum præcepta ſervare, ut ita quoque conſtitutio noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui unaquæque Provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.*

V. Cæleſtinus I. in Epiſt. ad Perigenem Dinatum, Baſilium, & alios Illyrici Epiſcopos, *dominentur nobis regulæ: non regulis dominemur, ſimus ſubjecti Canonibus, qui Canonum præcepta ſervamus.*

VI. Sixtus III. in Epiſt. ad Epiſcopos per Illyricum: *ſed ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, & vigorem ſuum perdit, & non tenet, quam habuerat, dignitatem.*

VII. Leo I. *Nimis hæc improbanda, nimis ſunt prava, quæ ſanctis Canonibus inveniuntur eſſe contraria.* Et paulo poſt: *Abſit a conſcientia mea, ut tam prava cupiditas ſtudiis meis adjuvetur . . . . . ſancti illi, & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt, & ſi quid uſque aliter, quam illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, ut quæ ad perpetuum generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.*

VIII. Idem in Ep. ad Pulcheriam de iiſdem Canonibus Nicænis loquens: Quo„ niam, *inquit*, contra ſtatuta paterno„ rum Canonum, quæ ante longiſſimæ „ ætatis annos in urbe Nicæna ſpirituali„ bus ſunt fundata Decretis nihil cuique „ addere concedit, ita ut, ſi quis diverſum „ aliquid decernere velit, ſe potius minuat, „ quam illa corrumpat. Quæ ſi, ut oportet, „ a cunctis Pontificibus intemerata ſerven„ tur. *Et cap.* 3. conſenſiones vero Epi„ ſcoporum ſanctorum Canonum apud Ni„ cæam conditorum regulis repugnante uni„ ta nobiſcum veſtræ fidei pietate in irri„ tum mittimus, & per auctoritatem bea„ ti Petri Apoſtoli generali prorſus defini„ tione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſti„ cis his legibus obſequentes, quas ad paci„ ficationem omnium ſacerdotum per tre„ centos decem & octo Antiſtites Spiri„ tus ſanctus inſtituit.

IX. Simplicius in Epiſt. ad Acacium ait, *contra definitiones Concilii Chalcedonenſis nihil retractari poſſe, quia per univerſum mundum inſolubili obſervatione retinetur, quod a ſacerdotum univerſitate conſtitutum eſt.*

X. Gelaſius I. Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Quibus*, inquit, *convenienter ex paterna traditione perpenſis confidimus, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſæ Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem oportere, quam primam.*

XI. Similiter Hilarius Papa in Romano Concilio, cui præfuit: *Nos*, inquit, *potiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet . . . . ſi quidem reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia ſacerdotum ſublimitas perſonarum.*

XII. Agapetus Epiſt. 6. ad Cæſarium Arelatenſem „: Revocant, *inquit*, nos „ quominus deſideriis tuis annuamus, vene„ randa Patrum manifeſtiſſima conſtituta, „ quibus ſpecialiter prohibemur prædia ju„ ris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Domi„ nus præeſſe conſtituit, quolibet titulo „ ad aliena jura transferre; qua in re ſa„ pientiæ veſtræ quoque credimus eſſe gra„ tiſſimum, quod in nullo contra priſcas „ de-

„ definitiones, constituta, vel regulas quali-
„ bet occasione, sub cujuscunque personæ
„ respectu venire concedimus; nec tenaci-
„ tatis studio, aut sæcularis utilitatis cau-
„ sa hoc facere nos credatis, sed divini
„ considerationе judicii necesse nobis est,
„ quicquid Synodalis decrevit auctoritas,
„ inviolabiliter custodire.

XIII. Gregorius I. lib. 3. indict. 12. Epist. 30. Constantinæ Augustæ negat, quod illa petierat, ut caput Sancti ad se transmitteret: *Quod*, inquit, *vos illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo.* Lib. 2. ind. 11. Epist. 52. *Si Canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere, non cognosco, qui estis.* Idem lib. 1. Epist. 24. ait, se quatuor Concilia generalia, velut quatuor Evangelia venerari.

XIV. Martinus I. Epist. 5. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum: *defensores enim*, inquit, *divinorum Canonum, & custodes sumus, non prævaricatores.* Et in Epist. ad Amandum Trajectensem: *Ideo*, inquit, *necesse habuimus . . . . , Cœtum generalem fratrum, & Coepiscoporum nostrorum in Romana civitate congregare.*

XV. Zacharias Epist. 1. ad Bonif. cap. 5. *Absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse, nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, sive Canonum institutis invenirentur.*

XVI. Leo III. in dialogo, quem de additione particulæ *Filioque* Symbolo facta habuit cum Legatis Caroli Imperatoris negat quidquam se posse Symbolo adjicere, *Quia*, inquit, *me illis Patribus Constantinopolitani Concilii non dico præferam, sed absit, ut coæquare præsumam.*

XVII. Nicolaus I. Epistola 32. ad Episcopos Silvanectensis Concilii: *Sciat beatitudo vestra, non nos regulas, atque Decreta velle corrumpere.*

XVIII. Hadrianus II. de his *nihil audemus judicare, quod possit Nicæno Concilio, & quinque ceterorum Conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare.*

XIX. Joannes VIII. Epist. 231. *Et quia*, inquit, *Ecclesiæ Dei privilegium nos decet immutilatum solemniter conservare, ne in aliquo Patrum terminos præferre videamur contra statuta majorum agere nequivimus.*

XX. Silvester II. Epist. 145. *Itaque in causa Roberti Abbatis, ob eam, quam servamus, ac semper vobis servare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus, primum non esse nostri juris falcem in alienam messem ponere.*

XXI. Gregorius VII. *Et quia*, inquit lib. 2. Epist. 5. *venerandi Canones ad sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putamus, ne quidquam a nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum, & auctoritatem relinquatur; solet enim sancta, & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed numquam in suis decretis, & Constitutionibus a concordia Canonicæ traditionis discedere.*

XXII. Eugenius III. Epist. 8. *Contra Deum*, inquit, *& sacrorum Canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.*

XXIII. Innocentius III. *Si super hoc absque generali deliberatione Concilii statuere aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam forsan ordinis, & officii nobis periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.*

XXIV. Idem agnoverunt Antistites Græci, & Latini in Decreto unionis Concilii Florentini, quo statuitur Romano Pontifici *pascendi, regendi, ac gubernandi universam Ecclesiam a Domino Jesu Christo potestatem esse traditam, quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris Canonibus continetur.* Hoc est, *juxta eum modum, quo & in actis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris Canonibus continetur*, καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. Quæ voces pascendæ, & regendæ Ecclesiæ universæ rationem, & formam restringunt, ostenduntque Pontificem in regenda, & pascenda Ecclesia teneri Conciliorum, & Canonum auctoritatem, & Decreta sequi, nec posse aliter Ecclesiam universam regere aut pascere. Ita vero legi, & intelligi debere decretum Synodi Florentinæ, non autem ut recenter a quibusdam legitur

quem-

Digitized by Google

quemadmodum etiam, docet tum textus Græcus Decreti, tum ii, qui ita in Latino legere ſcriptores Blondus Eugenii Papæ IV. Notarius lib. 3. decade 10. Marcus Vigerius Patavinus, qui Romæ anno 1516. obiit, in Decachordo chorda 10. Roſſenſis art. 25. contra Lutheranos, Ekius lib. 2. de Primatu Petri c. 25. Albertus Pighius lib. 3. de Hierarchia c. ultimo. Hi omnes ſcriptores minime ſuſpecti ſunt, & tamen Decretum Concilii Florentini legerunt, & & intellexerunt, quemadmodum & nos legimus atque intelleximus. Majorem autem ipſis quam recentioribus, qui aliter verba Concilii legerent, & intelligerent, fidem deberi nemo non intelligit.

XXV. In eadem Synodo Beſſarion ſeſſione nona, velut principium apud Græcos, & Latinos minime controverſum ſupponit *Eccleſiam Romanam, quantacumque facultate polleat, minus tamen pollere Synodo œcumenica, & univerſali Eccleſia*. Quod quidem principium a Latinis minime rejectum legitur; imo in Decreto unionis modo relato confirmatum eſt, cum modus Eccleſiæ paſcendæ, & regendæ Pontifici præſcriptus eſt juxta acta veritatis, & Canones Conciliorum.

XXVI. Poſt tantam nubem teſtium, quis niſi excæcatus, & vecors affirmare audeat, Romanos Pontifices Decretis Conciliorum non teneri, ſed ea poſſe pro libito abrogare, & ſine cauſa quoslibet ab iis diſpenſare, cum contrarium tot, ac tanti Romani Pontifices diſerte, ac ſine ambagibus proteſtentur? nam in teſtimoniis ſuperius allatis videre eſt eos ſæpe ſæpius affirmantes, ſe Concilii legibus ita teneri, ut eas vel in leviſſimis rebus infringere, aut violare minime valeant.

XXVII. Nec vero diſpenſationes Canonum a Pontificibus olim licet raro conceſſæ, ſuperiori doctrinæ adverſantur; quippe diſpenſatio non eſt infractio, aut violatio legis, ſed declaratio cum auctoritate facta legem non habere locum in tali vel tali caſu; nam cum Legislator legem ferat generalem, nec poſſit omnes caſus prævidere, neceſſe eſt legem locum non habere, cum præſumitur mens Legislatoris non fuiſſe, ut in iſto caſu obligatoria eſſet, ut loquuntur. Itaque conſideranda eſt in diſpenſationibus mens Legislatoris, & eo tantum in caſu diſpenſatio danda, quo in caſu eam ipſe Legislator conceſſiſſet. Sed quia ſi permitteretur unicuique hujuſmodi interpretatio legis, ſi cuivis liceret de mente Legislatoris judicare, ſub hoc obtentu leges ab omnibus infringerentur; neceſſe fuit, jus iſtud reſervari iis, qui auctoritate pollent, quibus permiſſum eſt cum auctoritate declarare, legem locum non habere in hoc vel illo caſu, & ita ab ejus obſervatione diſpenſare. In hoc enim differt interpretatio a diſpenſatione, quod interpretatio fiat ab eo, qui auctoritatem non habet; diſpenſatio vero ab eo, qui auctoritatem habet. Sic Doctor aut Juriſconſultus poteſt quidem interpretari legem, non autem poteſt efficere, quominus ii, quos cenſet a lege debere eſſe immunes, ab illa fiant immunes. Hoc autem faciet Senatus, faciet Prætor, & alius qui auctoritatem habet. Ita Pontifex Romanus poteſt non ſolum interpretari legem, quod quilibet Doctor poſſet, ſed & declarare cum auctoritate in tali vel tali caſu hunc vel illum ab ea eſſe immunem; hoc autem non poteſt facere, niſi cum evidens, & juſta ratio faciendum eſſe ſuadet, alioquin diſſipatio potius eſt quam diſpenſatio, inquit egregie Bernardus hac de re conſulendus in libro de præcepto, & diſpenſatione, & in Epiſtola prima.

§. IV.

In quo probatur Pontificem Romanum a Concilio judicari, & deponi poſſe.

ROmanos Pontifices in errores prolabi poſſe ſuperiori diſſertatione oſtenſum. Eoſdem gravibus turpibuſque vitiis depravari poſſe certo certius eſt. Aliunde vero conſtat ab Eccleſiaſtica communione ejiciendos, & de Epiſcopatu dejiciendos eſſe illos, qui vel in fide, vel in moribus peccant, ut a nobis demonſtratum, & explicatum eſt in diſſertatione de excommunicatione. Ex quibus ſimul junctis infertur, fieri poſſe aliquando, ut Pontifex Romanus ſit excommunicandus, & deponendus.

Digitized by Google

Quod etiamsi nunquam evenisset, attamen fieri posse quis dubitaret? Verum non unum superest exemplum Episcoporum Romanorum, qui a Conciliis propter hæresim, ac vitia judicati, damnati, atque etiam de sede dejecti fuerunt.

II. Et quidem antiquum fuisse Ecclesiæ Romanæ morem, ut cum in hæreseos vel criminum suspicionem venissent a Synodis judicarentur, docet Concilium Italiæ sub Damaso in Epistola tertia ad Gratianum, & Valentinianum: *Memoratus*, inquit, *frater Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior, quibus & si æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra summovit*. Et post pauca: *Quod vero ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis Sacerdotum, a quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur*. Et postea: *Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Sylvester Papa a sacrilegis accusatus apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est*. Quo ex testimonio liquet, consuetudinem Ecclesiæ Romanæ esse, ut ejus Episcopus a Synodo, etiam in moribus judicaretur.

III. Rariora sunt hujus rei apud antiquos exempla, quia tum temporis ad Episcopatum Romanum ii tantum promovebantur, quorum integra erat vita, moresque probati. Nihilominus tamen cum aliquid in iis reprehensione dignum erat, ceteri Episcopi Pauli Apostoli libertatem imitabantur, qui Petrum minus recte ad Evangelii veritatem ambulantem reprehendit. Sed ut illa mittam, in Romanos Pontifices a Synodis lata judicia memorabo.

IV. Honorium sexta Synodus cum ceteris hæreticis damnavit, licet mortuum; quod si mortuum potuit anathemate percellere, quis dubitet quin potuerit eum, si vixisset, de Episcopatu dejicere?

V. Ad Symmachi, qui quorumdam accusabatur criminum, causam judicandam, Rex Theodoricus Synodum Italiæ indixit, qua quidem in Synodo Symmachi causa ventilata est; sed cum deficerent probationes, Concilium judicavit hunc, quantum ad homines respicit, immunem, & liberum esse ab objectis criminibus: *Decernimus*, inquiunt Patres Synodi Romanæ anno 501. habitæ, *ut Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul ab hujusmodi propositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus designatis* (hoc est quia deficiebant adversus eum probationes.) *constat arbitrio fuisse divino dimissum, sit immunis, & liber, &c. totamque causam Dei judicio reservantes, universos hortamur, ut sacram communionem ab eo recipiant, &c.* Verum quidem est, ut nihil dissimulem, fuisse tum nonnullos, qui existimarent Synodum Italorum Episcoporum, utpote minorum, & inferiorum Pontifice Romano, non habere de eo judicandi potestatem. Ita ipsa Synodus initio Theodorico Regi duo suggessit, quorum alterum erat debuisse Synodum ab ipso Pontifice convocari; alterum Romanum Pontificem minorum nunquam subjecisse judicio. Quamvis autem alii legant *inimicorum* pro minorum, alii *minorum* nomine non Episcopos, sed Laicos Judices intelligant: malim bona fide fateri eos minorum nomine intellexisse Episcopos; at cum Theodoricus affirmasset Synodum consensu Romani Episcopi celebratam, causam ejus ipsi ventilarunt, Deoque dimiserunt, non ob defectum potestatis, sed ob defectum probationum. Videtur tamen Ennodius aliter mentem Synodi intellexisse, cum ait in Apologetico: *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, Sedis istius Præsulem suo fine quæstione reservavit arbitrio*. Quod ab Ennodio dictum videtur per adulationem, ad mentem quorumdam, qui in moribus Pontificem a Synodo præsertim Provinciali judicari non posse jam tum aiebant, sed fatebantur omnes in rebus fidei a Synodo generali ipsum judicari posse, ut egregie docet Hadrianus II. in Epistola, quæ Synodi octavæ actione septima lecta est: *Licet*, inquit, *Honorio ab Orientalibus anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super*

Digitized by Google

ſuper hæreſi accuſatus fuerat, propter quam ſolum licitum eſt minoribus majorum ſuorum moribus reſiſtere, vel pravos ſenſus libere reſpuere. Fuit ergo quorumdam licet vana perſuaſio, propter mores a Concilio Romanum Epiſcopum judicari non poſſe, quamvis nemo dubitaret, quin propter fidem deponi poſſet; quod unum, nobis ſufficit. Sed nec alterum illud verum eſt, nam poſt Simmachi, & Honorii tempora exempla ſuperſunt Romanorum Pontificum a Conciliis propter corruptos mores depoſitorum.

VI. Imprimis vero inſigne eſt judicium a Romano Concilio in Joannem XII. latum, a quo propter horrenda flagitia depoſitus eſt Joannes, & alius in ejus locum electus, ut narrat Luitprandus Ticinenſis lib. 6. cap. 6. his verbis: *Poſt triduum rogantibus tam Romanis Epiſcopis, quam plebe, magnus in ſancti Petri Eccleſia fit conventus, ſederuntque cum Imperatore Archiepiſcopi ab Italia pro Engelfrido Aquileenſi Patriarcha, quem in eadem urbe languor repente, ut fit, arripuerat.* Rodulphus Diaconus, Albertus Mediolanenſis, &c. & enumeratis ſexaginta, & amplius Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Cardinalibus, cum aliquot Romanæ Eccleſiæ Officiariis, urbiſque Primatibus: *His itaque reſidentibus*, pergit Hiſtoricus, *ſilentiumque ſummum tenentibus, ita ſanctus Imperator exorſus. Quoniam decorum eſſet, tam claro ſancloque dominum Papam Joannem intereſſe Concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos, o ſancti Patres, conſulimus, quibus communis labor Eccleſiaſticus, ac commune negotium exiſtit; tunc Romani Pontifices, & Cardinales, Presbyteri, & Diaconi cum univerſa plebe dixerunt: miramur ſanctiſſimam prudentiam veſtram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet; non hic eſt ex iis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces; ita aperte ſævit, ita aperte diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur.* Imperator reſpondit: *Juſtum nobis videtur, ut accuſationes nominatim exprimantur. Tum a Narnienſi Epiſcopo execrandorum criminum accuſatus Joannes litteris ad Synodum vocatur, ut e de impoſitis criminibus, & ſacrilegiis purgaret.* Hanc Epiſtolam cum legiſſet Joannes, nulla accuſationum in ſe prolatarum mentione facta, reſcripſit tantum ſe audiviſſe Synodum in mente habere, ut alium crearent Papam: *Quod*, inquit, *ſi facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Miſſam celebrare.* Hæc Synodus Kalendis Decembris congregata reſpondit Joanni: *Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, auctoritati veſtræ proculdubio obediemus; ſed ſi venire, & objecta capitalia crimina purgare diſſimulatis, tunc excommunicationem veſtram parvi pendemus, eam potius in vos retorquebimus, quandoquidem juſte facere poſſumus.*

VII. Hæ litteræ Hadriano datæ, ut ad Joannem deferrentur; ſed cum inveniri non potuiſſet, conſtaretque eum ad Synodum non venturum, totius Synodi judicio depoſitus eſt, & electus in ejus locum Leo IV. quem quidem Joannes poſt diſceſſum Imperatoris Roma ejecit; ſed ipſe Joannes paulo poſt e vivis abiit Idibus Maii anno 964. Poſt hujus mortem a Romanis Benedictus eſt ſubrogatus, ſed eo rejecto, Leo coadunata Epiſcoporum Synodo reſtitutus eſt, & in Benedictum tanquam in invaſorem prolata ſententia. Hæc narrant præter Luitprandum Continuator Reginonis Adamus Bremenſis, Sigebertus, & alii bene multi, quorum teſtimonia collegit Launoius p. 4. Epiſt. Ep. 1. ad Mareſium. Ex iis vero nullus eſt, qui factum Concilii improbet, aut depoſitionem Joannis iniquam, & illicitam eſſe ſcribat, imo omnes uno ore eam approbant, Joannem Expapam, & Leonem legitimum Pontificem appellant.

VIII. Primum omnium Baronius Joannis videtur ſuſcepiſſe patrocinium, ſed infeliciter omnino: quod enim ait, eum fuiſſe a Synodo reſtitutum, depoſitumque per eam Leonem, id non aliunde habet, quam ex additamento quodam inſerto in Chronico. Sigeberti, quod Aubertus Miræus non invenit in manuſcrip. Gemblacenſis Monaſterii, quodque manifeſte patet eſſe aſſutum, & a mente Sigeberti, qui Joannem

Digitized by Google

nem Expapam, & Leonem legitimum Pontificem ibidem agnoscit, omnino alienum est. Nec vero fides ulla debetur actis quibusdam e Vaticano codice prolatis, quæ feruntur esse Synodi a Joanne adversus Leonem celebratæ; cum enim nullum hujusmodi Concilium habitum fuisse constet, non possunt ejus acta esse genuina, cum præsertim hæc aliunde suppositionis argui possint, ut ostendit Launoïus citata Epistola ad Maresium.

IX. Ut vero minus odiosum auctoritatis a Concilio in Romanum Pontificem exemplum proferam, addam sententiam a Concilio Lateranensi anno 112. celebrato in Paschalem secundum latam, qua tum Pontificis illius sententia de investituris est rescissa, tum ipse Pontifex a Synodo emendatus, & ad fidei suæ professionem emittendam impulsus. Primum ergo Paschalis se correctionis Concilii subjicit his verbis: *Porro*, inquit, *scriptum illud, quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute, & gloria, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus, sine fratrum consilio, aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, sicut prave factum cognosco, ita prave factum confiteor, & omnino corrigi, Deo præstante, desidero. Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt Concilio, judicioque constituo, ne forte per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur.* His a Paschali dictis, *communi omnium favore laudatum est, ut fratres omnes, qui donum a Deo sapientiæ scientiæque perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susciperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritus sancti responderent. Die itaque sexta, quæ & ultima Concilii fuit, fidei suæ veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem, Dominus Paschalis in audientia Concilii totius exposuit, asserens se scripturas sanctas veteris, & novi Testamenti, & Concilia universalia veneranda suscipere.* Decreta Romanorum Pontificum, ac præcipue Decreta Domini Papæ Gregorii, & B. memoriæ Papæ Urbani, quæ cum se probare, & semper probaturum esse professus esset; in calce professionis Engolismensis Gerardus hanc ex scriptis sententiam recitavit: *Privilegium illud quod non est privilegium, sed privilegium pro libertate captivorum, & Ecclesiæ a Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem Papa congregati, canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate judicio sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus.* Ex his multa inferri possunt Curialium placitis adversa; primo, Pontificem errare posse: secundo, errorem ejus a Concilio corrigi, & emendari: tertio, modum correctionis ipsi a Concilio præscribi: quarto, coram Concilio Pontificem se purgare, fideique professionem, ut se purgaret, emittere: demum, errorem Pontificis a Concilio damnari, & rejici.

X. Denique in Conciliis Pisano, Constantiensi, ac Basileensi, Romani Pontifices, ut Conciliorum Patribus est visum, depositi sunt, aliique ad ipsorum nutum in eorum locum subrogati, qui ab universa Ecclesia pro legitimis habiti sunt; sed ea de re plura paragrapho sequenti.

XI. Unum hic addam Concilii octavi Decretum, quod rem extra omnem controversiam ponit; hoc quippe Canone vigesimo primo reverentiam quidem Romano Episcopo debitam tuetur, ita tamen, ut possit in eum a Concilio sententia ferri, his verbis: *Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius, & Dioscorus, sive scripto, sive sine scripto insanias quasdam contra cathedram Coriphæi Apostolorum Petri audeat jactare, eandem atque, illi sententiam damnationis subeat. Si qua vero œcumenica collecta de Synodo de Romana etiam Ecclesia controversia extiterit, licebit cum decenti reverentia de proposita quæstione veneranter percontari, responsumque admittere, & sive juvari, sive juvare, non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontifices sententiam dicere.* Quibus postremis verbis non adimit Concilio Synodus octava potestatem judicandi de Episcopo Romano, quam præcedentibus ei concessit; sed tantum cavet, ne impudenter, & audacter privati Episcopi, quales Photius, & Dioscorus, sententiam in Pontificem dicant.

Digitized by Google

cant. Quod ex primis Canonis verbis liquet: *si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius, & Dioscorus, &c.* Et sane Synodus permittit Concilio œcumenico de iis, quæ spectant ad summum Pontificem quærere, & judicare, eumque, ut habet, juvare, vel ab eo juvari, hoc est, vel eum docere, vel ab eo doceri: vetat autem tantummodo, ne temere sententia in eum proferatur, supponens eam ferri posse, si non temere, & imprudenter id a privatis fiat, sed ab universa Synodo. Uno verbo, non negat Synodus œcumenico Concilio judicium Pontificis Romani competere, imo id adstruit, sed tantum definit, non esse de eo temere judicandum. Nec est, quod putet Cajetanus hoc se telum vitare, dicendo sensum Canonis esse, non posse sine audacia de Pontifice Romano judicari. Contrarium enim supponit Synodus, cum vult de rebus ad Pontificem, Ecclesiamque Romanam spectantibus a Synodo inquiri; ad quid enim inquireretur, nisi ut judicium ferretur? quid si, inquisitione facta, inveniretur hæreticus, aut gravissimorum criminum reus, nolletque juvari, hoc est emendari a Synodo? Quis dubitet quin mens Synodi fuerit, hoc in casu sine temeritate sententiam in eum dici posse?

§. V.

In quo Conciliorum Pisani, Constantiensis, & Basileensis circa propositam quæstionem definitiones referuntur, & ab adversariorum objectionibus vindicantur.

POstquam a nobis ostensum est, quæ fuerit antiquæ Ecclesiæ circa Concilii, & Pontificis Romani auctoritatem mens, & disciplina, superest, ut quid de illa in Conciliis generalibus post motam litem definitum fuerit expendamus.

II. Tria porro sunt Concilia in quibus hæc quæstio diu multumque ventilata, ac tandem definita est, & factis confirmata, Pisanum scilicet, Constantiense, ac Basileense, quorum historiam breviter ab origine deducere a proposito non erit alienum.

III. Cum Gregorius XI. Avenione, ubi 73. annos Pontifices sederunt, Romam rediisset, atque paulo post anno 1378. e vivis excessisset, populus Romanus seditione facta, in Conclave, ut vocant, irrupit, atque omnibus Cardinalibus mortem interminatus est, ni Romanum, aut saltem Italum crearent Pontificem; hi, ut saluti suæ consulerent, Bartholomæum Neapolitanum, qui Cardinalis non erat, Pontificem delegerunt, qui dictus est Urbanus VI. sed ægre ferentes vim a populo sibi illatam, aliquanto post Fundos se se transtulerunt, ubi Cardinalem Robertum, qui Clemens VII. est dictus, Pontificem elegerunt. Is Avenione sedit usque ad annum 1394. quo mortuus successorem habuit Petrum de Luna, qui Benedictus XIII. est dictus. Aliunde vero Urbano VI. successit Bonifacius hujus nominis nonus, Bonifacio Innocent. VII. ac demum Innocentio Angelus de Corario, qui anno 1406. ea conditione electus est, ut statim post electionem ad finem imponendum Schismati Pontificatu se se abdicaret. Verum ubi Pontificatum adeptus est, eo cedere noluit, seque Gregor. XII. appellari voluit. Ita res ad duos rediit Antipapas, Benedict. XIII. & Gregorium XII. Neutrum pro legitimo Pontifice agnoscebat Gallia, & tertium eligi volebat. Hinc habitum est Concilium Pisanum anno 1409. & ex consensu Christianorum omnium Principum celebratum, cui quidem adfuerunt plusquam ducenti Episcopi, ex Italia, Francia, Germania, & Anglia. Ad illud vocati Gregorius, & Benedictus cum non adfuissent, de Pontificatu dejecti sunt, electusque Alexander V. Nec solum Pisana Synodus suam in Pontifices auctoritatem exercuit, sed etiam Decreto sancivit, *Concilium generale universam repræsentans Ecclesiam esse superius Papa, & ad illud pertinere cognitionem, ac judicium controversiarum, quæ Pontificatum Romanum spectant.* Ea vero, quæ a Concilio Pisano gesta, & definita fuerunt, approbavit, & confirmavit Alexander V. qui tum ab omnibus pro legitimo Pontifice habebatur, & Pisanum Concilium legitimum, & generale pronuntiavit. Quo etiam nomine donatur Concilium illud ab omnibus, qui de eo tum temporis scripserunt.

IV.

Digitized by Google

IV. Poſt mortem Alexandri V. Joannes XXIII. hujus ſucceſſor Concilium Conſtantienſe quaſi ad continuationem Piſani anno 1414. indicit. Huic ipſe Pontifex adfuit, promiſitque ſe pro bono pacis Pontificatu ceſſurum, modo Benedictus XIII. & Gregorius XII. idem facerent. Sed hujus pollicitationis pœnitentia ductus a Concilio receſſit. Nihilominus Concilium non propterea interruptum eſt, imo decretum emiſit, quo definiebatur, Concilium receſſu Joannis XXIII. non eſſe diſſolutum. Deinde vero ſeſſionibus 4. & 5. *diſerte definivit Concilium generale univerſam repræſentans Eccleſiam, poteſtatem ſuam immediate habere a Chriſto, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ generalem in capite, & in membris.* Hocce decretum probatum fuit nationaliter, ac deinde ſynodaliter, hoc eſt ſejunctim, ut fiebat, ab unaquaque natione, ac deinde ab univerſis in Synodo Patribus.

V. Omnia porro ita decruta, & definita in Concilio a Martino V. probata ſunt, qui illa tantum excipit, quæ nationaliter, & non ſynodaliter definita fuerant.

VI. Poſt hæc Joannes XXIII. ad Synodum citatus reſpondit, ſe diſceſſus ſui pœnitentia duci, probari a ſe, quæ facta fuerant a Concilio, quæque deinceps erant ſtatuenda, paratumque ſe eſſe quæcumque a Concilio etiam adverſum ſe decernerentur, approbare. Idem fecit Gregorius XII. ſolus Benedictus XIII. ſe ipſum Pontificatu abdicare, & Concilii judicio cauſam ſuam committere renuit, atque ideo a Concilio, ut contumax eſt proſcriptus ſeſſione 37. Deinde ſeſſione 39. Concilium Decretum condidit de celebrandis ſingulis quinquenniis Conciliis generalibus.

VII. Quæcumque autem in Concilio nationaliter, & ſynodaliter fuerant definita Martinus V. legitimus Pontifex a Concilio electus rata habuit, & probavit, in primis vero decreta ſeſſionis 4. & 5. Nam inter articulos Bullæ in errores Wicleffi conditæ jubet interrogari Wicleſiſtas, num teneant Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentare, num doceant ea, quæ a Concilio Conſtantienſi probata ſunt, ab omnibus Chriſtianis probari debere, quod quidem ſeſſiones quartam & quintam reſpicit.

VIII. Idem Pontifex Decreto Conſtantienſis Concilii morem gerens Concilium generale indixit primo Papiæ, deinde Senis, ac demum Baſileæ, at ante hujus initium è vivis exceſſit: hujus vero ſucceſſor Eugenius IV. Julianum Cardinalem Legatum illuc deſtinavit, ut Concilio præeſſet. In eo 2. ſeſſione Concilii Conſtantienſis de auctoritate Concilii ſupra Papam Decreta renovata ſunt. Conatus eſt deinde Eugenius Concilium diſſolvere, at ſtetit illud nihilominus; ſtatuit ſeſſione 13. Pontifici non competere hujuſmodi poteſtatem, ipſum quidem eſſe Eccleſiæ caput, ſed non univerſa Eccleſia ſuperius. Ipſum quippe falli procul dubio poſſe, quod de Eccleſia dici ſine piaculo non poſſet. Hæreticum eſſe dicere Papam non teneri Concilio parere; tum Eugenius IV. mutata ſententia Concilii acta probavit. & ea omnia confirmavit, quæ a principio decreta fuerant uſque ad ſeſſionem decimam ſextam, in qua Bulla confirmatoria actorum Synodi continetur.

IX. Ex his, ut puto, abunde evincitur, quæſtionem iſtam de auctoritate Concilii generalis etiam ſupra Papam in tribus Conciliis generalibus per tres Pontifices legitimos, & ab omnibus receptos approbatis diſerte, & aperte definitam fuiſſe, ita ut de illa jam non ſine temeritate dubitari poſſe videatur. (*)

§. VI.

(*) Notat Boſſuetus in *citat. Vindiciis* in decreto Conſtantienſis Concilj memorato non haberi *anathema*, quod contra errores, & errantes ferri ſolet; ac ſubdit, id a Theologis *non indiligenter notatum*.

Digitized by Google

§. VI.

Respondetur iis, quæ a nupero quodam scriptore ad elevanda, & eludenda Concilii Constantiensis Decreta objecta sunt; simulque Constantiensis Concilii, necnon Basileensis, & Cleri Gallicani nuperrime congregati Patres ab hujus calumniis vindicantur.

AD elevanda Concilii Constantiensis de auctoritate Conciliorum generalium Decreta multa commenti sunt adversarii. Ex iis enim aliqui ea quasi dubiæ auctoritatis, ac ut minus approbata rejecerunt, alii ad tempus tantum schismatis Concilii dicta detorserunt; hæc duo recentior quidam Cleri Gallicani Patrum cavillator post alios adversus Concilii Constantiensis Decreta rudi, & incondito sermone crocitavit, quibus & tertium addidit, a quo libellum suum orditur, sessionis 4. Decreta vitiata esse, & corrupta. Cum ergo hujus opus licet exiguum omnes adversariorum adversus Concilii Constantiensis Decreta cavillationes contineat, operæ pretium facturos nos esse arbitrati sumus, si ejus argumenta expenderemus.

II. Primum ergo, ut vitiatum esse probet sessionis 4. Decretum, ait in aliquot editionibus post hæc verba, *quod ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis existat, obedire tenetur*, post hæc, inquam, verba non reperiri hæc: *in his, quæ pertinent ad fidem*: sed tantum ista, quæ sequuntur: *ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ in capite, & in membris.*

III. Addit, hæc omnia verba postrema, *ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris*, in tribus codicibus mss. actorum Concilii, necnon in quatuor aliis mss. gestorum indubitatorum Constantiensis Synodi, ac demum in duobus mss. codicibus Cardinalis Sirleti non haberi. Hinc ille concludit ea, quæ spectant ad reformationem generalem Ecclesiæ in capite, & in membris adventitia esse, & inserta Decreto sessionis 4. hujus autem interpretationis auctores esse non tantum comminiscitur, sed & velut exploratum affirmat Basileenses Patres: *Concilii*, inquit, *Basileensis Patres cum jam viderent auctoritatem suam apud plerosque vilipendi, cogitare cœperunt de publicandis actis Constantiensis Concilii, ideoque mandarunt duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabiensi, ut ex actis Constantiensis Synodi Decreta extraherent; hoc vero cum anno 1442. absolutum esset a deputatis supra dictis, opus fideliter conscriptum fuit. Ex hoc codice jussu Basileensis Synodi ex scripto Joannes quidam Hobert ex Inderdof sacræ Theologiæ Baccalaureus copiam propria manu extraxit, & hæc, quæ anno 1499. ad Hieronymum de Crooria Juris utriusque Doctorem spectabat, eodem anno typis mandata est in Imperiali oppido Hagenou.* Hæc sunt, quæ de actorum 4. sessionis vitiatione affert iste recentior, quæ quidem, & vana esse, & etiamsi vera essent, quantum ipsi, & ejus scopo inutilia sint, nemo non animadvertit.

IV. Primum enim, etiamsi sessionis 4. Decreto nonnihil additum esse constaret, quid quæso inde lucraretur, cum certum sit, ipseque non diffiteatur Scheleſtratus eadem omnino verba sessione 5. haberi, ibique adjecta dici minime posse, cum ubique atque in ipsis mss. ab eo laudatis reperiantur? Dicet forte minorem esse sessionis 5. quam 4. auctoritatem, atque in illa communi consensu Decretum hocce non esse editum, sed hoc illi effugium modo præcludemus; interim certum maneat, & indubitatum a Concilio Constantiensi istud integrum de auctoritate Concilii generalis Decretum esse editum, si non sessione 4. saltem sessione 5.

V. Secundo, demus abesse ab isto Decreto hæc verba: *in iis, quæ spectant reformationem generalem Ecclesiæ, &c.* auctoritas Concilii generalis supra Papas satis, & abunde stabilitur præcedentibus hisce: *quod ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis*

Digitized by Google

etiamsi Papalis existat, obedire tenetur. Inutile est ergo Scheleſtrato oſtendere ſequentia de reformatione verba eſſe adjecta, cum non minus ex præcedentibus auctoritas Concilii generalis ſupra Papam aſſeratur. Nam ſi quilibet, cujuſcumque dignitatis ſit, ſi ipſe Papa nominatim tenetur obedire Concilio generali univerſam Eccleſiam repræſentanti, quis dubitet majorem eſſe hujus, quam cujuslibet, atque ipſius Papæ auctoritatem?

VI. Tertio, hæc verba eſſe addita nullatenus eſt veriſimile. Primum enim id aſſerit contra editionum omnium Concilii Conſtantienſis fidem, atque etiam contra mſſ. omnium, ad quas editiones recenſitæ ſunt, fidem, in quibus omnibus habetur Decretum ſeſſione 4. cum hac additione, *& ad reformationem, &c.* Quod vero in quibuſdam non habetur *ad fidem*, nihil ad propoſitum Scheleſtrati conducit. Deinde idem aſſeritur contra fidem plurimorum optimæ notæ, antiquiſſimorumque mſſ. qui in bibliothecis occurrunt, etiam eorum, quæ forte ante Baſileenſium Patrum collectionem conſcripta ſunt. Quid habet, quod his opponat Scheleſtratus? aliquot tantum mſſ. profert, de quorum antiquitate non conſtat, & quidem e loco ſuſpecto deprompta eſt, Bibliothecis ſcilicet urbis Romæ, in quarum mſſ. certum eſt pleraque eorum, quæ Curiæ Romanæ placitis adverſabantur, eſſe eraſa, aut omiſſa. Sed demus de induſtria factum id non eſſe, an non facilius fuit hæc verba in quibuſdam mſſ. omitti, quam in aliis ſuppleri?

VII. Quarto, additamenti hujus ratio a Scheleſtrato adjuncta, non tantum fictitia, ſed & abſurda plane; quis enim credat, Baſileenſes Patres de induſtria hæc ſeſſioni 4. inſeruiſſe, aut, ſi inſeruiſſent, a nemine fuiſſe animadverſum eo tempore, quo Concilii Conſtantienſis actorum recens adhuc erat memoria? Quis putet eos gratis eam fraudem admiſiſſe, cujus ſtatim ab omnibus argui, atque convinci potuiſſent? deinde cui bono iſta ſeſſioni 4. adjeciſſent, cum eadem prorſus reperirent ſeſſione 5. cujus non minorem auctoritatem eſſe arbitrabantur? Fictitium ergo eſt, & abſurdum hanc eis ſine ullo fundamento dicam impingere.

VIII. Denique ſi fides mſſ. a Scheleſtrato citatis habeatur, hoc unum poteſt inferri, primum quidem ſeſſione 4. conditum eſſe decretum ſine iſta additione, *& ad reformationem Eccleſiæ*; ſed ſeſſione ſequenti Decretum iſtud fuiſſe reformatum ab ipſis Patribus Synodi.

IX. Hoc patet ex geſtis quibuſdam Concilii Conſtantienſis ab ipſo editis, in quibus poſtquam narratum eſt ſeſſione 4. capitulum iſtud editum eſſe ſine iſtis verbis, *& ad reformationem, &c.* poſtea narratur ſeſſione 5. actum fuiſſe *ſuper correctione, & emendatione capitulorum in præcedenti ſeſſione ſtatutorum, & concluſum eſſe, quod ſupra dicta capitula hoc modo corrigenretur.* Ergo ſi fides habeatur ipſis actis a Scheleſtrato prolatis in ipſo Concilio Conſtantienſi ſeſſionis 4. Decretum fuit reformatum, & cum prius ſine iſtis verbis, *& ad reformationem, &c.* prodiiſſet, poſtea ab ipſa Synodo fuit cum iſtis editum. Non eſt ergo quod hujus additamenti reos peragat Patres Baſileenſes, quod ab ipſa Synodo Conſtantienſi factum eſſe docent acta ab ipſo probata.

X. Pergit deinde ad elevandam Decreti hujus auctoritatem, aitque primum, ſeſſionis 5. Decreta non fuiſſe ex conſenſu omnium facta; quod ut probet, acta quædam Concilii Baſileenſis huc uſque inedita profert, quibus oſtendere conatur ſeſſionem 4. & 5. reclamantibus multis e Patribus celebratas fuiſſe, imo & libellum conteſtatorium adverſus eas a Cardinalibus eſſe emiſſum, aſſentientibus Regis Galliæ Legatis, qui ſeſe Cardinalibus adjunxerunt. Speciosa quidem prima fronte videtur hæc exceptio; ſed ſi accurate expendatur, ſtatim concidit. Primum enim acta illa, quæ profert Scheleſtratus, non ſunt authentica, nihilque ſimile habetur in veris, & genuinis, imo ex iis conſtat unanimi Cardinalium, Epiſcoporum, & Oratorum conſenſu Decreta hæc primum nationaliter propoſita ſynodaliter eſſe concluſa, atque decreta. Deinde vero etiamſi fides aliqua adhiberetur actis a Scheleſtrato prolatis, quæ nihil aliud videntur eſſe, quam commentarioli cujuſdam, qui Concilio adfuerat Pontificis partibus addicti; etiamſi, inquam, in auc-

Digitized by Google

ctoritatem admittantur, nihil tamen hæc ad cauſam Scheleſtrati; quippe ex iis minime probatur, litem, & controverſiam fuiſſe de duobus Decretis, de quibus inter nos agitur, imo inter eos, qui ſeſſionis celebrationi ſeſe opponebant, numerantur Legati Regis Franciæ, quos Decretis iſtis ſeſe oppoſuiſſe plane abſurdum: ſed tantum ex iis videtur oſtendi, poſt diſceſſum Papæ quoſdam e Patribus Baſileenſibus dubitaſſe, num expediret, eo abſente, & reditum promittente, ſeſſionem inchoare; ſic enim incipiunt actorum iſtorum fragmenta a Scheleſtrato prolata: *Omnia tanquam ludicra, & ficte pro parte Domini noſtri Papæ oblata per Dominum Regem Romanorum, & alios ibidem adſtantes reputata fuerunt, fuitque unanimiter vociferatum: his non obſtantibus fiat ſeſſio, fiat ſeſſio; propter quæ tam ipſa die, quam die Veneris ſequenti altercationes maximæ fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes.*

XI. Ex iis patet, & ex actis authenticis confirmatur, Joannem diſceſſus ſui varias excuſationes attuliſſe, quarum una erat, ſe ſanitatis ergo Conſtantia diſceſſiſſe, moxque rediturum. Hæ porro excuſationes licet ſtatim ludicræ, ac fictæ omnibus eſſe viderentur, nihilominus fuere nonnulli, qui expectandum adhuc eſſe arbitrarentur. Narratur deinde in iiſdem actis, nationes de celebranda ſeſſione deliberaſſe, atque interim Cardinales obtuliſſe Regi, paratum eſſe Papam procuratores mittere ad cedendum Papatum, paratoſque ſe eſſe ſeſſioni, ſi fieret, adeſſe, dum non fierent alia capitula quam infra ſcripta. (Hoc eſt ea, quæ habentur ſeſſione 4. inter quæ decretum eſt de auctoritate Concilii generalis.) Hæc capitula Rex nationibus propoſuit, quæ cum de iis deliberaſſent habita die Sabbati ſeſſione poſt habitam diſceptationem inter Cardinales, & nationes de capitulis, jam prælibatis, *tandem*, verba ſunt Actorum, *divino flamine inſpirante in unam ſententiam convenerunt, quod tantum capitula infra ſcripta in dicta ſeſſione ſtatuerentur. Fuit ergo dicta ſeſſio de conſenſu, & voluntate Domini Regis, & omnium Dominorum Cardinalium in Conſtantia exiſtentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum, & omnes Cardinales in Conſtantia exiſtentes, qui non erant infirmitate gravati interfuerunt.* Hæc autem narratio tantum abeſt, ut nobis obſit, & Scheleſtrato faveat, quin e contra non pauca continet, quæ noſtram mirum in modum cauſam juvent: ex ea enim primum conſtat, ab ipſis Cardinalibus propoſita fuiſſe capitula, quæ in ſeſſione ſunt definita. Secundo, eadem eſſe ventilata apud ſingulas nationes. Tertio, cum Cardinalibus circa hæc eſſe deliberatum. Demum, omnes uno flamine inſpirante in unam ſententiam conveniſſe, atque unanimi conſenſu decreta ſeſſionis 4. eſſe promulgata. Inter hæc autem primum eſt de auctoritate Concilii generalis, in quo etiamſi non habeantur hæc verba, *& ad reformationem Eccleſiæ, &c.* ſufficiunt ea, quæ præcedunt ad probandam auctoritatem Concilii Pontificia ſuperiorem eſſe. Itaque videre eſt, rem definitam fuiſſe poſt maturam deliberationem, & primum nationaliter, ac deinde ſynodaliter eſſe concluſam.

XII. Poſt hæc cum adhuc de capitulis ſeſſionis eſſet altercatum, non quidem quoad ipſam ſubſtantiam, ſed quoad quaſdam circumſtantias, tandem unanimi conſenſu ſtatutum eſt, ut corrigerentur, & emendarentur eo modo, quo habentur ſeſſione 5. verum eſt quidem Cardinales, & Legatos Regis Franciæ (ſi fides habeatur commentariis Scheleſtrati) proteſtationem ſecreto feciſſe antequam venirent ad ſeſſionem, ſe tantum propter ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ire, non animo conſentiendi his, quæ audiverant in ſeſſione ſtatui debere; verum proteſtatio iſta primo non poteſt dici fuiſſe facta adverſus Decretum de auctoritate Concilii generalis, cum Legati Franciæ huic ſeſe adjunxerint, quos huic decreto ſeſe oppoſuiſſe omni veriſimilitudine caret: iſta ergo proteſtatio facta fuit adverſus alia quædam, quæ in ſeſſione 5. definienda eſſe ferebantur. Cum vero ſeſſio habita fuiſſet, & decreta emiſſa, nulla amplius adverſus ea proteſtatio facta eſt, imo omnium conſenſu promulgata fuit, & ab omnibus nullo reclamante probata.

XIII. Ex his abunde, ni fallor, demon-

Digitized by Google

ſtratum eſt, illos ipſos commentarios Synodi Conſtantienſis, qui a Scheleſtrato prolati ſunt, noſtram confirmare potius, quam infirmare ſententiam. Nihil dico de proteſtatione, quæ ſequitur, factaque dicitur poſt ſeſſionem 38. qua Nationes Italica, Hiſpanica, & Gallicana Pontificem eligi poſtulant: hæc enim a propoſito omnino aliena eſt.

XIV. Duo ſunt alicujus momenti, quæ nobis opponit Scheleſtratus; unum eſt non fuiſſe ſufficienter deliberatum, ſed tantum, ut habetur in iſtis actis *aliqualiter*; alterum, recitata fuiſſe ſeſſionis 5. Decreta per Electum Poznanienſem, quia Cardinalis Florentinus illa noluit pronunciare, unde concludit, iſtorum Decretorum auctoritatem infirmari.

XV. Verum hæc duo, licet ita ſe haberent, non tanti viderentur, ut propterea Decretorum Concilii auctoritas penitus labefieret. Nam primo certum eſt, quæſtionem iſtam de auctoritate Concilii novam non fuiſſe, ſed jam agitatam, atque definitam in Concilio Piſano, imo & in hac ipſa Synodo Conſtantienſi jam motam, ut teſtis eſt Petrus de Alliaco. Deinde vero conſtat, capitula propoſita, & Decreta ſeſſione 4. & 5. inter nationes primum fuiſſe ventilata, ac de iis cum Cardinalibus diu diſceptatum. Quod vero in actis habetur, *aliqualiter eſſe diſputatum*, non ita intelligendum, quaſi leviter res agitata fuerit; ſed ſenſus eſt, non proprie diſputatum, aut altercatum fuiſſe, ſed tantum aliquatenus, hoc eſt rem ventilatam ſine diſputationis æſtu. Quod vero ſecundo loco addit, recitata fuiſſe capitula per Electum Poznanienſem, *quia Cardinalis Florentinus noluit ea recitare*, non habetur in actis Concilii, ſed tantum ea fuiſſe recitata a Cardinali Poznanienſi: verum voluerit, necne Florentinus ea recitare, nihil ad rem: ſufficit ea mandato Concilii univerſi fuiſſe recitata, & ab aſtantibus probata.

XVI. Quæ vero fuerit Cardinalium Florentini, Cameracenſis, & aliorum mens, qua de cauſa ſeſſiones prorogari voluerint, patet tum ex actis Concilii Conſtantienſis tom. 12. Concil. col. 25. tum etiam ex proteſtatione ab ipſis emiſſa poſt tertiam ſeſſionem ibidem col. 1464. Ex quibus monumentis liquet, eos proteſtatos eſſe, ſe, ſi Joannes XXIII. vellet in propoſito ſeſe abdicandi permanere, ab ipſius partibus futuros. Si vero ſecus faceret, ſe Concilio adhæſuros, atque idcirco petiiſſe, ut donec de ejus propoſito liqueret, ſeſſiones differrentur. Has tamen Concilium propterea intermitti debere non exiſtimavit, & Cardinales pro bono pacis eis adfuerunt; cumque cognoviſſent Joannem XXIII. de induſtria moras nectere, & Papatu cedere bona fide nolle, cum ceteris Epiſcopis adverſus eum conſenſerunt. Itaque nulla fuit in Synodo altercatio de auctoritate Concilii generalis ſupra Papam, quam omnes agnoſcebant, ſed tantum de celebratione ſeſſionum, quas Cardinales nonnulli prorogandas eſſe arbitrabantur, donec de Pontificis ſententia, & mente plane conſtitiſſet.

XVII. Et ſane Decretum de auctoritate Concilii generalis ſupra Papam etiam ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris unanimi Patrum Concilii conſenſu factam fuiſſe, ſemper apud omnes indubitatum fuit. Sic Gerſo Patres Concilii alloquens in ſermone, quem habuit coram ipſis in feſto ſancti Antonii, Concilii Conſtantienſis Decretum laudat, in quo hæc verba reperiuntur: *& ad reformationem Eccleſiæ, & in capite, & in membris*; itemque in ſermone habito 21. Julii die idem Decretum impenſe laudat, atque ſaluberrimum illud eſſe, & dignum quod ubique inſcribatur. Siccine, quæſo, de Decreto controverſo, aut ſuppoſito coram ipſis Concilii Patribus Gerſo auſus fuiſſet proloqui?

XVIII. Tranſit deinde Scheleſtratus ad Concilii Conſtantienſis in Decretis iſtis condendis auctoritatem, eamque tribus elevat rationibus. Primum, quia Decreta a Concilio ſub una obedientia Joannis XXIII. ſunt condita. Secundo, quia aliter ſenſiſſe videntur Patres poſt tres obedientias. Tertio, quia Decreta hæc minus approbata ſunt, aut tantum ad tempus ſchiſmatis confecta. Hæc ſunt, quæ nobis ex ejus libro refutanda ſuperſunt, quod breviter præſtabimus.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Ad primum dicimus Concilium vim, & auctoritatem ſuam non habuiſſe ex obedientiis trium Pontificum, quippe Joannes XXIII. erat legitimus Pontifex, a quo fuerat vocata Synodus, alii duo non erant legitimi, & ideo conſenſus illorum non erat requiſitus ad convocationem, aut celebrationem Synodi. Joannes vero XXIII. ultro ceſſurum ſe Pontificatum promiſerat, poterat ergo Concilium tum auctoritate ſua, tum vi illius ceſſionis agere, & decernere. Nec opus erat, ut expectaret alias obedientias, unde ipſe Joannes ſeſſione 12. & qui poſtea electus eſt Martinus V. ut mox dicturi ſumus, Concilium Conſtantienſe pro generali habuerunt, & quæ ab ipſo fuerant etiam tempore unius obedientiæ Decreta approbarunt.

XX. Secundum argumentum, Patres ſcilicet Conſtantienſes aliter ſenſiſſe poſt tres obedientias probat tantummodo Scheleſtratus ex proteſtatione a ſe primum edita, quam poſt ſeſſionem 38. Cardinales una cum nationibus tribus Italica, Hiſpanica, & Gallicana, adverſus Germanicam condidiſſe feruntur ad electionem Pontificis, ſed hoc ut jam dixi ad propoſitum nullatenus pertinet, in eo quippe queruntur differri electionem Pontificis legitimi, obteſtanturque nationem Germanicam, ut ſinat Papam eligi a Collegio Cardinalium cum deputatis, aut deputandis a Synodo, proteſtantur ſe, ſi quid inde detrimenti Eccleſiæ accidat, innoxios fore, convenientius eſſe reformationem poſtponi electioni Pontificis. Hac non obſtante proteſtatione, reformatio non eſt intermiſſa, & electio rejecta, donec tandem concordia unita eſt ea conditione, ut Decretum fieret, quo futurus Pontifex obligaretur Eccleſiam reformare in capite, & Curia Romana ſimul cum Concilio, & deputatis a nationibus; quo Decreto facto, & capitibus reformationis propoſitis electus eſt Pontifex Martinus V.

XXI. Hæc porro tantum abeſt, ut oſtendant improbatum eſſe a Synodo Decretum de auctoritate Concilii ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris, ut e contra oſtendant, Patres in hac opinione ſemper perſtitiſſe. Sed hoc unum fuiſſe inter eos controverſum, utrum expediret ante reformationem Pontificem eligere, an vero ejus electio reformationi eſſet poſtponenda; ac noviſſime inter partes conveniſſe, ut Pontifex eligeretur ea conditione, ut prius Decreto obligaretur una cum Concilio Eccleſiam in capite, & Curia Romana reformare, necnon articulos reformationis ipſi a Synodo præſcriptos obſervare: an quæſo ita probant Concilium derogaſſe iis, quæ ſtatuerat de auctoritate Concilii ad reformationem Eccleſiæ? An non potius oſtendunt iis Concilium ſemper adhæſiſſe? Unum tamen & alterum verbulum ex iſta proteſtatione, & concordia nobis objicit Scheleſtratus, quod non eſt omnino intactum prætermittendum; prius eſt in proteſtatione iſtud haberi: *licet aſſeratis ſine veſtro conſenſu, & ordinatione Concilii ſuper modo, forma, loco, tempore, & materia ad dictam electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibuſdam hujus Concilii Decretis, quibus nos Hiſpanica, etiamſi alias valida exiſterent, non ligaremur.* Unde vellet inferri Scheleſtratus, Decreta prius edita de auctoritate Concilii ad reformationem Eccleſiæ non eſſe valida.

XXII. Poſterius eſt in inſtrumento concordiæ, ubi inducitur natio Germanica hanc rationem reddens, cur electio ſit poſtponenda reformationi, quod ſcilicet *Papa electus ligari non poſſit.* Unde concluditur exiſtimaſſe nationes, Concilium non poſſe legitimo Papæ leges dare.

XXIII. Reſpondeo, levia eſſe omnino hæc momenta; primum quidem quia non loquuntur nationes de Decretis de auctoritate Concilii ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris, ſed de Decretis, quibus cavebatur, ne Pontifex fieret ſine conſenſu Concilii, & eo modo, ac tempore, quo Concilium præſcriberet. Deinde iſtud dicitur tantum nomine Hiſpanicæ nationis, quæ quia favebat Benedicto XIII. ſeu Petro de Luna, hæc in ejus gratiam proteſtationi potuit inſerere. Denique proteſtationis hujuſmodi nulla eſt auctoritas, cum præſertim res in Synodo poſtea fuerit definita; adde, quod ipſi Hiſpani Decreto Concilii paruerunt, & electionem Pontificis cum deputatis a Synodo fieri conceſſerunt.

XXIV. Ad alterum momentum facilis quo-

quoque est responsio, non fuisse mentem Synodi Papam ligari non posse per Decreta Synodi, sed induci tantum Germanos hanc rationem afferentes ad procrastinandam ejus electionem, non quod revera crederent Papam ligari non posse Decretis Concilii, sed quia timebant, ne ille semel electus reformationem pati, aut facere non posset. Quare priusquam eligeretur, Decretum, ut diximus, de reformatione per Concilium facienda emissum est. Quod in actis authenticis Concilii ita habetur sessione 40. *Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans statuit, & decernit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in capite, & in membris, & Curiam Romanam, &c.*

XXV. Ceterum approbatum esse a Romanis Pontificibus Decretum sessionis 4. & 5. dubitari non potest, quin de omnibus quoque actis Concilii dubitetur; nam primo Joannes XXIII. ipse, ut habetur sessione 12. Concilii, declaravit, atque professus est, *Synodum Constantiensem esse legitimam Concilii Pisani continuationem, atque errare non posse, propterea que ejus ordinationi, declarationi, & determinationi omnibus in rebus stare se, ac contra se aliquo temporis processu nunquam iterum promittere.*

XXVI. Deinde vero Martinus V. Summus Pontifex electus, & omnium consensu tanquam legitimus approbatus, Decreta Constantiensis, etiam sub una obedientia facta non semel approbavit. Primum sessione 42. Concilium Constantiense generale Concilium vocat, approbatque depositionem ab eo factam Joannis XXIII. sess. 44. Decretum Concilii, quo jubeatur futurus Pontifex Concilium generale indicere, confirmat, & executioni mandat futuri Concilii generalis locum, Papiensem civitatem designans his verbis sess. 44. *Cupientes, ac volentes Decreto hujus generalis Concilii satisfacere inter alia disponente, quod omnino generalia Concilia celebrentur, &c.*

XXVII. Demum sessione 45. protestatus est, *se omnia, & singula determinata, & concluſa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inviolabiliter observare, & nunquam contrarie quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbare, ratificare, & non aliter, nec alio modo.* Inter ea porro, quæ conciliariter facta sunt, haud ambigendum, quin collocanda sint Decreta sessionis quartæ, & quintæ, quæ quidem primum nationaliter expensa in Synodo definita sint, & quidem definita, quasi ad fidem pertinerent. Ruunt ergo adversariorum effugia, qui, ut Decreta sessionis quartæ, & quintæ approbata esse negent, ajunt cum Bellarmino, ea conciliariter non esse facta, cum Cajetano, ad fidem illa non pertinere; utrumque autem falsum esse patet ex ipso Concilio; primum quidem, quia ex actis authenticis, atque ex iis ipsis, quæ a Scheleſtrato probata sunt, liquet hanc quæstionem in nationibus singulis primum examinatam, atque discussam, postea fuisse in Synodo generali omnium consensu definitam. Hoc est autem, quod Martinus appellat conciliariter factum; cetera vero alio modo facta, hoc est, apud nationes tantum deliberata, atque concluſa, ut loquuntur, non autem ab universa Synodo probata, ut concluſio nationis Gallicanæ de Annatis non solvendis, & propositio de damnando libro Joannis Falkemberg, & alia similia, quæ universa Synodi sententia non sunt confirmata.

XXVIII. Alterum vero effugium, Martinum scilicet agere tantum de rebus fidei, ad quam Decreta hæc non pertinent, pariter a Concilio præcluditur, quod illa quasi ad fidem pertinentia definivit, atque sancivit. Et sane quis neget ad fidem pertinere, quod Concilium generale universam Ecclesiam repræsentet, quod errare non possit; quæ cum Decretis quartæ, ac quintæ sessionum Synodi contineantur, quis eas ad fidem pertinere posse neget?

XXIX. Denique Martinus V. in Bulla adversus errores Wicleffi, & Concilii Constantiensis definitiones probat, & satis indicat Decreta sessionum quartæ, & quintæ a se probata fuisse, & ad fidem pertinere. Primo, cum jubet interrogari suspectos hæreseos, *utrum credant, & teneant quod*

Digitized by Google

quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe univerſam Eccleſiam repræſentet. Quo reſpicit ad Decretum ſeſſionis quartæ, & quintæ. Item, *utrum credant quod illud, quod Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis fidelibus approbandum, & tenendum, & quod condemnavit, & condemnat eſſe fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum pro condemnato & approbato*. Non poſſunt ad iſtam interrogationem reſpondere, qui Decreta Concilii Conſtantienſis de auctoritate Synodi generalis ſupra Papam impugnant; non poſſunt, inquam, huic interrogationi reſpondere, quin vel opinionem ſuam abjurent, approbando univerſa Concilii Decreta, vel Martinum V. temeritatis, erroris, & impudentiæ arguant, qui ea probari voluerit, quæ improbari oporteat. Uno verbo, Martinus V. univerſa Concilii Conſtantienſis Acta, & Decreta probat conciliariter facta ea omnia, quæ ab ipſo ad fidem, & ſalutem animarum ſpectantia definita ſunt, approbari, quæ ab eo damnata ſunt, damnari jubet. Nuſquam excipit ſeſſionis quartæ, & quintæ Decreta; qua ergo auctoritate, qua fronte ea volunt eſſe adverſarii excepta?

XXX. Eſt & aliud in eadem Bulla, quo conſtat Martinum Concilii Conſtantienſis Decretis de auctoritate Concilii generalis prorſus aſſenſiſſe; nam ad articulum 41. errorem Wicleffi, qui eſt hujuſmodi: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*. Hæc habet Pontifex ad mentem Concilii Conſtantienſis: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Romani Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*. Ex qua quidem obſervatione ſatis intelligitur, Martinum exiſtimaſſe univerſalem Eccleſiam, & Concilium generale majorem habere auctoritatem, Romanum vero Pontificem Primatum habere in Eccleſia ſuper alias Eccleſias particulares, non autem poteſtatem Eccleſia univerſa, & Concilio generali ſuperiorem. Maneat ergo, Decreta ſeſſionum quartæ, et quintæ de auctoritate Concilii ſupra Papam a Pontifice Martino V. fuiſſe probata.

XXXI. Ad hæc opponit duo Scheleſtratus; alterum eſt, Martinum V. ea tantum approbaſſe Concilii Decreta, quæ ad materiam fidei pertinebant, iis autem verbis comprehendi non poſſe Decreta de auctoritate Concilii ſupra Papam; quia ſcilicet ea nomine tantum conſtitutionum appellantur ſeſſione quinta: cum ea, quæ ſpectant ad Bohemorum, & Huſſitarum negotium eadem ſeſſione dicantur *ſuper materia fidei*. Hinc intelligitur, hoc nomine ea tantum Decreta comprehendi, quæ hæreticos ſpectant: unde in duobus manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ, ſingulis ſeſſionibus, ubi agitur de Vvicleſiſtis, Huſſitis, & Bohemis, præfigitur titulus iſte: *in materia fidei*, vel *in cauſa fidei*. Ceteris autem non item: *Quippe*, inquit, *tria materiarum genera in Conſtantienſi Concilio diſtingui ſolebant; unum materiæ fidei; ſecundum unionis; tertium materiæ reformationis. Per primum intelligebatur id, quod fiebat contra hæreticos; per ſecundum, quod fiebat contra tres contendentes de Papatu, & pro trium obedientiarum unione, ac electione veri, & indubitati Pontificis; per tertium, quod fiebat pro reformanda Eccleſia in capite, & in membris*. Reſpondeo, inter ea, quæ ſpectabant unionem, & reformationem, eſſe nonnulla, quæ non ſolum ad diſciplinam, ſed etiam ad fidem pertinent; talem autem eſſe hanc definitionem, *quod Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentans, &c.* Manifeſte patet ex eo, quod hocce Decreto non tantum de negotio aliquo diſponitur, aut ad tempus aliquod cavetur, ſed dogma conditur, atque decernitur, quod perpetuo idem eſt, nec mutari poteſt. Quippe licet res diſciplinæ, & œconomiæ variari poſſint; quod tamen circa hæc eſt dogmatis, mutationem non habet. Sic, verbi gratia, uſum calicis laicis concedere, vel interdicere, res eſt diſciplinæ; at dogmatis eſt non eſſe de neceſſitate ſalutis calicem ſumere. Et hoc cum definit Synodus Conſtantienſis, cenſetur de fide aliquid definire; ita pariter

cum

cum ad dogma pertineat dicere, & credere, utrum Concilium Eccleſiam univerſam repræſentet, necne; utrum errare poſſit, necne; utrum immediate a Deo habeat poteſtatem, necne; utrum ei omnes, atque etiam Romani Pontifices parere teneantur, tum in fide, tum in reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris. Cum hæc definit Synodus aliqua generalis, non poſſunt ejus Decreta ad fidem non pertinere. Et quemadmodum ad fidem pertinent Decreta Concilii in Huſſitas, quibus Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ ſupra alias prærogativa decernitur: ita ad fidem pertinere debent Decreta, quibus univerſæ Eccleſiæ, & Concilii generalis ſupra Romanam Eccleſiam prærogativa ſtabilitur. Quod vero ait Scheleſtratus, hæc Decreta conſtitutionum nomine in Concilio indigitari, non impedit quominus ad fidem ſpectent, cum conſtitutiones Synodales Decreta fidei contineant. Quod autem ea, quæ errores hæreticorum ſpectant, vulgo appellentur materia fidei, factum eſt ex communi loquendi more, quo ſolent ejuſmodi controverſiæ ſpecialiter nomine fidei indigitari: quamvis & alia ſint, de quibus cum hæreticis nulla lis, quæ non minus ad fidem pertinent. Sic in Concilio Tridentino, licet Decreta, & Canones in hæreticos ſpecialiter appellentur Decreta, de fide nihilominus multa ſunt in capitibus de reformatione, quæ ad fidem non minus pertinent, quam quæ in Canonibus. Mitto auctoritatem manuſcriptorum Vaticanorum, in quibus titulus iſte recentiori manu adjici potuit, & ab aliquo ejuſdem cum Bellarmino, & Cajetano ſententiæ ſeſſionibus præfigi.

XXXII. Alterum Scheleſtrati argumentum, ut probet non fuiſſe confirmata per Martinum V. ſeſſionis quartæ, & quintæ Decreta, eſt ejuſmodi. Tantum abeſt, ut Martinus V. hæc Decreta approbarit, quin e contra dum ſolus obſtitit Concilio, ne liber Joannis Falkemberg damnaretur, cumque unus ex Poloniæ Regis Legatis ad futurum Concilium ſeſe appellaturum diceret, Pontifex ei ſilentium ſub pœna excommunionis impoſuit. Demum finito Concilio, teſte Gerſone, conſtitutionem promulgavit, in qua hæc reponebatur aſſertio: *Nulli fas eſt a ſupremo judicio, videlicet Apoſtolico, ſeu Romano Pontifice Jeſu-Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei, quæ tanquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſint, declinare.*

XXXIII. Reſpondeo, Martinum id feciſſe, quod facere conſueverunt omnes ad ſummum evecti faſtigium, ut immemores eorum, quæ prius tenuerunt, aliam mentem induant: quippe is ad Pontificatum a Concilio evectus, quamdiu Concilium ſtetit, ſeſe morigerum, & obedientem Synodo præſtitit, nec ſuam poteſtatem illius auctoritati prætulit. At ſtatim atque Concilio finis impoſitus ſuam cœpit extollere auctoritatem. Primum, cum de libri Joannis Falkemberg damnatione actum eſt, noluit de eo mentionem amplius fieri; cum vero de appellatione ad futurum Concilium actum eſſet, diſplicuit hæc propoſitio Pontifici, & demum ſtatuit, non poſſe a Pontifice ad Concilium appellari, non advertens, id ſi verum eſſet, ſtare non poſſe ejus electionem, & Joannis XXIII. Benedicti XIII. ac Gregorii XII. abdicationem; quippe tantumdem ſibi juris potuiſſent arrogare contra Piſanam, & Conſtantienſem Synodum, & prohibere, ne a ſuis ſententiis ad Concilium provocaretur; cum præſertim unus ex iis legitimus eſſet Pontifex. Quod ſi dicant, in caſu ſchiſmatitis id locum habere, Martini conſtitututionem de non provocando ad Concilium quomodo defendent, cum necdum ſchiſma finitum fuerit eo tempore, quo promulgata eſt, ſuperſtite adhuc Petro de Luna, qui ſe legitimum Pontificem eſſe jactitabat. Sed ut ut ſit de Martini V. privata mente, reſponderi poteſt, nunquam eum Decreta ſeſſionis quartæ, & quintæ publice, & authentice reprobaſſe, quemadmodum ea non ſemel approbavit, ut a nobis oſtenſum eſt. Nam conſtitutio illa, cujus adornatæ mentionem facit Gerſo, promulgata non fuit per orbem, ſed huc uſque latuit ignota.

XXXIV. Supereſt ultimum adverſariorum effugium, quod leviter omnino attingit Scheleſtratus, quamvis aliis mirum in modum placeat. Hoc autem eſt, Decreta hæc

Digitized by Google

hæc quartæ, quintæque ſeſſionum Concilii Conſtantienſis ad tempus tantum ſchiſmatis pertinere, nec extendi debere ad illud tempus, quo unus eſt Pontifex legitimus. Verum hoc quoque effugium facile eſt præcludere.

XXXV. Primo enim Concilium Conſtantienſe generatim loquitur de omni tempore, & de omni reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, tam in fide quam in moribus, non autem tantum de extirpatione ſchiſmatis.

XXXVI. Secundo, non tantum loquitur de hoc vel illo Concilio, ſed generarim de cujuſcumque generalis Concilii Decretis, quibus omnes, atque ipſos etiam Pontifices quovis tempore dare oportere definit.

XXXVII. Tertio, pœnam excommunicationis, & pœnitentiæ fert in eos, qui Decretis Conciliorum non parerent.

XXXVIII. Quarto, ſupremam hanc Concilii auctoritatem deducit ex eo, quod univerſam repræſentet Eccleſiam, & errare non poſſit, quod cuivis Concilio generali quovis tempore celebrato æque convenit.

XXXIX. Quinto, Concilium non ſolum illegitimum Pontificem fert judicium, ſed etiam in legitimum, Joannem ſcilicet XXIII.

XL. Sexto, Concilium leges condit, ſeſſ. 17. & 39. quibus futuros Pontifices teneri vult; non ergo cenſuit tantum ſe tempore ſchiſmatis legem Pontificibus imponere poſſe, ſed etiam leges condere, quibus Pontifices legitimi tenerentur.

§. VII.

Academiarum, & Theologorum aſſertur auctoritas.

ULtimo loco ſuccenturiantur nobis doctiſſimorum Theologorum ſententiæ, ac celeberrimarum toto orbe Academiarum definitiones.

II. Et quidem primum Pariſienſis Academia ceterarum omnium facile princeps, a primis incunabulis hanc doctrinam habuit, eamque, ubi ſe dedit occaſio, defendit, atque definivit. Primum hujus rei monumentum extat ſub Philippo Pulchro, quo tempore ſimul cum Rege, & Eccleſia Gallicana, ac proceribus Regni, a ſententia Pontificis ad futurum Concilium generale provocandum eſſe cenſuit: *Nos*, inquiunt in Inſtrumento publico die Veneris ante feſtum Joannis Baptiſtæ anno Domini 1303. dato, *convocationem, & congregationem ipſius Concilii reputantes utilem, neceſſariam, & ſalubrem, ac expedientem fidei negotio, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, ejuſdem convocationi, & congregationi aſſentimus, ac opem, & operam libenter dabimus juxta poſſe, & provocationi, & appellationi præfati domini Regis adhæremus, quantum de jure poſſumus, & debemus ſecundum Deum, & juſtitiam, & ſanctæ permittent Canonicæ ſanctiones.* Hæc univerſa tum temporis Academia.

III. Speciatim vero Facultas Theologiæ Pariſienſis adverſus Monteſonum, & Saracenum, auctoritatem Concilii generalis ſupra Papam aſſeruit; adverſus primum in tractatu, quem compoſuit nomine Facultatis Petrus de Alliaco, quo probat, in cauſis fidei a Pontifice ad Concilium appellari poſſe; adverſus Saracenum vero in ipſa cenſura, qua configit has propoſitiones: *quandocumque in aliquo Concilio generali aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis in toto ſummo reſidet Pontifice, omnes aliæ poteſtates de jure nihil poſſunt contra ſummum Pontificem*: & contrarias Saracenum profiteri jubet, quæ ſunt hujuſmodi: *quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto, & Catholica Eccleſia, aliqua poteſtas ſcilicet Eccleſiæ de jure poteſt aliquid, & certis in caſibus contra ſummum Pontificem.*

IV. Item eadem Facultas in cenſura adverſus Joannem Angeli Minoritæ ad annum 1482. damnat propoſitiones ſequentes; 8. hæc eſt: *Papa poſſet totum jus Canonicum deſtruere, & novum conſtituere; hæc propoſitio*, inquit, *eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, & notorie hæretica, & erronea*. Item 11. quæ eſt hujuſmodi: *Papa poſſet ab uno Eccleſiaſtico tollere mediam*

partem redituum, beneficiorum ſuorum, & uni alteri dare non exprimendo aliquam cauſam, cujus propoſitionis hæc eſt cenſura: *Hæc propoſitio eſt periculoſa, & nullo modo prædicanda*. Demum in cenſura 12. *Quicunque contradicit voluntati Papæ, paganiſat, & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto: a nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materia hæreſis; hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam*; mens propoſitionum eſt Papam ſupra Concilium extollere, cenſuræ vero Papam Concilio ſtatuere inferiorem.

V. Tota Pariſienſis Academia anno 1491. pro libertate Eccleſiæ, & virorum Eccleſiaſticorum immunitatibus ad generale Concilium appellavit, *a ſanctiſſimo*, inquiunt in libello appellationis, *Domino noſtro Papa Innocentio VII. minus debite conſulto ad ſe ipſum melius conſulendum, & ad ſanctam Sedem Apoſtolicam etiam melius conſulendam, necnon ad ſacroſanctam univerſalem Synodum celebrandam .... provocamus, & appellamus proteſtantes nominibus, quibus ſupra de prædictis ſententiarum, & cenſurarum nullitate juxta Canonicas ſanctiones, ſubmittentes tamen omnia judicio univerſalis Eccleſiæ*.

VI. Hanc fuiſſe Pariſienſis Academiæ, & Gallorum omnium eo tempore ſententiam teſtatur Cardinalis a Lotharingia in Epiſtola Romam miſſa ad Britonem, qui ipſi erat a ſecretis: *Nunc ſupereſt*, inquit, *ultimus e titulis, quem volunt ſummo Pontifici tribuere, is eſt, quem Florentina Synodus ipſi aſcribit in fidei definitione, quam confecit, ego vero negare non poſſum, quin Gallus ſim, in Pariſienſi educatus Academia, quæ Concilii auctoritatem Pontificia majorem eſſe conſtantiſſime docet, atque eos, qui docent contrarium hæreticos eſſe cenſet; nam apud Gallos Concilium Conſtantienſe pro œcumenico quoad omnes partes habetur, & Baſileenſe ſequitur: Florentinum perinde nec œcumenicum nec generale rejicitur, & res eo redacta eſt, ut Galli de vita potius, quam de ſententia diſcederent*.

VII. Hanc opinionem iſto etiam tempore retinuit, cum anno 1663. propoſitiones condidit, quarum una doctrinam a nobis traditam diſerte definit.

VIII. Denique Clerus Gallicanus quænam fuerit Eccleſiæ Gallicanæ ea de re ſententia aperte definivit, & omnia adverſariorum effugia præcluſit in nupera definitione.

IX. Mitto alias Academias, ut Lovanienſem, Cracovienſem, Colonienſem, Herfordienſem, &c. Mitto etiam Theologorum innumerorum teſtimonia, paucorum tantum hic nomina perſcribam, quorum teſtimonia, qui volet, quærat apud Launoium p. 1. Epiſt. ad Frankevillam: hi ſunt autem, Gerſo, Petrus de Alliaco, Joannes Major, Dionyſius Carthuſianus, Robertus Corceon, Adrianus VI. primum Doctor Lovanienſis, deinde Pontifex, Galerus, Clictoveus, Arboreus, Franciſcus Victoria, Joannes Celaïa, Thomas Campegius, Dominicus Sotus, Toſtatus Abulenſis, Martinus Navarrus, Thomas de Corſellis, Henricus Haſſianus, Philippus Abbas Monaſterii ſancti Dionyſiii in Francia, Petrus Ortiſius, Claudius Santeſius, Renatus Benedictus, e Lovanienſi Academia præter Adrianum, Joannes Driedo, Jacobus Latomus, Ricardus Capperus, & alii plures, quorum teſtimonia ſtudioſe, & accurate pro more ſuo Launoius collegit locis ſupra citatis, & alibi.

§. ULTIMUS.

Reſpondetur adverſariorum objectionibus.

POſtquam aſſertionem noſtram ſatis, & abunde confirmavimus, adverſariorum argumenta repellenda nobis ſunt, quod quidem non erit admodum arduum, cum levibus omnino, & vanis illi nitantur rationibus.

II. Objiciunt ergo primo locum hunc Evangelii Lucæ cap. 12. *Quis putas fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* quem quidem locum de Pontifice Romano intelligendum eſſe contendunt: addunt auctoritatem Hilarii Diaconi in commentariis ad Epiſtolas Pauli dicentis, Eccleſiæ Rectorem eſſe Damaſum.

III. Verum argumentum iſtud adeo alienum

Digitized by Google

num eſt a propoſito, ut vix perſpici poſſit quid inde deducant, & quomodo id faciant. Laudata quippe in objectione ſcripturæ verba de Romano Pontifice ſolo non intelliguntur, ſed de omnibus Epiſcopis, Paſtoribus, imo ſi ad litteram ita ſumas, de omnibus omnino Chriſtianis. Sic locum hunc explicant ſancti Patres, vel de Epiſcopis, & Paſtoribus, vel de omnibus fidelibus; ita Irenæus lib. 4. cap. 44. de omnibus id dicit Presbyteris. Hilarius Can. 27. in Matt. *Quanquam*, inquit, *in commune ad indefeſſam vigilantiæ curam hortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt Epiſcopis ſollicitudinem mandat, &c.* Ambroſius in cap. 12. ad hæc verba: *& illa quidem in omnes præcepti forma generalis, verum ſenes ſequentis exempli diſpenſatoribus, id eſt Sacerdotibus videtur eſſe propoſita, &c.*

IV. Chryſoſtomus homilia 78. in cap. 24. Matthæi de divitibus, & potentibus Chriſtianis id interpretatur. Auctor operis imperfecti in Matt. apud eundem Chryſoſtomum de Sacerdotibus; & Hieronymus in cap. 24. Math. de omnibus Chriſtianis.

V. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Evangeliearum cap. 26. dicit, hunc locum propter modum capacitatis unicuique Chriſtiano convenire; Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 145. de Epiſcopis interpretatur. Petrus Chryſologus de omnibus Chriſtianis: *Eccleſiæ*, inquit in ſermone 26. de fideli diſpenſatore, *præſules iſta ſimilitudo quamprimum conſtringit, ſed hominem nullum mortalem, nullum prorſus eximit hæc figura, quæ dum loquitur ad diſpenſatorem, omnibus uno interrogante reſpondit, ſi eſt quiſquam, qui a Deo nihil acceperit, &c.*

VI. Ex his patet, ſanctos Patres locum hunc intellexiſſe de omnibus fidelibus, & maxime de Epiſcopis, & Paſtoribus, quibus omnibus hæc verba adaptat Eccleſia in officio publico. Quid vero ex iſto loco ita intellecto deducere poſſint adverſarii, ego prorſus capere non poſſum.

VII. At, inquit Bellarminus, *quamvis Patres non loquantur expreſſe de Epiſcopo Romano, tamen ſine dubio ſententia ſcripturæ eſt, ut ſicut Epiſcopi particulares ſunt ſummi œconomi in ſuis Eccleſiis, ita eſſe Epiſcopum Romanum in univerſa Eccleſia.*

VIII. At, inquam ego, ſententia hæc eſt Bellarmini, non ſcripturæ, non Patrum, qui nullam Romani Epiſcopi mentionem faciunt; ut autem recte inſtitueretur comparatio, deberet ita procedere, ut Epiſcopi particulares ſunt ſummi œconomi in ſua Eccleſia, ita Epiſcopus Romanus in Romana, ita tamen, ut propter amplitudinem ſedis, habeat quandam ſuper univerſam Eccleſiam inſpectionem, ſed tantum, ut Canones ubique obſervari procuret: & ſic aliquo modo dici poteſt univerſæ Eccleſiæ œconomus. Atque ita forſan intelligitur iſtud Hilarii: *Domus Dei ſeu Eccleſia, cujus Rector eſt Damaſus.* Nam vel id intelligere oportet de ſola Eccleſia Romana, vel, ſi de univerſa intelligas, non poteſt aliter accipi, quam de generali illa totius Eccleſiæ cura, quam ſummus Pontifex ob Primatum habere tenetur, ut obſervavimus alibi.

IX. Urget Bellarminus, quemadmodum œconomus ita eſt ſupra familiam, ut non poſſit ab ea judicari, & puniri, ſed a ſolo Directore, idem dicendum eſt de Romano Pontifice reſpectu Eccleſiæ.

X. Reſpondeo, Bellarminum ſemper falſo ſupponere id de ſolo Pontifice dictum; deinde falſo etiam ſupponere, eum eſſe œconomum univerſæ Eccleſiæ eo modo, quo Epiſcopi ſunt œconomi ſuarum Eccleſiarum. Tertio, falſo etiam ſupponere, comparationem in omnibus eſſe æqualem; quæ tria cum neceſſario ſupponat, ratiocinium Bellarmini totum plane concidit ex dictis.

XI. Objicitur ſecundo locus alius Evangelii Joannis ſcilicet ultimo capite, ubi Chriſtus Petrum ita alloquitur: *paſce oves meas*. Conſtat autem, inquit Bellarminus, paſtorem ita præeſſe ovibus, ut nullo modo ab eis judicari poſſit.

XII. Reſpondeo, locum hunc de omnibus omnino Paſtoribus intelligi, & intellectum ſemper fuiſſe; ita Petrus ipſe Epiſt. 1. cap. 5. omnes alloquens Presbyteros: *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei*, inquit. Ambroſius de dignitate ſacerdotali t. 2. *quas oves*, inquit, *quem gregem non ſolum tunc B. Petrus ſuſcepit, ſed & nobiſcum eas*

ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes. Chryſoſtomus homilia 79. in Matt. ad hæc verba: *Amas me, Petre, &c. quod non*, inquit, *ad ſacerdotes ſolummodo dictum eſt, verum etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimum Grex eſt commiſſus.* Verbo dicam, antiqui omnes id, quod dictum eſt Petro, ad omnes Paſtores dictum eſſe autumant; unde Auguſtinus ait, multoties Petrum tunc Eccleſiæ ſuſtinuiſſe perſonam. Hoc poſito, ruit ratiocinium Bellarmini. Probaret enim Paſtores omnes a nemine poſſe judicari; ſed etiamſi Petro ſoli id dictum conveniret, *paſce oves meas, paſce agnos meos*, nonniſi ſophiſtice inde inferri poteſt, non poſſe eum ab Eccleſia judicari; his enim verbis nihil aliud Chriſtus ſignificare vult, quam pabulo verbi oves ſuas, agnos ſuos, hoc eſt fideles a Petro nutriendos eſſe. Qui autem inde inferre vult, Petrum in omnibus Paſtoribus eſſe plane ſimilem, & oves Chriſti nihil plus habere juris, quam oves vulgares, is ſane deſipit.

XIII. Mitto alia duo teſtimonia ex Epiſt. ad Epheſios a Bellarmino prolata, quia ad propoſitum plane non pertinent, pigetque in iſtis immorari. Hoc unum obſervo perpetua Bellarminum in iſtis laborare fallacia, cum ſupponit, nomina diſpenſatoris, Paſtoris, & capitis eodem modo convenire Petro, ac Chriſto: hoc enim falſum eſſe quivis ſtatim deprehendit. Et quidem nomen capitis Eccleſiæ Chriſto convenit ſecundum omnem ſuum intellectum, Romano autem Pontifici quomodo conveniat, docent ſequentia Romanorum Pontificum teſtimonia. Gregorius I. Epiſt. 38. ad Joannem: *Certe*, inquit, *Petrus Apoſtolus primum membrum eſt ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ, Paulus, Andreas, Joannes quid aliud quam ſingularum ſint plebium capita, & tamen ſub uno capite (Chriſto) omnes membra ſunt Eccleſiæ.* Sixtus III. in Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici: *ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, & vigorem ſuum perdit, & non tenet, quam habuerat, dignitatem.* Joannes VIII. Epiſt. 199. ad Baſilium: *Totius*, inquit, *familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite, & inde fiet, ut omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſolvatur, omnis ordo turbetur.*

XIV. Hinc videre eſt, quomodo nomen capitis conveniat Romano Pontifici. Caput eſt Eccleſiæ, hoc eſt primum ejus membrum, quod tamen indiget ab univerſo corpore ſuſtentari, ne firmitatem ſuam amittat. Et ſi contingat aliquando, caput morbidum fieri: *Melius eſt*, inquit Turonenſe Concilium Canone 13. *ut caput hujuſmodi, ſi curari non poteſt, amputetur, quam grex per eundem inficiatur.*

XV. Objiciunt tertio in Concilio Chalcedonenſi, Pontificem ſemper ante Concilium nominari.

XVI. Reſpondeo, inde minime probari Concilium univerſum eſſe inferius Pontifice, ſed tantum primum Concilii membrum fuiſſe Romanum Pontificem; quia conſuetudo eſt, ut cum ſocietas aliqua ſcribit litteras, iis primum ſocietatis membrum, quod ejus caput eſt, nomen ſuum præmittat: ſic Rectoris nomen præponitur Univerſitati, & Decani nomen Facultati, aut Capitulo, nemo tamen inde inferat, Rectorem Univerſitate integra, aut Decanum Facultate, & Capitulo ſuperiorem eſſe.

XVII. Objiciunt quarto, ad ſummos Pontifices a judiciis Epiſcoporum, & Synodorum ſemper fuit provocatum.

XVIII. Reſpondeo, ex Diſſertatione ſecunda abunde liquere, primo jus provocationis Romano Pontifici jure divino non competere; ſecundo, nec olim illud fuiſſe ab omnibus admiſſum, imo vetitum fuiſſe multis in locis, ne provocatio ad eum fieret; tertio, nunquam ad eum provocatum poſt Synodi generalis judicium, cum e contra poſt judicium ſummi Pontificis ad Synodum generalem ſæpe provocatum fuerit. Quæ omnia cum abunde ſint probata, petitum ab appellationibus argumentum in adverſarios retorquere facile eſt. Verum dato quod appellationum ſolemnis olim fuerit uſus, hoc unum inde probatur, Pontificem ſuperiorem eſſe ſingulis Epiſcopis, & Synodum Romanam ceteris Synodis Provincialibus majorem habere poteſtatem, quod ad propoſitam quæſtionem non pertinet.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Objiciunt quinto, Concilia generalia fuisse semper convocata, & confirmata per Pontifices Romanos, qui non modo iis præsidebant, sed & summam rerum in illis tenebant. Unde sic argumentari possunt: Illi sunt Superiores Concilio generali, quorum est primum convocare Concilium generale, deinde ei convocato præesse, & cuncta in eo pro libito moderari, ac demum sine quorum confirmatione Synodi Decreta vim non haberent; sed hæc omnia Romanis Pontificibus competunt: ergo superiores sunt Concilio generali.

XX. Respondeo primo, nullam esse legem sive divinam, sive Ecclesiasticam, qua irrita, & nullius roboris esse pronuncientur Concilia generalia, aut ab aliis, quam a Romanis Pontificibus convocata, aut quibus alii, quam Romani Pontifices præfuerint, aut quæ ab ipsis specialiter non fuerint confirmata.

XXI. Respondeo secundo, octo priora Concilia generalia ab Imperatoribus esse convocata, nullum a Romano Pontifice; quædam ex iis etiam invitis, aut ignorantibus Romanis Pontificibus; tribus vero primis, necnon Sardicensi Romanos Pontifices non præfuisse, sed alios Episcopos. Demum quædam Concilia generalia non fuisse a Pontificibus confirmata, aut approbata, ea vero, quæ ipsi approbarunt, non ita approbasse, quasi ea nullum sine hujusmodi approbatione robur haberent, sed tantum illos consensisse iis, quæ a Concilio facta fuerant, & decreta, ejusque judicio adhæsisse.

XXII. Respondeo tertio, etiamsi convocatio Synodorum generalium, earum confirmatio, atque in ipsis προεδρία necessario competeret Romano Pontifici, nihilominus tamen non propterea dicendum fore, illum superiorem esse Concilio generali. Primo enim necesse non est, ut qui convocat aliquem cœtum, eo convocato, superior sit universo cœtu. Imo vero ordinarie, qui cœtum aliquem convocat, eo inferior est, ejusque Decretis parere debet; alioquin quid opus esset cœtum congregare: idem esto judicium de Concilio. Secundo, nec necesse est eum, qui primum in aliquo cœtu locum obtinet, universo cœtu superiorem esse, sufficit ut sit primus in cœtu, ut debeatur illi προεδρία, alioquin dicendum esset, nullam esse societatem, cujus Præsidens non esset universa societate superior, quod est absurdum. Porro in antiquis Conciliis licet præesset Papa, cuivis proponere deliberanda licitum erat: sed etiam si Præsidens esset rerum gerendarum moderator, non tamen esset propterea superioris auctoritatis universo cœtu. Denique ponatur consensus legitimi Pontificis necessarius ad robur dandum Decretis Synodi generalis, non tamen inde sequitur, Pontificem, esse Concilio superiorem, sicut licet ad firmitatem Senatusconsulti, aut Decreti Facultatis requiratur Præsidis subscriptio, & Decani conclusio, non licet inde inferre Præsidem universo Senatu, & Decanum integra Facultate superiorem. Dixi, ubi legitimus est Pontifex, nam ubi Pontifex est hæreticus, aut schismaticus, aut gravissimorum criminum reus, si quis vellet eum depositioni suæ assentiri, is profecto incassum laboraret. Sufficiet ergo hoc in casu, ut legitimus Pontifex a Synodo electus post hujus depositionem acta Synodi confirmet. Atque ita nec ex confirmatione, nec ex præsidentia Synodorum generalium potest inferri, Pontificem esse Concilio superiorem.

XXIII. Objicitur sexto dictum Concilii Romani sub Symmacho, *Papam nunquam minorum subjacuisse judicio.*

XXIV. Respondeo, minorum nomine forsan alios intelligi, quam Episcopos, qui minores dici nec debent, nec possunt. (*) Deinde vero etiamsi de Episcopis loqueretur Concilium, non loquitur de Concilio generali, sed de Concilio quorumdam Italiæ Episcoporum; denique loquitur ad mentem Romanorum, qui tum temporis existimabant, Pontificem a Synodo præsertim particulari deponi non posse, nisi in casu hæreseos. Agebatur autem de moribus Pontificis, quo in casu existimabant tum temporis nonnulli, eum reservandum esse divino judicio.

XXV.

(*) Cum sunt in Concilio congregati, quin etiam Romani Pontifices Episcopos, ad quos scribunt, Collegas, Fratres, & Consacerdotes passim appellant, nunquam filios, aut minores; etsi enim iis Romanus Pontifex in Primatu sit superior, est tamen in Episcopatu frater.

Digitized by Google

XXV. Objiciunt ſeptimo quædam Romanorum Pontificum dicta, ut Leonis I. Ep. 48. ſcribentis, ad Petri Sedem univerſæ Eccleſiæ curam pertinere; Gelaſii I. Epiſt. 13. dicentis, quod ſacroſancta Romana Eccleſia de omnibus habeat judicandi poteſtatem, nec cuiquam liceat de ejus judicare judicio; Gregorii I. qui Epiſt. 39. lib. 9. ait, Petrum reſpondere potuiſſe iis, qui eum culpabant, non eſſe ovium Paſtorem ſuum reprehendere; Nicolai I. dicentis in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, *judicium Sedis Apoſtolicæ, quæ ſuperiorem non agnoſcit, a nemine refricari poſſe*; Paſchalis II. cujus verba referuntur in capite *ſignificaſti* extra de electionibus in hunc modum: *Aiunt*, inquit, *in Conciliis ſtatutum non inveniri quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter recipiatur auctoritas.*

XXVI. Alexandri III. cap. *licet* extra de electione, ubi ſtatuitur, majori cautela eligendum eſſe Romanum Epiſcopum, quam ceteros, quia ſi malus eligatur Pontifex, nullum erit remedium, cum non habeat ſuperiorem, a quo deponi poſſit; Innocentii III. dicentis ſermone 2. ſe propter ſolum in fide peccatum poſſe ab Eccleſia judicari, in ceteris Deum habere judicem; Bonifacii denique VIII. in Extravaganti *unam ſanctam*, ubi ait, ſupremam eſſe Romani Pontificis poteſtatem, quæ non niſi a Deo poſſit judicari.

XXVII. Reſpondeo ad ſingula teſtimonia: ad primum Leonis I. verum eſſe, Romanum Epiſcopum curam gerere univerſæ Eccleſiæ, ſed diſtributim, non collectim ſumptæ, unde non valet conſecutio Bellarmini: Ergo etiam curam Concilii generalis habet. Sed eſto habeat curam, ut in Concilio generali omnia ſecundum ordinem fiant, non ſequitur: ergo ſuperior erit Concilio generali.

XXVIII. Ad ſecundum Gelaſii primi dico, eum non loqui de Concilio generali, aut Provinciali, ſed de ſingularibus Epiſcopis; docet id vox *cuiquam*, quæ de Concilio intelligi non poteſt; docet ſcopus Epiſtolæ, in quo agit contra eos, qui nomen Acacii retinere volebant in dypthicis.

XXIX. Ad tertium Gregorii reſpondeo, non negare Gregorium, quin oves aliquando Paſtorem reprehendere potuerint, ſed tantum dicere, potuiſſe Petrum hac uti reſponſione, ſed maluiſſe *non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondere*. Poſt quæ hæc adjicit: *Si ergo Paſtor Eccleſiæ Apoſtolorum Princeps ſigna, & miracula ſingulariter faciendo non dedignatus eſt in cauſa reprehenſionis ſuæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus,*

XXX. Ex quo patet, ſcopum Gregorii non eſſe, ut oſtendat Pontificem non poſſe ullo in caſu reprehendi, & judicari; imo contrarium infert ex facto Petri: deinde non loquitur de Concilio, aut Eccleſia, quaſi Petrus non potuiſſet a Concilio reprehendi, ſed tantum de privatis quibuſdam reprehenſoribus.

XXXI. Ad quartum Nicolai I. patet, eum non aſſerere ſuam auctoritatem Concilii auctoritate majorem, ſed tantum Sedem ſuam quavis alia majorem: *patet*, inquit, *profecto Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum.* Sedem ille ſuam cum aliis Sedibus, ſeque cum aliis Epiſcopis comparat, ſed diſtributim, hoc eſt Sedem ſuam cum qualibet alia, ſe cum quolibet alio Epiſcopo, non Sedem ſuam cum omnibus, aut ſe cum collectis in Concilium Epiſcopis univerſis; alioquin vitio laboraret ejus ratiocinium: *univerſum enim*, ut ait S. Auguſtinus, *partibus ſingulis merito præponitur.*

XXXII. Paſchalis II. teſtimonium, quod eſt ordine quintum, benigne oportet explicare, alioquin ſuſtineri non poterit ejus dictum, cum certum ſit, Concilia leges omnibus Epiſcopis, atque etiam Romanis dixiſſe: ſic verbi gratia, Concilium Antiochenum, & Arelatenſe ſua Decreta per litteras Romano Epiſcopo ſignificant, ut ea executioni mandet, ipſique Romani Pontifices legibus a Conciliis latis ſe obnoxios eſſe non ſemel proteſtantur; quare verba Paſchalis benigne ſunt interpretanda de poteſtate diſpenſandi ſapienter a Canonum obſervatione, quæ Romano Epiſcopo præ ceteris competit.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. Alexandri III. teſtimonium, quod eſt ſextum, non bona fide refertur; nec enim ait ille, nullum eſſe remedium, ſi malus Pontifex ſit electus, ſed tantum non poſſe recurſum haberi ad ſuperiorem, cum nullum ſcilicet Concilium eſt convocatum. Unde major cautela eſt adhibenda ad ejus electionem, quia non facile Concilium convocatur, nec poteſt a ſuperiore Epiſcopo, quemadmodum ceteri, judicari.

XXXIV. Innocentius III. cujus teſtimonium 7. refertur, videtur in eorum ſtare opinione, qui tenebant Papam ob ſolam fidem poſſe deponi, ſed forte per fidei negotium intelligit etiam pravitatem inemendabilem, quæ univerſæ officiat Eccleſiæ: unde ad Philippum Regem Francorum ſcribens ait, ſi abſque generalis Concilii deliberatione ipſum ſepararet ab uxore ſua, ordinis, & officii periculum ſibi imminere.

XXXV. Denique Bonifacii VIII. Extravagantem omni ratione, & auctoritate deſtitutam nihil omnino moror.

XXXVI. Objicitur ultimo Concilii Lateranenſis ſeſſione 11. ſeu potius Leonis X. in Concilio edita conſtitutio de abrogatione Pragmaticæ, in qua poſtquam dixit, ea, quæ geſta ſunt in Concilio Baſileenſi poſt translationem ejus Eugenii IV. auctoritate factam, nullum habere poſſe robur, hæc addit: *Cum præſertim ſolum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum Decretis, ſed ex propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione.* Quibus verbis videtur Synodus Lateranenſis, aut potius Leo X. approbante Concilio rem plane definiviſſe.

XXXVII. Reſpondeo, magnum eſſe diſcrimen inter hanc ſanctionem, & definitionem Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis: primum enim, ut mittam hæc Concilia numeroſiora fuiſſe, cum Lateranenſi Concilio vix octoginta Patres adfuerint, e quibus ſexaginta tantum, aut circiter Epiſcopi, quorum magna pars ex Italia: Chriſtianiſſimi Regis Orator nullus, e Gallicanis partibus Antiſtites nulli, ideoque a non paucis haud immerito in dubium revocetur, utrum revera ſit generale, ut, inquam, id mittam, perſpicuum eſt definitionem iſtam non eſſe a Concilio univerſo, ſed a Romano Pontifice ſolo editam; & quamvis initio Bullæ præfigatur, *ſacro approbante Concilio*, patet tamen rem non fuiſſe in Concilio diſcuſſam, et examinatam, ſed tantum perlectum in Concilio Pontificis Decretum, quod quidem non erat conditum de hoc negotio, ſed de abrogatione Pragmaticæ. Hoc vero Decretum inſeritur Bullæ tanquam ratio definitionis, non autem tanquam definitio. Quapropter licet conſtaret, approbatam a Concilio definitionem Pontificis de Pragmaticæ abrogatione, remque in Concilio examinatam, ac diſcuſſam; non propterea idem dici poſſet, imo idem dici non poſſet de hac ratione, quam Pontifex Bullæ inſeruit. Hæc omnia ad Concilii Lateranenſis Decretum reſponderi poſſe notaverunt Duvallius, & Bellarminus, licet in diverſa opinione fuerint: *Ad Concilium Lateranenſe*, inquit Duvallius 4. part. q. 7. libri de ſuprema poteſtate Papæ, *quod multo expreſſius loquitur, quam Florentinum, variæ ſunt reſponſiones. Quidam enim ajunt, non fuiſſe vere, & proprie generale, cum ei vix centum interfuerint Epiſcopi; alii dicunt, caput illud 21. in quo de auctoritate Concilii ſupra Pontificem mentio fit, a Concilio non fuiſſe diſcuſſum aut examinatum, ſed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui ſine prævio examine illud approbarunt, ideoque dici non poſſe conciliariter concluſum, & definitum, ſicut de Concilii Conſtantienſis definitione dictum eſt. Alii rem ſic expediunt, etiamſi, inquiunt, Concilium fuiſſet abſolute generale, (quod adhuc propter Epiſcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipſam, ut Decretum fidei Catholicæ non definiunt. Nulla enim in verbis Concilii nota apparet, ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronunciat in eos, qui contra ſentiunt, nec dicit, ſe hoc expreſſe, aut proprie definire, aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita credere, vel quid ſimile, ex quo expreſſa definitio colligatur. Alii denique reſpondent, Concilium eate-*

Digitized by Google

eatenus auctoritatem Papæ ſupra Concilium definire, quatenus id ex ſcripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifeſte conſtare cenſetur. Ad hæc enim ſi omnia verba attente expendantur, vim ſuæ definitionis, ſi quæ ſit, Concilium vocat. Potuitne clarius atque diſertius oſtendi, Decretum Leonis in Concilio Lateranenſi nullius eſſe ponderis? Cautior eſt Bellarminus, ſed tamen fatetur, decretum iſtud non eſſe de fide, & de Concilio Lateranenſi dubitari poſſe, utrum ſit generale: fatentes ergo habemus adverſarios Concilii Lateranenſis ſeu potius Leonis X. in Concilio Lateranenſi, ſententiam noſtræ nihil præjudicare opinioni. Hoc autem magis adhuc conſtabit, ſi rationes, et auctoritates hic allatæ ponderentur: ut enim obſervabat Duvallius, non definit id Pontifex, niſi quatenus manifeſte conſtat ex ſcripturis, Patribus, et Conciliis, quæ allegat nobis, ergo examinandum reſinquit, utrum conſtet, nec ne. Hæc autem non tantum non id probant manifeſte, ſed omnia aut falſa ſunt, aut a propoſito aliena. Scripturæ ſacræ generatim laudatur auctoritas, at nullus extat locus, qui id probare ullatenus poſſit: Patrum quoque generatim allegantur dicta, ſed nullum ſpeciatim refertur; Romanorum Pontificum Decreta venditantur, ſed nullum ſpeciatim promitur. Ipſa Conciliorum confeſſio pro argumento adducitur, at tantum abeſt, ut Concilia generalia ſupra ſe Romanos agnoverint Pontifices, & in iis venerati fuerint poteſtatem convocandorum, diſſolvendorumque Conciliorum, ut ſæpe leges Pontificibus etiam Romanis tulerint, ſeque paſſim ab Imperatoribus, non a Romanis Pontificibus convocatos eſſe teſtificati ſint, ut alibi oſtenſum eſt. Alexandrina Synodus adducitur, quæ ſcripſiſſe dicitur Felici Romano Pontifici, Nicænam Synodum ſtatuiſſe non debere abſque Romani Pontificis auctoritate Concilia congregari, ſed hæc Synodus, & Epiſtola illius nomine ad Felicem ſcripta ſuppoſititia procul dubio eſt, & talis eſſe ab ipſo Baronio agnoſcitur. Dicitur poſtea Beatus Leo Synodum Epheſinam 2. ad Chalcedonenſem tranſtuliſſe: quis hoc unquam dixit, aut dicere potuit, cum Epheſinam Synodum ab Imperatore convocatam ſine ulla translatione finitam eſſe conſtet, & Chalcedonenſem poſt aliquot annos ab Imperatore convocatam alia de cauſa, quam Epheſinam. Martinus V. fertur dediſſe poteſtatem legatis ſuis in Concilio Senenſi transferendi Concilium, nulla conſenſus Concilii ipſius mentione habita, at exequebatur Martinus Decretum *Frequens* Concilii Conſtantienſis, deinde non excludit conſenſum Concilii. Et revera translatio Concilii Senenſis Baſileam facta eſt ex conſenſu deputatorum nationum, ut patet ex Exordio Concilii Baſileenſis. Laudantur deinde plures Synodi, quæ Pontificibus Romanis dicuntur magnam exhibuiſſe reverentiam, Epheſina Cæleſtino I., Chalcedonenſis Leoni I., ſexta Generalis Agathoni, ſeptima Hadriano I., octava Nicolao, & Hadriano II. Quid tum? An inde ſequitur unicum Pontificem Romanum auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum poteſtatem habere? Citantur Damaſus Papa, & Occidentales ſcribentes per numerum Epiſcoporum Arimini congregatorum præjudicium fieri non potuiſſe, *quandoquidem Romanum Pontificem, cujus expectanda erat imprimis auctoritas, conſtabat his non præbuiſſe conſenſum.* Sed non de uno Romano Pontifice id decretum, ſed etiam Vincentio, & aliis pluribus. Deinde quis neget, imprimis expectandam eſſe Romani Pontificis auctoritatem, ſed an inde ſequitur id, quod ſibi ſumit Leo X. Romanum Pontificem, *tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, &c.* Citantur denique plures Synodi, quæ dicuntur geſtorum confirmationem a Pontifice petiiſſe, atque inter has Conſtantienſis laudatur. Quod argumento eſt, ex confirmatione ſeu conſenſu, & approbatione geſtorum in Conciliis a Pontifice Romano requiſitis non inferri, Pontificem eſſe ſupra Concilium, cum Synodus Conſtantienſis, a qua petitam a Martino geſtorum approbationem dicit Leo, diſerte contrarium diſinierit. Sed de hoc argumento jam dictum eſt ſupra. Ex his patet, neque ex auctoritate, neque ex rationibus Concilii Lateranenſis, ſeu potius Leonis X. in Concilio Lateranenſi confici, Romanos Pontifices eſſe ſupra Concilia, qua de re jam ſatis, & abunde a nobis dictum eſſe arbitror.

DE

DE
ANTIQUA ECCLESIÆ
DISCIPLINA

DISSERTATIONES HISTORICÆ

DISSERTATIO SEPTIMA.

In qua probatur, Pontificem, aut Ecclesiam nullam habere in Reges, eorumque bona auctoritatem directam vel indirectam, nec posse reges ab ipsis ullatenus deponi, aut eorum subditos a fide, & obedientia eximi.

PRÆLOQUIUM.

DUÆ sunt inter homines maximæ, atque præstantissimæ Societates, Civilis, & Ecclesiastica, quæ licet inter eosdem ineantur, ideoque sæpe videantur inter se confusæ, atque permixtæ, revera tamen ad diversos fines diversis modis tendunt, potestatemque diversi plane generis obtinent: societatis quippe Ecclesiasticæ finis est vita æterna, societatis vero civilis finis est pax, ac tranquillitas Reipublicæ, qui fines cum sint omnino disparati, nihil mirum, si media, quæ ad illos fines conducunt, sint plane diversa. Ad vitam quippe æternam nemo pervenit, nisi per eas actiones, quæ liberrimo voluntatis motu ex amore Dei fiunt: atque hinc religionis est fide, & pietate hominum animos excolere, ut sponte, & libenter præceptis Christi obtemperent. At e contra nihil ad reipublicæ tranquillitatem conducit, utrum leges libenti animo, an secus observentur, modo exterius observentur. Atque ideo societatis civilis hoc munus est, ut ita eas observari procuret, quod fit suppliciorum, & mortis metu: uno verbo, potestas societatis civilis in corpora extenditur, societatis Ecclesiasticæ auctoritas tota ad ani-

Digitized by Google

mos ſpectat; cum ergo corpora cogi poſſint, eorum eſt, qui poteſtate civili potiuntur, noxios ſuppliciis, & morte afficere: ſed cum in animos nihil omnino poſſit vis exterius adhibita, nullam hujuſmodi poteſtatem habet ſocietas Eccleſiaſtica, nec alio modo peccantes a vitiis revocare poteſt, quam exhortationibus, & præceptis, quibus illi, ſi non obtemperent, nullam aliam pœnam in eos ſtatuere valet, præter quam excommunicationis, qua ſocietate Eccleſiæ, & vita æterna indigni pronuntiantur. Denique leges ſocietatum civilium reipublicæ tantum bonum, & tranquillitatem reſpiciunt, cum e contra Eccleſiaſticarum legum nullus ſit alius finis, quam doctrinæ, & diſciplinæ Chriſtianæ ſanctitatem, & puritatem illibatam ſervare. Ex his principiis, quæ evidentiſſima & certiſſima ſunt, ſequitur, poteſtatem Eccleſiæ totam eſſe ſpiritualem, quæ ſe in temporalia ſive Regum, ſive aliorum bona minime extendat, ita ut neque Reges deponi poſſint, neque privati bonis ſuis ulla ratione ſpoliari auctoritate mere Eccleſiaſtica. Quod quamvis ita perſpicuum eſſe videtur, ut nemo cordatus de eo dubitare poſſit, ad revincendam tamen eorum, qui aliter ſentiunt, pertinaciam multis rationibus ſacrarum Litterarum, & traditionis auctoritati innixis oſtendam, primo poteſtatem Eccleſiaſticam in temporalia nullatenus extendi: ſecundo, poteſtatem Regum temporalem Eccleſiaſticæ minime ſubjici. Sed antequam ultra progrediar, præmittenda obſervatio quædam plane neceſſaria, tum ad lucem opinioni noſtræ afferendam, tum ad repellenda adverſariorum ſophiſmata, quorum omnium futilitas hac una obſervatione detegitur.

II. Itaque obſervandum eſt, magnum eſſe diſcrimen inter ipſam poteſtatem, & eum, qui poteſtate utitur, ita ut fieri poſſit ut is, qui poteſtate utitur, ſit ſubjectus alteri poteſtati, quamvis poteſtas illa, quam exercet, nulli poteſtati ſubjecta ſit: quod ut ad præſens negotium adaptetur, attendendum eſt, eundem hominem ſimul eſſe membrum ſocietatis civilis, & Eccleſiaſticæ, ac proinde ipſum ratione perſonæ ſubjectum eſſe poteſtati tum Eccleſiaſticæ, tum civili, at inde minime ſequitur, poteſtatem civilem, quam habere poteſt, ſubjectam eſſe poteſtati Eccleſiaſticæ, aut viciſſim Eccleſiaſticam civili, quia ſcilicet in civilibus tantum civili ſubjicitur poteſtati, in ſpiritualibus Eccleſiaſticæ. Sic Epiſcopi ſubjecti quidem ſunt regiæ poteſtati, ſed in civilibus, ita ut poteſtas Epiſcoporum non ſit ſubjecta poteſtati civili: unde non poteſt Rex aut Imperator Epiſcopos conſtituere, aut deponere vi, & auctoritate civili; ita etiam Reges ſubjecti quidem ſunt Epiſcopis, ac ſummo Pontifici, & ſpirituali poteſtati, ſed in ſpiritualibus tantum, ita ut poteſtas eorum temporalis, quam habent ut Reges, minime ſubjecta ſit poteſtati ſpirituali: unde Reges aut inſtitui aut deponi minime poſſunt auctoritate Eccleſiaſtica, ita quamvis Reges poteſtate ſpirituali, ac viciſſim Epiſcopos temporali ſubjectos eſſe, ſit extra dubium, non propterea dicendum eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam poteſtati civili ſubjectam eſſe, aut civilem Eccleſiaſticæ: quippe ambæ iſtæ poteſtates ſunt penitus diſparatæ, & a Deo ſolo, a quo ſunt inſtitutæ, dependent, ita ut neutra illarum in alteram quidquam poſſit, quamvis tamen ſpiritualis ſit temporali nobilior. His ita elucidatis, propoſitum ſtatim aggredior.

CAPUT I.

In quo demonſtratur, poteſtatem Eccleſiæ totam eſſe ſpiritualem, & in temporalia nullatenus extendi.

§. I.

In quo exponitur prima ratio, Chriſtum ſcilicet, ut Eccleſiæ caput eſt, nullam habuiſſe, aut exercuiſſe in temporalia poteſtatem.

NOn aliam poteſtatem præter eam, quam Chriſto auctori, & fundatori refert acceptam, Eccleſiam habere certiſſimum eſt, nec minus perſpicuum, Chriſtum non aliam ei contuliſſe præter eam, quam a Deo Patre, quatenus homo, eſt accepit: *Sicut*

Sicut me misit vivens Pater (inquit Christus Joannis 20. v. 21.) *& ego mitto vos;* docet se nihil aliud Apostolis contulisse, quam quod ipsi Pater contulerat. Unde Ecclesiæ ministri dicuntur a beato Paulo Christi vices implere, & pro ipso legatione fungi. Non potest ergo dici aut Apostolos, aut eorum successores aliquam potestatem habuisse, aut habere, quam Christus non habuerit sub ea ratione, qua Ecclesiæ caput est: nec enim agitur de potestate Christi, qua Deus est; hanc enim ab ipso Ecclesiæ collatam nemo dicere potest. Quapropter ut ostendamus Ecclesiam non habere temporalem ullam potestatem demonstrasse sufficiet, Christum quatenus inter homines est versatus, quatenus Ecclesiæ caput fuit, & fundator, nullam sibi arrogasse in temporalia Regum auctoritatem, nullam exercuisse temporalem potestatem, eumque non Regis majestate, sed magistri auctoritate instructum fuisse: eumdem non vi, aut armis usum, ut homines sub jugum mitteret, sed rationibus ac miraculis, ut eos ad veritatem, & pietatem adduceret: Quod quidem ut demonstretur, non est multum laborandum, cum Christus ipse diserte se ad hoc non venisse dicat, aut ullam temporalem potestatem a Patre accepisse. Cum enim Judæi ipsum apud Pilatum accusassent, quod se Judæorum Regem esse dixisset, *interroganti Pilato*, num esset *Rex Judæorum*, ita respondet, ut se nullam auctoritatem Regiam in terris habuisse demonstret: *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis, nunc autem Regnum meum non est hinc*. Urget eum iterum Pilatus, *ergo Rex es tu?* respondet Jesus, se Regem equidem esse, sed in hoc tantum, ut testimonium perhiberet veritati. *Tu dicis*, inquit, *quia Rex sum. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Poteratne clarius Christus profiteri se non venisse in mundum, ut temporalem exerceret potestatem, præcipue vero in Reges? *Audite ergo Judæi, & Gentes*, inquit sanctus Augustinus in hunc locum tract. 15. in Joannem, „ audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, „ non impedio dominationem vestram in „ hoc mundo .... venite ad Regnum, „ quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite sævire metuendo: dicit „ quidem prophetia de Deo Patre, ego autem constitutus sum Rex ab eo super „ Sion montem sanctum ejus; sed Sion „ illa, & mons ille non est de hoc mun„ do, quod est enim ejus Regnum, nisi „ credentes in eum, quibus dicit: de mun„ do non estis, sicut & ego non sum de „ mundo „?

II. Sunt alii Patres, qui locum hunc aliter interpretentur, quorum expositio licet minus ad litteram, nostro tamen proposito non minus favet. Dicunt illi Christum, licet qua Deus est, Rex sit, & Dominus universi orbis, Regem tamen non esse, aut Dominum eo modo, quo Reges terræ, sed ea ratione quæ nihil obsit Imperio Regum; sic Chrysostomus hunc locum explicat Homil. 82. his verbis: *Vult*, Christus, *ostendere se non purum hominem, sed Deum, & Dei Filium esse, tollit autem Tyrannidis suspicionem. An non est mundi hujus Christi Regnum? quidni? Quomodo inquit non esse, non quod etiam possideat, sed quod in cœlo habeat Imperium non humanum, sed longe majus atque præstantius?* itaque secundum Chrysostomi mentem Christus, ut homo nullam habebat potestatem regiæ similem, seu ejusdem generis, licet ut Deus potestatem in omnia regia majorem, & superiorem haberet.

III. Eadem est Ambrosii sententia in Lucam lib. 3. *Qui dicit*, inquit, *non esse de hoc mundo Regnum suum, ostendit esse supra mundum, ita & erat Regnum ejus, & non erat in sæculo, erat supra sæculum.* Quid hoc aliud sibi vult, quam Christum non habuisse potestatem regiam, sed potestatem regia superiorem, alterius & dignitatis? unde, ut observervat Chrysostomus, nihil erat metuendum Cæsari ex isto Christi Imperio, cum id non esset ejusdem conditionis, ac Imperium Cæsaris, & ceterorum Regum, ita ut non possent regna terrena cum isto consistere, quod etiam clarius observat Cyrillus in hunc locum: *Liberavit*, inquit, *a formidine Pilatum, qui dignita-*

tem Cæsaris in Judæa servare debebat; credidit enim forsan more hominum rebellionem a Christo cogitatam, Christus autem Pilato respondens, Regem se esse non negat, mentiri enim non poterat, sed Regni Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus ejus mundanus non est, sed cæli, terræque ceterarumque rerum omnium. Denique duplex tantum in Christo Regnum reperiri potest, unum adoptionis, & familiaritatis, ut loquitur Chrysostomus homil. 39. in cap. 15. Epist. 1. ad Cor. alterum creationis; illud habet ex humana natura assumpta, hoc ex divinitate: neutrum porro istorum idem est cum dominio Regnum in temporalia. Nam quatenus Deus est, habet supremum in omnia Imperium, quatenus homo est, regnum ejus totum est spirituale, nec enim homo factus est, ut totum orbem more Regum terrenorum regeret, aut ut sibi Reges omnes subjiceret, eorumque Imperium, ac potestatem Ecclesiæ aut impertiretur, aut subjiceret, atque hoc sensu Regnum ejus minime est de hoc mundo. Nec solum verbis, sed & factis docuit Christus, se minime venisse, ut rerum temporalium curam aut regimen susciperet, tum quando aufugit ne a Judæis Rex eligeretur, tum quando recusavit temporalium rerum judicium. Roganti enim cuidam, ut fratri suo juberet hæreditatem partiri, *homo*, inquit Christus, *quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* quasi diceret, non veni in mundum, ut de his judicarem, illos adite, quibus hæc potestas est commissa. Unde Ambrosius in hunc locum: *Bene*, inquit, *terrena declinat, qui propter cælestia tantum descenderat, nec dignatur judex esse litium, & arbiter facultatum*; & Bonaventura item in hunc locum: *quia Deus miserat eum ad spiritualia communicanda, ideo discedere recusabat ad temporalia dividenda.* Uno verbo, Christus non venit in mundum, ut Regnum temporale statueret, vel ut res terrenas regeret, & moderaretur, *sed ut mundus per ipsum salvus fieret, ut salvum faceret, quod perierat, ut testimonium perhiberet veritati, ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*, ut cunctos ad veram fidem, & pietatem adduceret, vitaque æterna dignos redderet.

IV. Ad hæc autem tanta, tamque sublimia opera perficienda non armis, non coactione, non imperio usus est, sed mansuetudine, patientia, documentis, miraculis, ipsa morte: *Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*; hoc est, cum posset in forma Dei hominibus apparere, non tribuit sibi divinam gloriam, ac majestatem: *Non tantum exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, sed & humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quid potest excogitari magis alienum ab auctoritate illa regia, & temporali, quam quidam fingunt ab ipso fuisse usurpatam, & Ecclesiæ collatam. Non sum nescius, adversarios nonnullis scripturarum, & sanctorum Patrum testimoniis niti, quibus probant Christum Regem fuisse, Regnorum, ac regum terrenorum Dominum, verum illa nihil probant, de quo non inter omnes non constet: extra omnem quippe controversiam est, Christum Dominum, quatenus Deus est, Dominum esse regnorum, ac Regum omnium, nec quisquam diffitetur, quin ob arctissimam, utriusque in Christo naturæ unionem potestas ista, quæ divinitati convenit, possit non secus ac cetera attributa divina homini in Christo, per communicationem, ut loquuntur, idiomatum adaptari, & homo Christus dici Dominus Regum omnium, quemadmodum dicitur & creator; quamvis ratione divinæ naturæ tantum id ipsi competat. Quapropter adversarii frustra multis testimoniis probare moliuntur id, de quo nullus addubitare potest, nisi Arianus, Photinianus, aut Nestorianus sit. Etenim in hos tantum hæreticos sancti Patres adducunt scripturæ testimoniia, in quibus Christo dominium rerum terrenarum tribui videtur, ut scilicet inde inferant, Christum esse vere Deum, supponentes scilicet eum non habere istud dominium ratione naturæ humanæ. Nam si cum adversariis sentirent Christum, ut homo est, habuisse istud dominium, perperam omnino ex his locis inferrent in Christo, præter humanam naturam, divinam esse, ratione cujus rerum

Digitized by Google

rerum terrenarum ſit Dominus. Ergo ea ipſa teſtimonia, quæ ab adverſariis producuntur, ipſorum opinionem evertunt, oſtenduntque dominium in temporalia Chriſto competiiſſe ratione naturæ tantum, prout creator eſt, non ratione humanæ, prout redemptor eſt, & Eccleſiæ caput, ac proinde cum certum ſit, Chriſtum Eccleſiæ communicaſſe tantum eam poteſtatem, quam habuit, ut homo, ut redemptor, & Eccleſiæ caput, non autem illam, quam habuit ut Deus, & creator, pro certo tenere debemus nullam poteſtatem temporalem a Chriſto Eccleſiæ collatam eſſe.

V. Addam tamen, quod etſi probaretur, Chriſtum ut hominem habuiſſe poteſtatem in Reges, & Regna, dici tamen non poſſit, iſtæc Eccleſiæ collata, cum hanc poteſtatem Chriſtus nec exercuerit, nec Eccleſiæ contulerit, nec aliud Regnum aut ipſe, aut Eccleſia habuerit præter ſpirituale: quod ſi quis de Regno Chriſti, & Eccleſiæ fieri mentionem audiens, de Regno temporali cogitaret, ſimilis profecto foret Judæis, qui prophetias de Regno futuri Meſſiæ de terreno, & temporali interpretabantur, intelligere non valentes eas ad Regnum Chriſti ſpirituale, quod eſt Eccleſia, pertinere. Turpe eſt, Chriſtianos, poſtquam revelata ſunt, & aperta Prophetiarum ſenſa, eodem adhuc errore implicari.

§. II.

Continens rationem ſecundam propoſitionis: poteſtatem ſcilicet a Chriſto collatam totam eſſe ſpiritualem.

NOn alio pacto facilius ac certius nobis innoteſcere poteſt, quænam ſit Eccleſiæ, & miniſtrorum ejus poteſtas, quam ſi ea ſcripturæ loca conſulamus, in quibus mentio fit poteſtatis a Chriſto Apoſtolis collatæ: cum enim Eccleſia non aliam habet poteſtatem præter eam, quam Chriſtus Apoſtolis tradidit, ut per eos ad eorum ſucceſſores perveniret, ſi ex ſcriptura conſtet, nullam omnino poteſtatem, quæ ſpiritualis non ſit, Apoſtolis eſſe collatam, fruſtra eorum ſucceſſores aliam ſibi arrogant: illud vero unicuique percurrenti, & conſideranti ſingula Evangelii loca, in quibus Chriſtus inducitur aliquam poteſtatem Eccleſiæ conferens, liquido conſtabit, nullam ab eo niſi ſpiritualem accepiſſe.

II. Prima, eaque potiſſima a Chriſto Apoſtolis collata poteſtas eſt annuntiandi Evangelium per totum orbem, & eos, qui crediderint, baptizandi, Matth. 28. v. 18. quam quidem totam eſſe ſpiritualem nemo ambigit.

III. Secunda poteſtas, quam Chriſtus Petro pollicitus eſt Matth. 16. cunctis vero Apoſtolis, & in illorum perſona Eccleſiæ contulit Matt. 18. eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi ſuper terram: *Amen, amen dico vobis*, inquit, *quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt alligata in cœlis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis*. Hæc eſt poteſtas, quam nonnulli contendunt ad temporalia extendi, ſed contra mentem Chriſti, quæ exponitur Joan. 20. his verbis: *ſicut me miſit vivens Pater, & ego mitto vos; quæ cum dixiſſet, inſufflavit in eos, dicens: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Unde perſpicue oſtenditur, poteſtatem ligandi, & ſolvendi a Chriſto collatam Apoſtolis ad peccata tantum pertinere, ita ut vincula illa, quibus utuntur, animas tantum, non corpora reſpiciant, ut egregie obſervat in hunc locum Chryſoſt. nec aliter e ſanctis Patribus quiſquam hunc locum interpretatus eſt, quam de peccatis, excommunicatione, & abſolutione ſacerdotali; quapropter illi, qui ad temporalia poteſtatem illam pertinere arbitrantur, ſcripturam ſacram contra unanimem ſanctorum Patrum conſenſum exponunt, quod a Concilio Tridentino *ad coercenda petulantia ingenia* ſeveriſſime prohibitum eſſe legitur.

IV. Tertia poteſtas a Chriſto Apoſtolis collata, eſt poteſtas Euchariſtiæ conſecrandæ, ac celebrandæ in ejus memoriam: *Hoc facite*, inquit Luc. 22. *in meam commemorationem*, quam quidem actionem mere ſpiritualem eſſe nemo dubitat.

V. Quarta poteſtas delinquentium pœnam reſpicit Joannis 10. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Quibus verbis intelligimus, nullam aliam

aliam pœnam ab Ecclesia infligi posse in noxios, quam ut ab ejus consortio removeantur, nec amplius in Christianorum habeantur numero. Itaque frustra quidam contendunt, potestatem esse Ecclesiæ noxiorum, vel pœnis temporalibus, vel bonorum privatione puniendorum, cum Christus nihil aliud in eos potestatis Ecclesiæ contulerit, quam ut ab eo declarentur velut Ethnici, & Publicani, alludens, ut observavimus, ad consuetudinem Judæorum, qui nullum cum istis consortium habere volebant.

VI. Denique postrema potestas a Christo Apostolis collata est condendarum legum, quæ ad disciplinam Ecclesiæ pertineant, & constituendorum sibi successorum, hoc est Episcoporum, Presbyterorum, Ministrorum; sed hæ leges bonum tantum Societatis Ecclesiasticæ respiciunt, non temporalem felicitatem; isti Ministri ad regendam Ecclesiam non ad Rempublicam administrandam constituuntur, nec aliam quam animarum curam habent, juxta illud Pauli: *Obedite præpositis vestris, ipsi enim invigilant quasi rationem de animabus vestris reddituri.* Nihil dico de ceteris Apostolorum insignibus donis, qualia sunt potestas miraculorum edendorum, sanandorum infirmorum, expellendorum dæmonum, &c. Hæc enim dona ad tempus tantum Apostolis sunt collata, nec ad eorum successores promanarunt.

§. III.

In quo tertia ratio exponitur, Christum nempe, & Apostolos omnem Potestatem, & Jurisdictionem temporalem ab Ecclesia amandare.

AD demonstrandum nullam esse in Ecclesia temporalem potestatem sufficeret ostendisse, omnem illam potestatem, quæ a Christo Apostolis est collata, spiritualem esse; cum enim nullam aliam habeat Ecclesia potestatem præter illam, quam a Christo accepit, necesse est, eam temporali carere, si quidem Christus spiritualem tantum ei sit largitus. Verum præterea Christus omnem omnino potestatem temporalem ab Ecclesia amandavit, & suos ministros tum per seipsum, tum per Petrum docuit nullam eos temporalem Jurisdictionem habere, sed illam esse Regum terrenorum propriam: *Reges gentium*, inquit Marc. 10. v. 42. & Luc. 22. v. 25. *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic.* Quæ admonitio duo docet Ecclesiæ Ministros. Primum quidem, Apostolos, eorumque successores omni temporali potestate, & jurisdictione carere; secundum, potestatem illam spiritualem, quam habent, non esse dominii, aut imperii potestatem, sed mansuetudinis, & charitatis, quia scilicet terrenæ potestatis est exteriora tantum administrare, spiritualis vero proprium est interiorem cordis affectum flectere: *Sicut enim*, inquit Origenes in hunc locum Matth. 12. *omnia cardinalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate, sic & principum spiritualium principatus in dilectione subjectorum debet esse positus, non in timore corporali.* Idem hoc in loco, & in Isai. homil. 6. observat, Ministros Ecclesiæ non esse vocatos ad Principatum, sed ad servitutem totius Ecclesiæ, unde & Hieronymus egregie Epist. 3. ad Nep. hoc præcipuum discrimen inter Principis, & Episcopi potestatem statuit, *quod ille nolentibus præsit, hic volentibus; ille terrore subjiciat, hic servituti donetur: ille corpora custodiat ad mortem, hic animas servet ad salutem.* Hocce inter potestatem Ecclesiasticam, & sæcularem discrimen multis in locis tradit Chrysostomus, præcipue vero lib. 2. de sacerdotio ubi hæc ait: „ neque homini licet tanta cum auctoritate homines curare, cum quanta Pastor oves curat. „ Hic enim potest, & vincire, & a pabulo arcere, urere, & secare, cum illic „ medicina ac curationis suscipiendæ facultas posita minime sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantum, qui „ laborat. Hoc enim admirandus ille vir „ cum intelligeret, sic Corinthios alloquitur, non quod dominemur vobis nomine „ fidei, sed adjutores sumus gaudii vestri; „ Christianis enim minime licet peccantium lapsus corrigere, exteri quidem judi-

Digitized by Google

„ dices cum facinoroſos homines leges tranſgreſſos fuiſſe deprehenderunt, magna ſe „ præditos auctoritate, ac poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel invitos ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Hic vero „ non vim afferre, ſed ſuadere tantum „ oportet, atque hac ratione meliorem efficere quemadmodum ſuſceperis; neque „ enim nobis facultas noſtra a legibus data ad delinquentes coërcendos, ac ne ſi „ dediſſent quidem, haberemus ubi vim „ ejuſmodi, potentiamque exercere poſſemus, cum Chriſtus eos æterna corona „ donet, non qui coacti, ſed certo animæ „ propoſito a peccato abſtinent „. Idem Chryſoſtomus aliis in locis inculcat onus Epiſcoporum majus eſſe, quam parentum, & judicum, quia ſcilicet poteſtatem non habent cogendi, aut coërcendi eos, qui ſuæ curæ commiſſi ſunt, Homil. 1. in Epiſt. ad Tit. Hom. 3. in Acta, Homilia 10. in Ep. 1. ad Theſſ. Sed in iſtorum poteſtate eſt obedire, vel non: *In principibus*, inquit, *movet metus, in his vero nequaquam*. Addit vero alio in loco: *Idcirco etiam excellentiorem eſſe poteſtatem Epiſcoporum poteſtate Principum, quod majus ſit imperare volentibus, quam invitis*, Homil. 6. in Iſaïam. Hinc negat Epiſcopum ullatenus dici poſſe veraciter Principem, quia munus ejus tantum eſt exhortari, monere, increpare, ipſum vero nulla habere arma ſenſibilia, ſed tantum ſpiritualia, quibus noxios ab Eccleſiæ communione expellat, quibus ſi victi non fuerint, nihil ſacerdoti ſupereſſe præter lacrymas, & preces, ſed hæc fuſius poſtea referemus.

II. Nunc vero properamus ad Apoſtoli Petri Chriſti Magiſtri veſtigiis inſiſtentis admonitionem: *Paſcite*, inquit Ep. 1. cap. 5. v. 2. *qui in vobis eſt, gregem Dei, non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Qui porro clarius potuit beatus Petrus illorum prædamnare ſententiam, qui contendunt Chriſtum, cum dixit ei *paſce oves meas*, dediſſe illi poteſtatem Regum per depoſitionem privationemque Regni ſui cogendorum? Qui enim erit dominatio, ſi non hæc dominatio eſt? Cum ergo Petrus omnem dominatum præpoſitis Eccleſiæ interdicat, eum certe maxime, qui exerceretur in eos, qui dominandi poteſtatem habent. Ceterum iſtud Petri mandatum, *non dominantes in Cleris*, generatim ad omnes dirigitur Epiſcopos, ejuſque ſucceſſores non ſecus ac ceteros ſpectat; quapropter Bernardus ſcribens ad Eugenium ingenioſe admodum, ut ſolet, ex his verbis elicit, Romanos Pontifices nullum habere dominatum, nullum imperium in Eccleſiam: „ Nec enim, *inquit conſiderationum lib. 2. cap. 6.* tibi ille Petrus „ dare, quod non habuit, potuit, quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſcilicet „ ſuper Eccleſias numquid dominationem? „ audi ipſum: non dominantes ait in Clero, ſed forma facti gregis ex animo; & „ ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, „ vos autem non ſic, planum eſt Apoſtolis interdici dominatum. I ergo tu & „ tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum: plane ab alterutro prohiberis, aut ſi utrumque ſimiliter habere velis, perdes utrumque, alioquin non te exceptum illorum „ numero putes, de quibus queritur Deus: „ ipſi regnaverunt, ſed non ex me, Principes exiterunt, & non cognovi eos. „ Jam ſi regnare ſine Deo juvat, habes „ gloriam, ſed non apud Deum; at ſi interdictum tenemus, audiamus edictum: „ qui major eſt veſtrum, ait, fiat ſicut „ minor, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hæc eſt, interdicitur dominatio, indicatur miniſtratio, quæ commendatur ipſius exemplo Legislatoris, qui ſecutus adjungit: ego autem in medio veſtrum, ſicut qui miniſtrat. „ Quis jam ſe titulo hoc inglorium putat, „ quo ſe prior Dominus gloriæ præſignivit? merito Paulus gloriatur in eo dicens: „ Miniſtri ſunt, & ego, & addit, ut minus „ ſapiens dico, plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, o præclarum miniſterium „! Huic Benardi ratiocinio nihil addi poteſt, ut probetur Romanum Pontificem, quatenus eſt Ro-

Digitized by Google

Romanus Pontifex, nullum habere dominium temporale ; dixi quatenus est Pontifex, non enim negat Bernardus, quin possit habere temporalia, sed ea negat ad ipsum pertinere, quia successor est Petri: *Esto*, inquit ibidem, *ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico jure, nec enim ille tibi dare, quod non habebat, potuit*. Quæro nunc ab iis, qui Reges a Romanis Pontificibus deponi, illorumque subditos a fide, & obedientia eximi posse contendunt, quæro, inquam, ab illis, an unquam fuerit ullum Imperium isti æquale, aut majus? an etiam credibile sit, Christum, qui dominationem omnem regiam Apostolis interdixit, eisdem contulisse dominatum longe majorem in ipsos Reges, qualem nemo Regum habet.

§. IV.

Seu quartum argumentum petitum ex testimoniis Romanorum Episcoporum, sanctorumque Patrum, quibus efficitur, Ecclesiam in spiritualia tantum habere potestatem, non secus ac Reges in sola temporalia, ita ut neutra potestas a se invicem dependeat.

POstquam e sacris litteris satis perspicua protulimus argumenta, nunc traditionem afferre oportet, eaque primum testimonia proferre, quibus aperte probatur, duas esse potestates a se invicem independentes Ecclesiasticam, & civilem, quarum prior in spiritualia tantum, posterior in sola temporalia auctoritatem habeat.

II. Initium faciam a testimoniis Romanorum Pontificum, inter quæ mihi primum occurrit præclarum Gelasii Pontificis effatum Ep. 8. ad Anastasium, tom. Conc. 4. col. 1182. „ Duo sunt, *inquit*, Imperator Au„ guste, quibus hic mundus principaliter re„ gitur, auctoritas sacra Pontificum, & „ Regalis potestas . . . . Nosti enim, Fi„ li clementissime, quod licet præsideas hu„ mano generi dignitate, rerum tamen „ præsulibus divinarum devotus colla sub„ mittis, atque ab iis causas tuæ salutis „ expetis, inque sumendis cælestibus sacra„ mentis, eisque, ut competit, disponendis „ subdite debere cognoscis religionis ordine, „ potius quam præesse. . . Si enim quan„ tum ad ordinem pertinet publicæ disci„ plinæ cognoscentes imperium tibi collatum legibus tuis ipsi quoque parent re„ ligionis Antistites : quo, rogo te, decet „ affectu eis obedire, qui pro erogandis ve„ nerabilibus sunt attributi mysteriis? *Idem* „ *habet in tomo de anathematis vinculo* : „ Quod si hæc, *inquit de Ecclesiasticis* „ *rebus loquens*, tentare formidant, nec „ ad suæ pertinere cognoscunt modulum „ potestatis, cui tantum de humanis rebus „ judicare permissum est, non etiam præ„ esse divinis, quomodo de his, per quos „ divina ministrantur judicare præsumunt : „ fuerint hæc ante adventum Christi, ut „ quidam singuraliter adhuc tamen in car„ nalibus actionibus constituti pariter „ Reges existerent, pariter Sacerdotes „ . . . . . Sed cum ad verum ventum „ est eumdem (*Christum*) Regem, atque „ Pontificem, ultra sibi nec Imperator „ Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex „ regale fastigium vindicavit . . . Christus „ memor fragilitatis humanæ, quod suo„ rum saluti congrueret dispensatione ma„ gnifica temperans, sic actionibus propriis, „ dignitatibusque distinctis officia potesta„ tis utriusque discrevit, suos volens medi„ cinali humilitate salvari, non humana „ superbia rursus intercipi, ut & Christia„ ni Imperatores pro æterna vita Pontifi„ cibus indigerent, & Pontifices pro tem„ poralium cursu rerum Imperialibus dispo„ sitionibus uterentur ; quatenus spiritalis „ actio a carnalibus distaret cursibus, & „ ideo militans Deo minime se negotiis „ sæcularibus implicaret, ac vicissim non „ ille rebus divinis præesse videretur, qui „ esset negotiis sæcularibus implicatus, ut „ & modestia utriusque ordinis curaretur ; „ ne extolleretur utraque suffultus, & com„ petens qualitatibus actionum specialiter „ professio aptaretur„. Ecce utramque potestatem, & utriusque limites optimæ distinctos, ita ut nihil liceat sæculari in Ecclesiastica, aut Ecclesiasticæ in sæcularia, & pariter Antistites teneantur obedire legibus Principum, ac Principes Episcoporum admonitionibus parere.

III.

Digitized by Google

III. Symmachus Papa in Apologetico adverſus Anaſtaſium tom. Conc. 4. col. 1298. Ep. 6. eodem, quo Gelaſius modo loquitur: *Conferamus*, inquit, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, hic divinarum: tu Imperator a Pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas, poſtremo tu humana adminiſtras, ille divina diſpenſat; itaque, ut non dicam ſuperior, æqualis honor eſt.* Nicolaus quoque I. Ep. 8. verba Gelaſii exſcribit. Atque ita videre eſt, Romanos Pontifices ultro agnoſcere ſibi nullam in temporalia poteſtatem eſſe, ſed hanc totam ad Reges pertinere. At nullus eſt, qui diſertius, & luculentius id profeſſus fuerit, quam Gregorius II. Epiſt. 2. ad Leonem Iſauricum: *Alia eſt*, inquit, *Eccleſiaſticarum rerum conſtitutio, & alius ſenſus ſæcularium; nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi Palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones ſacras in Clero peragendi.* Itaque ex Romanæ Eccleſiæ traditione conſtat, nihil magis eſſe juris Romano Pontifici, ceteriſque Epiſcopis in Reges, & eorum Regna, quam Regibus in Epiſcopos, & res Eccleſiaſticas; quemadmodum ergo licet Epiſcopus in civilibus Imperatori ſubſit, non poteſt tamen ab eo Epiſcopatu dejici, ita Imperator, quamvis in Eccleſiaſticis rebus ſit Romano Epiſcopo ſubjectus, non poteſt Regno ſpoliari, aut temporalibus bonis privari; & quemadmodum Reges res Eccleſiaſticas, ut Reges ſunt, adminiſtrare minime poſſunt, ita etiam Sacerdotes, ut ſunt Sacerdotes, nullam habent in res terrenas poteſtatem.

IV. Hinc Eccleſia Romana olim in publico officio profitebatur, Petrum, & ejus ſucceſſores claves accepiſſe ad regendum tantum animas: hanc enim in officio Cathedræ beati Petri recitabat orationem: *Deus, qui beato Petro, collatis clavibus regni cœleſtis, animas ligandi, atque ſolvendi pontificium tradidiſti; concede, ut interceſſionis ejus auxilio a peccatorum noſtrorum vinculis liberemur.* Hæc oratio, quam Anaſtaſius Bibliothecarius Leoni IV. perperam aſcribit, extat in libro ſacramentorum Gregorii, & in antiquis Breviariis, ac Miſſalibus Romanis a Paulo III., & Gregorio XIII. approbatis, quamvis in poſterioribus vox iſta *animas* ſit abraſa, neſcio quo conſilio. Hujus certe vocis ſenſus, quod ſcilicet poteſtas clavium tota ſpiritualis ſit, & animas tantum reſpiciat, conſtanti traditione nititur, & Romanorum Pontificum confeſſione. Hæc quippe ſententia eſt Julii II. in diplomate 23. his verbis: *Liquet omnibus Chriſtianæ fidei cultoribus, beatum Petrum ab ipſo Salvatore noſtro Jeſu Chriſto Apoſtolorum Principem fuiſſe conſtitutum, eique ligandi, ac ſolvendi animas cœleſti privilegio traditam eſſe poteſtatem, cum ei dicitur, tu es Petrus:* & hæc ſententia eſt Hadriani I. in Concilii Francofordienſis initio: *Petrus*, inquit, *in præmium ſuæ confeſſionis cœli janitor, & ligandi, ſolvendique arbitrer factus eſt animarum.*

V. Hæc eſt Petri Damiani ſermone 1. de beato Joanne Evangeliſta: *Tacet is*, inquit, *cui portæ inferi non prævalent, qui ligandi animas, atque ſolvendi obtinet principatum.*

VI. Hæc eſt etiam Agobardi in libello de diſcrimine utriuſque regiminis ad Ludovicum: eademque ibidem ſententia eſt Gregorii IV. Pontificis in Ep. ad Epiſcopos Regni Francorum: *Neque*, inquit, *ignorare debueratis, majus eſſe regimen animarum, quod eſt pontificale, quam imperiale, quod eſt temporale.*

VII. Eadem eſt ſententia Chryſoſtomi multis in locis, præſertim vero homil. 4. de verbis Iſaiæ de Oſia: *Regi*, inquit, *corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ; Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum.*

VIII. Ante Chryſoſtomum affirmavit quoque Nazianzenus in oratione apologetica, totam Paſtoris curam circa occultum, & internum hominem verſari.

IX. Eadem quoque fuit mens Valentiniani Imperatoris, cum referente Theodoreto, poſt electionem Ambroſii dixit, ſe gratias agere Deo, quod ei viro animas com-

Digitized by Google

mendaſſet, cui ipſe corpora commiſerat. Hæc eſt ſententia Patrum omnium, qui unanimi conſenſu verba hæc, *quæcumque ligaveris ſuper terram*, de poteſtate ligandi, & ſolvendi peccata interpretantur, nunquam de poteſtate privandi Regis imperio, aut privatis bonis ſibi propriis.

X. Denique hæc ipſa eſt ſententia Apoſtoli Pauli ſcribentis, præpoſitos Eccleſiæ animarum curam tantum gerere, *quia ipſi*, inquit, *invigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.

XI. Poſſem hic etiam addere multa Patrum teſtimonia, quæ in ſequentibus argumentis referentur; ſed ne bis eadem repetam, unum tantum referam, quod omni exceptione majus eſt: hoc autem eſt celeberrimi illius Oſii Cordubenſis, qui Conſtantium Imperatorem tanta alloquitur conſtantia, ut diſſimulationis, aut adulationis accuſari minime poſſit: *Deſine, quæſo*, inquit apud Athanaſium in Ep. ad ſolitariam vitam agentes, *& memineris te mortalem eſſe, reformida diem judicii, ſervate in illum purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ credidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes Imperator*. Hæc magnus ille Oſius, quibus docet, nihil plus juris eſſe Epiſcopis in poteſtatem civilem, quam Regibus in Eccleſiaſticam.

§. V.

In quo quinto argumento evincitur, Eccleſiam in temporalia nullam habere auctoritatem, eo quod per vim, gladiumque materialem homines cogere minime poſſit.

SI qua foret Eccleſiæ in temporalia poteſtas, dubium nullum eſt, quin poſſet temporalem aliquam pœnam, puta mortem, ſupplicium, aut ſaltem bonorum privationem infligere, quod etiam ab adverſariis ſupponitur, cum inde probant Reges in pœnam læſæ fidei ab Eccleſia regnis privari poſſe, illorumque ſubditos a fide, & obedientia eximi. Verum enimvero nihil eſt certius, quam Eccleſiam non habere ullum jus puniendorum noxiorum pœnis, & ſuppliciis corporis, aut etiam bonorum privatione. Inauditum certe eſt apud antiquos, quemquam alia, quam excommunicationis, aut depoſitionis pœna fuiſſe ab Eccleſia mulctatum; quin e contra Eccleſia agnovit, nullam aliam ſibi poteſtatem eſſe, quippe cum eos, qui ſuis Decretis adverſabantur, in exilium ejici, & bonis mulctari, ne turbas cierent, expetivit, Imperatores ſemper, aut Magiſtratus civiles adiit, ut hæc pœna legibus civilibus in eos ſanciretur. Adeo perſuaſum erat ipſi, nullam ſe poteſtatem habere hujuſmodi pœnarum in quemquam decernendarum. Et quidem multis annis Eccleſia civili auctoritate adverſus hæreticos, & rebelles minime uſa eſt, quia nullum ſperabat ab Imperatoribus Ethnicis auxilium. Ut ut ſit, primum legitur auctoritatem civilem imploraſſe in cauſa Pauli Samoſateni, cum ille Antiochena Sede dejectus, domo, & Eccleſia Epiſcopali cedere nollet; quæ res Eccleſiam coegit, Aurelianum Imperatorem adire, ut inde exturbaretur: qui Imperator licet Gentilis prudenter omnino ſtatuit, Eccleſiam, & domum Epiſcopalem ei tradi, ad quem Romanus Epiſcopus, & ceteri Italiæ Antiſtites litteras communionis mitterent. Poſtquam vero Imperatores Chriſtiani fuerunt tum illorum in Chriſtianam Religionem affectus, tum proprii Imperii, cujus tranquillitas religionis conſervatione plerumque pendebat, cura, & ſollicitudo in cauſa fuerunt, ut hæreſiarchas, & rebelles, ne turbas cierent, in exilium mitterent, aut mulcta aliqua pecuniaria plecterent: quod quidem ſæpiſſime proprio motu aliquando ab Epiſcopis ea de re rogati præſtiterunt. Verum non niſi poſterioribus Eccleſiæ ſæculis conceſſa eſt Eccleſiæ ab Imperatoribus poteſtas ſtatuendarum in hæreticos, aut peccatores pœnarum temporalium; atque

Digitized by Google

atque hinc Episcopi potestatem istam obtinent ab Imperatoribus, & Regibus, non ab Ecclesia, sicut Reges debent Ecclesiæ multa alia Ecclesiastica munia, quibus ipsi fruuntur; sed en tibi argumenta, quibus id conficitur.

II. Primo Christus nullam Ecclesiæ potestatem contulit præterquam spiritualem, nec aliter pertinaces, & rebelles ab Ecclesia puniri jussit, quam ut haberentur tanquam Ethnici, & Publicani; hoc est, ut indigni Ecclesiæ communione declararentur, quod, quid sit, fuse antea explicatum est.

III. Secundo, idem Christus docuit nos, nihil magis abhorrere ab Evangelii mente, quam dominium, & imperium terrorem incutiens. Cum enim Apostoli vellent ignem e cœlo in Samaritanos educere, vetuit Christus hæc dicens: *Nescitis, cujus Spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Luc. 9. v. 55.

IV. Tertio, Christus Apostolos materiali gladio uti prohibuit, etiam ad defendendam religionem, Petrum, qui gladio usus fuerat graviter increpavit: sic rem narrant Evangelistæ Matthæus c. 26. v. 25. Lucas c. 22. v. 49. & Joannes 18. v. 10. *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant* (Christum mox capiendum) *dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio. Simon ergo Petrus unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus dexteram, erat autem nomen servo Malchus. Respondens Jesus ait, sinite usque huc; & cum tetigisset auriculam ejus, salvavit eum. Dixit ergo Jesus Petro: mitte gladium tuum in vaginam; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt: an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit plus quam duodecim legiones Angelorum?* Qua ex narratione Evangelistarum constat, Christum dictis, & exemplo suo docuisse gladium non esse ab Ecclesia exercendum pro religione; quare Origenes in hunc locum hæc observat: „ Sed, & simpliciter, *inquit*, audientes quod dicit, „ qui accipiunt gladium, gladio peribunt; „ cavere debemus, ne occasione malitiæ „ aut vindictæ propriarum injuriarum eximamus gladium, aut ob aliquam occasionem, quam omnem Evangelica abominatur hæc Christi doctrina, præcipiens, „ ut impleamus id, quod scriptum est: „ cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Si ergo cum odio habentibus pacem debemus esse pacifici, adversus neminem gladio uti debemus: & paulo antea pacificos vult esse Christus Discipulos suos, ut bellicum gladium hunc deponentes, alterum pacificum accipiant „ gladium, quem dicit Scriptura gladium „ Spiritus „.

V. Quarto, sancti Patres unanimi consensu docent, Ecclesiam carere omni gladio materiali, seu potestate civili ad homines cogendos, & puniendos, nec aliud quidquam posse, quam hortari, monere, & excommunicare eos, qui sibi nolunt obedire, Canon Apostolicus 26. *Episcopum, qui fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipsis propter hujusmodi vult incutere, deponi præcipimus; nusquam enim Dominus hoc nos docuit, imo vero contra cum ipse percuteretur, non percutiebat, cum lacesseretur convitiis, non regerebat convitium, cum pateretur, non comminabatur.* Tertull. in lib. ad Scapulam: *Non est*, inquit, *religionis cogere religionem.* Cui succinens Lactantius lib. 5. divinarum Institutionum: *Non est*, inquit, *opus vi, & injuria, quia religio cogi non potest . . . defendenda est non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed sapientia, non scelere, sed fide.* Quid, quæso, faciunt Romani Pontifices, cum Reges regnis suis spoliare conantur? nonne per vim eos cogere volunt, nonne religionem (si tamen religionem) innumerorum hominum sanguinem fundendo defendere se putant? hoc ipsum principium late extendit Athanasius Apologia secunda: *Diabolus*, inquit, *quia nihil veri habet in securi, & ascia invadens concutit fores eorum, a quibus recipitur . . . . Salvator autem e contra mansuetus est. Si quis*, inquit, *velit me sequi, & meus esse Discipulus, ita docens, se cum ad quemquam venit non vi instare, sed potius pulsare, & dicere: soror mea sponsa; quod si aperiat, intrat; sin gra-*

ventur, aut nolint aperire, abscedit; non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo, & consulendo: piæ religionis est proprium, ut dixi, non cogere, sed suadere. Siquidem Dominus non cogens, sed libertatem concedens dicebat omnibus: si quis vult venire post me: Apostolis vero omnibus: Numquid, & vos vultis abire? Idem in Arianos inculcat Hilarius lib. 2. ad Constantium: *Deus*, inquit, *cognitionem sui docuit potius, quam exegit, & operationem cœlestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem coactam confitendi se, est aspernatus voluntatem, si ad fidem veram istiusmodi vis adhiberetur, Episcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque Deus universitatis obsequio non indiget necessario, non requirit coactam confessionem, nostra potius causa, non sua venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare.* His concinunt Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, his versibus.

Suadere quippe æquius est, quam cogere,
Magisque nobis convenit, & illis item,
Favere summo nitimur quos numini.

VI. Idem orat. 1. de Theologia, & cum eo Ambrosius lib. 7. in Lucam observant, Evangelium non esse per vim promulgatum, nec missos esse Apostolos, qui gladio aut imperio uterentur ad stabiliendam fidem, sed qui humilitate, & patientia cunctos ad eam adducerent; unde nobiscum concludunt, Christum hanc non dedisse Ecclesiæ potestatem. Hæc sunt Ambrosii verba in Lucam cap. 22. „ O „ Domine, cur emere jubes gladium, qui „ ferre me prohibes? cur haberi præcipis, „ quod vetas promi, nisi forte ut sit parata defectio non ultro necessaria, ut videar potuisse vindicari, sed noluisse, lex „ tamen referire non vetat; & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat „ est, dicit, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. „ Multis hoc iniquum videtur, sed non „ iniquus Dominus, qui cum se posset ulcisci, maluit immolari; est enim gladius spiritualis, ut vendas patrimonia, „ emas verba, quo nuda mentis penetralia „ vestiuntur, est enim gladius passionis, „ ut jacias corpus, & immolatæ carnis „ exuviis ematur tibi sacri corona martyrii „. Sic Ambrosius dictum illud Christi de duobus gladiis (quod Bonifacius VIII. in sua Extravaganti *Unam Sanctam* ad mentem suam detorquet, ut probet in Ecclesia gladium materialem esse) ita explicat, ut contrarium Bonifacio inferat, gladium, de quo hic agitur spiritualem passionis esse gladium, quod Ecclesia debeat pati, non quod ipsa possit in alios exercere.

VII. Augustinus quoque docet, Ecclesiam nullas alias pœnas infligere posse, quam degradationis, & excommunicationis, lib. de fide, & operibus c. 2. &c. *Phinees Sacerdos*, inquit, *adulteros simul inventos ultore ferro transfixit, quod utique de degradationibus, & excommunicationibus significatum est faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis gladius fuerit cessaturus.* Eadem est ante hunc Cypriani sententia Epist. 11. lib. 1. *Interfici Deus jussit a Sacerdotibus suis non obtemperantes judicibus a se ad tempus constitutis, & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat, nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei cœpit, spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.*

VIII. Verum nullus est, a quo luculentius propositio nostra asserta fuerit, & eloquentius exposita, quam a beato Chrysostomo, cujus extat ea de re insignis locus homil. 4. de verbis Isaiæ t. 3. p. 758. ubi de facto Oziæ differens, late docet, Reges nulla temporali pœna a Sacerdotibus posse mulctari: „ Regi, *inquit*, corpora com„ missa sunt, Sacerdoti animæ; Rex ma„ culas corporum remittit, Sacerdos autem „ maculas peccatorum; ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate, hic libera voluntate; ille habet arma sensibilia, hic „ arma spiritualia; ille bellum gerit cum „ barbaris, mihi bellum est adversus dæmones, major hic principatus; propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, & ubique in veteri scriptura Sacer„ do-

Digitized by Google

„ dotes inungebant Reges ; verum Rex „ ille (Ozias) ſua tranſiliens ſepta, mo„ dumque Regni tranſgreſſus , conatus eſt „ aliquid addere , atque ingreſſus eſt tem„ plum cum auctoritate incenſum adolere „ volens . Quid igitur Sacerdos? non licet „ adolere incenſum; vide libertatem, vide „ mentem ſævire neſciam . . . Rex au„ tem Ozias non ſuſtinuit admonitionem , „ ſed arrogantia inflatus ingreſſus eſt tem„ plum, aperuit Sancta Sanctorum, volens „ adolere incenſum ; quid autem Deus ubi „ Sacerdos contemptus eſt, dignitaſque Sa„ cerdotii conculcata, ubi nihil amplius „ potuit Sacerdos (nam Sacerdotis tan„ tum eſt arguere , & audacter, ac libere „ admonere, non movere arma, non cly„ peos uſurpare, non vibrare lanceam, nec „ arcum tendere, nec jacula mittere , ſed „ tantum arguere, ac conſtantiam oſtende„ re.) Poſtea quam igitur arguiſſet Sacerdos, „ Rex autem non ceſſiſſet, ſed arma mo„ veret, clypeos, & haſtas , ſuaque utere„ tur potentia , ibi Sacerdos dicit : Ego , „ *inquit* , quod erat mei officii præſtiti , „ nihil amplius poſſum : ſuccurre Sacerdo„ tio, quod conculcatur, leges violantur, „ fas ſubvertitur. Quæ quidem Chryſoſto„ mi in Oziæ, Sacerdotiſque magni facta, & „ dicta obſervationes Sacerdotibus omnibus „ documenta eſſe poſſunt, quo pacto ſeſe ge„ rere debeant, quando tenentur adverſus Re„ ges, velut ſummus Sacerdos adverſus Ozi„ am , jura ſua tueri , uti ſcilicet debent , „ non ſecus ac ille exhortationibus, increpa„ tionibus , imo & excommunicationibus : „ at nequeunt regnis eos ſpoliare , arma in „ ipſos movere , aut quemquam ad ea mo„ venda exhortari, & impellere: quid autem „ aliud fecerunt Romani Pontifices, qui Re„ ges regno indignos eſſe pronunciarunt, ſub„ ditos illorum a fide , & obedientia immu„ nes pronunciarunt, & regna eorum cuilibet „ occupanti, aut certe alteri tradiderunt.

IX. Deniqne ut alios mittam , quorum teſtimonia jam laudavimus , & infra laudabimus, Gregorio Magno perſuaſum erat, non licere Sacerdotibus vim ullam adhibere ; hic quippe lib. 2. Ep. indict. 11. Ep. 52. ad Joannem Hieroſolymitanum , eos Epiſcopos, qui vi externa in rebus religionis uti vellent , ita increpat : *Quid autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt , Canones dicant bene veſtra fraternitas novit : Paſtores enim facti ſumus, non perſecutores , & egregius Prædicator dicit : argue , obſecra , increpa cum omni patientia ; nova vero, atque inaudita eſt iſta prædicatio , quæ verberibus exigit fidem.* Itaque ex Gregorio omnia Sacerdotum in peccantes officia his tribus comprehenduntur, *argue , increpa , obſecra* , nec verberibus, aut ſuppliciis peccantes coërcere ipſis licitum eſt. His Veterum teſtimoniis addam nonnulla recentiorum magnæ auctoritatis , & doctrinæ virorum teſtimonia.

X. Petrus Damiani egregie probat Eccleſiam uti minime poſſe vi externa , & gladio materiali : hæc ſunt ejus verba lib. 4. Ep. 9. ad Odericum Firmanum Epiſcopum : „ Sicut ipſe Dei filius , *inquit* , „ cuncta mundi obſtacula non per diſtri„ cti examinis ultionem, ſed per invictam „ ſuperavit inconcuſſæ patientiæ majeſta„ tem , ita decet mundi rabiem potius „ æquanimiter ferre, quam vel arma cor„ ripere , ve lædenti læſionibus reſponde„ re, præſertim cum inter Regnum , & „ Sacerdotium propria cujusque diſtinguan„ tur officia , ut Rex armis utatur ſæculo , „ & Sacerdos accingatur gladio Spiritus, „ qui eſt Verbum Dei ; & Aſarias Rex, „ quia Sacerdotale uſurpat miniſterium, le„ pra perſunditur; & ſi Sacerdos arma cor„ ripit , quod utique Laicorum eſt , quid „ meretur? . . . Si ergo pro fide, qua uni„ verſalis vivit Eccleſia , nuſquam ferrea „ corripi arma conceditur , quomodo pro „ terrenis, & tranſitoriis Eccleſiæ facultati„ bus loricatæ acies in gladios debacchantur. „ Porrò ſancti viri cum prævalent hæreti„ cos, hæreticorumque cultores, nequaquam „ perimunt , ſed potius ab iis perimi pro „ fide Catholica non refugiunt . . . . Si „ aliquis objiciat bellicis uſibus Leonem ſe „ frequenter implicuiſſe Pontificem, verumta„ men ſanctum eſſe : dico, quod ſentio, quo„ niam nec Petrus ob hoc Apoſtolicum obti„ net Principatum, quia negavit, nec Da„ vid idcircò prophetiæ meretur oraculum, „ quia torum alieni viri invaſit, cum mala, „ vel bona non pro meritis conſiderentur

„ ha-

Digitized by Google

„ habentium, ſed ex propriis debeant qualitatibus judicari: numquid hoc legitur, „ vel legiſſe, vel litteris docuiſſe Gregorius, qui tot rapinas, ac violentias a „ Longobardorum eſt feritate perpeſſus? num „ Ambroſius bellum Arianis, ſe ſuamque „ Eccleſiam crudeliter infeſtantibus, intulit? numquid in arma Sanctorum traditur quiſpiam inſurrexiſſe Pontificum? „ Cauſas igitur Eccleſiaſtici cujuſcumque „ negotii leges dirimant fori, vel Sacerdotalis edicta Concilii, ne quod gerendum eſt in tribunalibus judicum, vel „ ex ſententia debet prodire Pontificum, „ in noſtrum vertatur opprobrium congreſſione bellorum „.

XI. Anſelmus in cap. 26. Matthæi notat duos gladios eſſe in Eccleſia, unum materialem, ſed hunc a ſæcularibus Miniſtris exercendum: „ Sunt, inquit, & Miniſtri ſæculares, a quibus temporalia, & „ ſpirituales, a quibus debent tractari ſpiritualia. Datur ergo materialis gladius „ carnalibus, ſpiritualis autem Miniſtris „ ſpiritualibus; ſed ſicut non convenit Regibus, quod ad ſtolam pertinet, ſic nec „ Epiſcopis, quæ Regis ſunt exercere, quod „ quia Petrus, qui figuram rerum ſpiritualium, materialem gladium quodammodo „ exercuit, dum auriculam ſervi amputavit, a Domino increpari meruit.

XII. Sanctus Bernardus de conſiderat. ad Eugenium lib. 1. c. 6. *Non monſtrabunt, puto, qui hoc dicent, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum ſteterit. Denique lego Apoſtolos judicandos ſediſſe, judicantes non lego, erit illud, non fuit ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter has accipitis claves regni cœlorum, prævaricatores utique excluſuri non poſſeſſores: habent hæc infima, & terrena judices ſuos Reges, & Principes terræ, quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Quæro nunc ab adverſariis, an non Pontifices cum Imperatores, aut Reges deponunt, & regna eorum aliis occupanda tradunt, an non, inquam, tunc uſurpent ſibi judicium illud de poſſeſſionibus, & limitibus, quod ipſis prorſus interdictum eſſe ex ſcriptura docet Bernardus: falcem ergo in alienam meſſem mittunt, & prævaricatores merito audiunt. Hugo a ſancto Victore de ſacramentis fidei lib. 2. p. 2. c. 7. *Spiritualis ſiquidem poteſtas non ideo præſidet, ut terrenæ in ſuo jure præjudicium faciat, ſicut ipſa terrena poteſtas, quod ſpirituali debetur, numquam ſine culpa uſurpat.* Quodnam, quæſo, majus poteſt præjudicium fieri, quam cum regno privatur?

XIII. Alexander Alenſis p. 3. q. 40. n. 5. recitat eadem Hugonis verba, additque: *Regum eſt exercere pœnam corporalem, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam; ſicut enim judex terrenus non ſine cauſa gladium portat*, Rom. 13. *ita non ſine cauſa claves Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt; ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; iſti claves habent ad excluſionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium. Igitur a Deo tantum eſt Rex puniendus ſupple (pœna materiali.) Et iterum non habet hominem, qui facta ejus diſjudicet*, ad pœnam ſcilicet corporalem inferendam.

XIV. Thomas Valdenſis doctrinalis fidei antiquæ lib. 2. art. 3. c. 78. „ Ergo, inquit, magis placet, ut ſint duæ poteſtates primæ, ita ut neutra ab altera „ ſecundum originem pendeat, & hæc illi „ ſubjecta ſecundum perfectionis ſimplicis „ dignitatem, utraque tamen major altera „ ſibi comparata in exercitio poteſtatis; & „ poſtea ex hac particula occaſionaliter deliquunt quidem dicentes, quod radix poteſtatis terrenæ in tantum dependet a „ Papa, ut ex commiſſione ejus exercitio „ derivetur in Principem, & Principe deviante, poteſt ſummus Sacerdos temporale illud adminiſtrare negotium, ſed in „ præſumptione delinquunt, quia & conjuges habet Sacerdos inſtituere, ut ſint „ per ſolemnitatem ſacramenti, & judicare ſi boni non fuerint: non tamen adminiſtrare conjugale negotium, ſi delinquant, nec poteſtas conjugalis ſecundum „ auctoritatem capitis a Sacerdote dependet, ſed a Deo . . . Similiter nec terrena, ſeu regia poteſtas, quæ ſub annulo „ fidei diſpenſatur, ad regnum in quemquam auctoritate reducitur ſupra Regem

„ citra

„ citra Christum „. Quo exemplo optime illustrat ille distinctionem, quam initio adhibuimus inter potestatem, & eum, qui potestate utitur, docetque terrenos Reges subdi equidem potestati Ecclesiæ, licet illorum potestas tunc non subdatur, nec a Sacerdotibus exerceri possit. Possem & alios plures proferre Theologos, quos brevitatis causa hic omitto, de his forte dicturus alias.

CAPUT II.

In quo demonstratur, civilem potestatem de se, & ex natura sua independentem esse a spirituali.

HActenus ostendimus, societatis Ecclesiasticæ finem, objectum, mercedem, pœnam, potestatem, spiritualia tantum esse: unde necessario consequitur, Ecclesiam neminem posse bonis temporalibus spoliare, multo minus Reges e regnis suis deturbare; nunc ostensuri sumus, potestatem regiam a spirituali natura sua minime pendere, quæ res propositionem nostram, sed diversimode, demonstrat.

§. I.

In quo probatur, potestatem regiam immediate esse a Deo, & ab illius solius potestate pendere.

CUm homines omnes a natura sint ad societatem destinati, quæ sine potestate, & auctoritate stare nequit, necesse fuit, ut Deus, qui rerum omnium est Dominus, societati in hominum bona, & corpora potestatem commiserit: nam si Deus nulli potestatem hanc contulisset, homines in pace, ac tranquillitate degere foret impossibile; quippe si nulla esset in terris condendarum legum auctoritas, si nulla potestas, qua possent homines ad illarum observationem cogi, si impune liceret omnibus sese mutuo interficere, bonisque spoliare; quomodo posset nomen societatis obtinere hominum inter se coëuntium inordinata multitudo, confusa turba, ubi nemo audit neminem: *Nisi*, inquit Chrysostomus homil. de statuis, *rectores civitatum essent, feriorem feris vitam viveremus, non morderent tantum, sed & vorantes alios alii: tolle tribunalia, & omnem de vita tranquillitatem abstuleris; quod enim in domibus faciunt tignorum contignationes, hoc Principes in civitatibus; & sicut si illas sustuleris dissoluti parietes per se corrunt, sic si ex mundo Principes tollas, & horum metum, & domus, & civitates, & gentes, cum multa inter se licentia corruent, cum nemo sit, qui contineat, & repellat, & pœna timore quietem procuret.* Cum ergo solus Deus vitæ, bonorumque nostrorum summus sit Dominus, necesse est, ut potestatis hujus partem contulerit iis, qui societates civiles regunt, ac proinde sive Reges, sive Magistratus, sive Principes, sive populus universus potestatem illam exerceant, necesse est, eam a Deo, qui solus illam hominibus concedere potest, in ipsos immediate derivari. Hoc principium, quod lumine naturali notum est, *cum*, ut observat S. Augustinus lib. 3. Confess. c. 8. *generale pactum sit societatis humanæ obedire Regibus suis*, inculcant Apostoli. Paulus quidem Rom. 13. v. 1. his verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt . . . Dei enim minister est tibi in bonum, non enim sine causa gladium portat, minister enim est Dei in iram ei, qui malum agit; ideoque subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Cui concinens B. Petrus Ep. 1. cap. 2. v. 13. *Subjecti*, inquit, *estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Igitur potestas temporalis sive Regum, sive Magistratuum est a Deo, qui illam ipsis commisit, ut egregie habet Auctor libri Sapientiæ, c. 6. v. 4. & 5. *Quoniam*, inquit Reges alloquens, *data est a Domino potestas vobis, & virtus ab*

Al-

Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis.

II. Quapropter cum ſolus Deus Reges conſtituat, ita ſolus eis regnum adimere poteſt, idque ſæpe in veteri Teſtamento docuit. Regum 1. c. 10. Samuël dixit ad Saül: *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum, qui in circuitu ejus ſunt, & hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem*, v. 24. Et ait Samuël ad omnem populum: *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo*: Ejuſdem libri 24. v. 7. *Dixit David ad viros ſuos: propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam, quia Chriſtus Domini eſt, & confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eis, ut conſurgerent in Saül . . . Non extendam manum in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt, manus autem mea non ſit in te:* Ejuſdem lib. c. 26. *Ne interficias eum; quis enim extendit manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? & dixit David: vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium deſcendens perierit, propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini . . . Dominus autem retribuet unicuique ſecundum juſtitiam ſuam, & fidem; tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini.* Adeo perſuaſum erat Davidi, nunquam licitum eſſe quidquam in Reges a Deo conſtitutos licet tyrannos, & impios tentare. Similiter Jobi 34. v. 3. *Deus qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Et Danielis 4. v. 8. *Dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dat illud.* Ozeæ 13. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Ex iis conſtat, Reges a Deo ſolo conſtitui, aut deponi poſſe, nec licere hominibus adverſus eorum vitam, aut regnum aliquid tentare.

III. Nunc recenſere oportet ſanctorum Patrum ſententias eodem tendentes.

IV. Extat ea de re Canon inter eos, qui dicuntur Apoſtolici, qui licet Apoſtolorum non ſint, ſunt tamen antiquiſſimi, octuageſimus tertius, qui ſic habet: *Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito; & quidem ſi Clericus, deponitor; ſi Laicus, a communione removetor.*

V. Juſtinus Martyr in Apolog. 2. ſic Imperatores alloquitur: *Vectigalia, & collationes eis, qui a vobis ſunt ordinati exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus, quemadmodum ab eo* (Chriſto) *ſumus inſtituti. Proinde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in aliis rebus læti inſervimus, Imperatores, ac Principes hominum eſſe profitentes, & ſimul precantes, ut cum imperiali poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Addit, eos, ſi quid male egerint, non ab hominibus, ſed a Deo plectendos.

VI. Irenæus lib. 5. c. 24. probat poteſtates non eſſe a Diabolo, ſed a Deo, Deique miniſtros eſſe Reges, quibus obedire tenentur omnes: „ Quoniam, *inquit*, „ abſiſtens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam conſanguineum hoſtem „ ſibi putaret . . . Impoſuit illi Deus humanum timorem, ut poteſtati hominum „ ſubjecti, & lege eorum aſtricti aliquid „ aſſequantur juſtitiæ, & moderentur ad „ invicem in manifeſto poſitum gladium „ timentes, & ſecundum hoc miniſtri Dei „ ſunt, qui tributa a nobis exigunt, in „ hoc ipſum ſervientes poteſtates a Deo „ ordinatæ ſunt, cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur, apti his, qui in illo tempore ab „ ipſis regantur.

VII. Theophilus ad Autolycum: „ Quæ „ cum ita ſint, magis honorabo Regem, „ ſive Cæſarem, non tamen eum adorabo verum pro eo orando Deum, qui vere Deus eſt, adorabo, ſciens Cæſarem „ ab ipſo eſſe ordinatum. Dices ergo mihi, quare Regem ſive Cæſarem adorare „ recuſas, quia non ad id inſtitutus eſt, ut „ adoretur, ſed ut legitimo, qui ipſi congruit, honoretur honore ... Regem quidem ſive Cæſarem honora, ſubjectus ei „ exi-

Digitized by Google

„ exiſtens & orans pro eo; hæc enim faciens, Dei voluntatem exequeris: nam „ divinæ legis hic tenor eſt: Honora, fili „ mi, Deum, & Regem, nec cuiquam eorum inobedienſis. *Huic ſimile eſt illud „ Dionyſii Alexandrini apud Euſeb. lib. „ 7. c.* 10. Nos unum Deum omnium „ rerum Fabricatorem, qui Valeriano, & „ Galieno Cæſaribus Auguſtis viris ſanctiſſimis imperium largitus eſt, & colimus, „ & veneramur: huic etiam ſine intermiſſione pro eorum (licet perſecutorum) „ regno, ut ſtabile, & firmum maneat, „ preces adhibemus „. Tantum abeſt, ut Dionyſius crediderit, quemquam Epiſcopum debere, aut poſſe Galienum, aut Valerianum hoſtes Chriſtianorum infenſiſſimos deponere, ut e contra pro iis orandum eſſe doceat, ut ſtabile, & firmum eſſet illorum regnum.

VIII. „ *Tertullianus in Apologetico*: „ Sed etiam quod temperans majeſtatem „ Cæſaris infra Deum, magis illum commendo, cui ſoli ſubjicio; ſubjicio autem, non adæquo: ſciunt Imperatores, „ quis illis dederit imperium; ſentiunt „ enim Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius „ poteſtate ſunt, & a quo ſunt ſecundi, „ poſt quem primi. *Et in libro ad Scapulam*: Colimus ergo Imperatorem ſic, „ quomodo nobis licet, & ipſi expedit, „ ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt a Deo conſecutum, ſolo Deo „ minorem; hoc & ipſe volet: ſic enim „ omnibus major eſt, cum ſolo Deo minor eſt.

IX. Optatus lib. 3. ſuper Imperatorem: *Non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.*

X. Gregorius Nazianzenus oratione altera de ſeipſo: *Orbis*, inquit, *hic univerſus, Imperator, ſub manu veſtra eſt, ſuperna ſolius Dei ſunt, inferna vobis cum Deo communia.*

XI. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſii: *Hoc erat*, inquit, *remedium reorum, quoniam cum haberet (Imperator) ſupra omnes poteſtatem, quaſi parens expoſtulare malebat.*

XII. Oſius Cordubenſis Conſtantium alloquens: *Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Ad eundem etiam ita Liberius apud Theodoretum: *Ne pugnes contra eum, qui tibi hoc imperium dedit.*

XIII. Hilarius Diaconus in Epiſtolam ad Rom. cap. 13. *Sciant*, inquit, *non eſſe ſe liberos, ſed ſub poteſtate degere; Principi enim ſuo, qui vicem Dei agit, ſubjiciuntur.*

XIV. S. Aug. lib. 4. de Civit. Dei c. 33. *Deus ille*, inquit, *fœlicitatis auctor, quia ſolus verus eſt Deus, ipſe dat regna terrena & bonis, & malis.* Et. lib. 5. c. 21. *Non tribuamus*, inquit, *dandi regni, atque imperii poteſtatem, niſi vero Deo.*

XV. Chryſoſtomus homil. 2. ad populum Antiochenum: *Læſus eſt*, inquit, *qui parem non habet ullum ſuper terram. Summitas, & caput omnium ſuper terram hominum, propterea ad ſupernum Regem confugiamus, illum in auxilium invocemus.* Et in cap. 13. Ep. ad Romanos in hæc verba: *Omnis anima, &c. Etiamſi*, inquit, *Apoſtolus ſis, ſive Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quiſquis tandem fueris, neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.*

XVI. Theodoretus in eundem locum: *Sive ſit Sacerdos, ſive Antiſtes, ſive Monachus, iis cedat, quibus ſunt mandati Magiſtratus.*

XVII. Fulgentius in lib. de verit. prædeſt. & gratiæ, lib. 1. c. 3. *Quantum pertinet*, inquit, *ad hujus temporis vitam in Eccleſia, nemo Pontifice potior, & in ſæculo Chriſtiano Imperatore nemo celſior invenitur.* Ea verba laudantur in Concilio Pariſienſi ſub Ludovico, & Lothario, anno 829. & in Aquiſgranenſi anno 836.

XVIII. Agapetus in Paræneticō ad Juſtinianum num. 1. *Homine quolibet ſublimiorem habes dignitatem, Imperator.* Et num. 21. *Eſſentia corporis æqualis eſt cuilibet homini, Imperator, poteſtate autem dignitatis cunctorum præſidi Deo, non enim ſe habet in terris quamquam altiorem.*

XIX. Pelagius I.: *Cum igitur etiam de puſillis iſta forma præceptum ſit, quanto nobis ſtudio, ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ Scripturæ præcipiunt?*

Digitized by Google

XX. S. Gregorius Magnus lib. 2. Ep. 61. *Ad hæc poteſtas ſupra omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data eſt.* Et in fine Epiſtolæ: *Ego quidem juſſioni ſubjectus, &c. Utrobique ergo, quod debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minime tacui.*

XXI. Theophilactus in c. 13. Ep. ad Rom. univerſos complectitur: *Sive Sacerdos ſit, ſive Monachus, ſive Apoſtolus, ut ſe Principibus ſubdant.*

XXII. Oecumenius in eundem locum: „ Inſtituit omnem animam, etiamſi Sacerdos „ ſit, ſive Monachus, ſive Apoſtolus, ſubjici Principibus; hæc enim ſubjectio non „ deſtruit pietatem. Ad hoc vero hortatur „ Apoſtolus, oſtendens, quod Evangelium „ neque apoſtaſiam, neque inobedientiam „ doceat, ſed potius modeſtiam, & obedientiam „.

XXIII. Bernardus Ep. 42. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem: *Intelligitis, quæ dico, cui honorem, honorem; omnis anima*, inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſi omnis, & veſtra, quis vos excepit ab univerſitate? ſi quis tentat excipere, conatur decipere.*

XXIV. Hugo de ſancto Victore de ſacramentis fidei lib. 2. p. 3. c. 4. *Terrena poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis poteſtas habet ſummum Pontificem; ad poteſtatem Regis pertinent, quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia; ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent, quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa univerſa.*

XXV. Alexander Alenſis parte 3. q. 40. memb. 5. Hugonis verba refert, & probat, ac deinde ex verbis Petri ſic concludit: „ Ad illud, quod objicitur de Canonica, quod Rex præcellit, verum eſt in „ ordine ſuo, ſcilicet ad corporalem vindictam exercendam, qua vindicta ſi delinquat, non habet, qui eum puniat, niſi Deum „.

XXVI. Innocentius III. cap. *per venerabilem, qui filii ſunt legitimi*: *Rex Franciæ*, inquit, *ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcit.*

XXVII. Innocentius IV. cap. *Noverit*, de ſentent. excommunicationis: *in temporali autem generaliter, & generalis Eccleſiæ ſolus Imperator, qui univerſis, & Clericis, & Laicis in temporalibus præeſſe debet, privilegium concedere poteſt.*

XXVIII. Ex iis, & aliis ſimilibus invicte, ni fallor, demonſtratur, poteſtatem civilem, & temporalem Regum non dependere a poteſtate Eccleſiaſtica: illa enim poteſtas ab alia non dependet, quæ a ſolo Deo emanat, quæque non aliam ſupra ſe agnoſcit, præter divinam; ſed, ut ex teſtimoniis allatis liquet, poteſtas Regum a Deo emanat, nec in ſuo genere ullam aliam poteſtatem, præter divinam, ſuperiorem agnoſcit; ergo poteſtas civilis natura ſua non dependet ab Eccleſiaſtica, ac proinde Romani Pontifices neque directam, neque indirectam in temporalia Regum auctoritatem habent.

XXIX. Dico, nec directam, nec indirectam ad ſenſum adverſariorum; ex illis namque quidam aiunt, Pontificem Romanum directam habere in temporalia auctoritatem; modeſtiores vero eam vocant indirectam: ſed utraque ſententia videtur in idem recidere, quippe utraque ſupponit; Reges regnis ſpoliari poſſe auctoritate Pontificia. Totum diſcrimen in eo eſt, quod illi dicant per auctoritatem Pontificiam immediate id fieri: iſti vero contendant, ex ſpiritualis poteſtatis uſu effectum hunc ſequi; ita ut ex excommunicatione, quæ pœna ſpiritualis eſt, ſequatur neceſſario privatio bonorum temporalium. Hinc videre eſt, omnia noſtra argumenta, tam indirectam hanc poteſtatem, quam directam impugnare; quippe cum oſtendamus, civilem poteſtatem ab Eccleſiaſtica minime pendere; inde ſequitur ex ſpirituali pœna temporalem minime ſequi. Deinde, ut oſtendimus, ubi de excommunicatione, abſurdum eſt dicere, hominem per eam privari bonis, aut officiis temporalibus ſibi jure naturæ debitis. Itaque poteſt equidem Eccleſia Regem tyrannice imperantem, aut veræ religionis hoſtem, monere, & adhortari, ut rectius imperet, vel ut religionem tueatur, & ad ſummum aliquibus forte in caſibus ipſum communione Eccleſiæ privare. At inde minime ſequitur, eum regno, aut bonis temporalibus privatum eſſe, cum Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ potestas nullos alios, sive proximos, sive remotos effectus habeat, præter spirituales: sed hoc fusius ostendetur in sequentibus.

§. II.

Reges peccantes a nemine, præterquam a Deo temporali pœna plecti posse.

NUlla major Regibus pœna potest inferri, quam si regnis suis spolientur, adeo ut plerique malint vitam potius, quam regnum amittere. Quare si Reges peccantes possent ab Ecclesia directe, vel indirecte deponi, necesse foret pro falsis habere illa Patrum testimonia, quæ peccata Regum, & Imperatorum solius Dei judicio, examini, & correctioni, quoad materialem, sive temporalem pœnam reservata esse docent, & judicio humano subjacere negant; enimvero hoc sensu plerique sanctorum Patrum interpretantur hæc Davidis verba Psal. 50. *Tibi soli peccavi.*

II. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. *Deinde*, inquit, *tacite significans peccatum, quod legi non subjicitur, scite modestiam suam ostendens, subjungit: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.*

III. Auctor Commentarii in Psalmos, qui sub Arnobii nomine vulgatus est, in Psal. 50. *Tibi soli peccavi, omnisque sub judicio venit, cum deliquerit, Deo peccat, & legibus mundi: hic autem Rex sub nullo alio, nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem metuens, Deo soli peccavit.*

IV. S. Hieronymus Ep. 46. ad Ruffinum: *Tibi soli peccavi, Rex enim eram, & alium non timebam.* Idem habet Epistola 22. ad Eustochium c. 5.

V. S. Ambrosius in Apolog. David. c. 4. „ Qui tenentur legibus, audent suum „ negare peccatum, dedignantur rogare in„ dulgentiam, quam petebat, qui nullis de„ dignabatur legibus humanis. *Et c.* 10. „ Tibi soli peccavi, Rex utique erat, nul„ lis ipse legibus tenebatur, quia liberi „ sunt Reges a vinculis delictorum, ne„ que enim ullis legibus ad pœnam vo„ cantur tuti imperii potestate. Homini „ ergo non peccavit, cui non tenebatur „ obnoxius. *Idem lib.* 2. *Ep.* 7. David Rex „ ait, Tibi soli peccavi: Regali enim „ subnixus fastigio quasi legum Dominus, „ legibus reus non erat, soli Deo obno„ xius tenebatur, qui Dominus est pote„ statum.

VI. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joann. c. 56. *Sic enim in rebus etiam humanis fieri conspicimus; quippe nemo leges Regum impune reprobat, nisi Reges ipsi, in quibus prævaricationis crimen locum non habet: prudenter enim dictum est, impium esse, qui Regi dixerit: inique agis.* Cassiodorus in Psalm. 50. *Tibi soli peccavi, quia Rex omnibus superior est, & a Deo solo puniendus.*

VII. Agapetus in Paræneticо ad Justi. num. 27. *Tibi ipsi custodiendi leges impone necessitatem, cum non habeas in terris, qui te possit cogere: sic enim tu leges præ te feres cultum.*

VIII. Gregorius Turonensis hist. lib. 3. c. 17. *Si quis e vobis, o Rex, justitiæ limites transcendere voluerit, a te corripi potest; si vero tu recesseris, quis te corripiet? loquimur enim tibi; si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronuntiavit esse justitiam?*

IX. Isidorus Hispalensis: *Difficile est Principem regredi ad melius, si vitiis fuerit implicatus; populi enim peccantes judicem metuunt, & a malo suo legibus coercentur: Reges autem, nisi soli Dei timore, metuque gehennæ coerceantur, libere in præceps ruunt, & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur.*

X. Hincmarus Rhemensis . . . . . *Dicunt sapientes, quia iste Princeps Rex Gallorum nullorum legibus, vel judiciis subjacet, nisi solius Dei, qui eum in regno, quod suus Pater illi dimisit, constituit; quoniam solius Dei debet principatu subjici, a quo solo potuit in principatu constitui.*

XI. Yvo Carnotensis Ep. 171. „ Et „ quia dispensationes rerum temporalium „ Regibus attributæ sunt, & basilei, id „ est, fundamentum populi, & caput exi„ stunt, si aliquando potestate sibi conces„ sa abutuntur, non sunt a nobis graviter „ ex-

„ exaſperandi; ſed ubi Sacerdotum moni-
„ tionibus non acquieverint, divino judicio
„ ſunt reſervandi; ubi tanto diſtrictius ſunt
„ puniendi, quanto minus fuerint divinis
„ admonitionibus obnoxii.

XII. Euthymius in Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccavi: cum Rex ſum, & te ſolum commiſſorum a me ſcelerum judicem habeam, tibi ſoli peccaſſe videor: hoc eſt, tibi ſoli judici ſubjicior, cæterorum enim omnium ego Dominus ſum, & ob potentiam meam licere videntur, quæcumque libuerint.*

XIII. Innocentius III. in 4. Pſalm. Pœnitentialem: „ Tibi ſoli, &c. Si dice-
„ ret manifeſtius, peccatum meum tibi ſo-
„ li relinquitur puniendum, eo quod a-
„ lium non habeam ſuperiorem, qui me
„ poſſit punire, cum ipſe ſim Rex. *Et*
„ *infra:* Aliud eſt in aliquem peccare,
„ & aliud alicui; in aliquem peccat, qui
„ committit in illum offenſam; alicui pec-
„ cat, qui ejus ſubjacet ultioni; Rex uti-
„ que ſoli Deo, ceteri vero & Deo
„ peccant, & Regi: ſubdit, hoc tempore
„ legis naturæ fuiſſe, non Evangelii: ſed
„ non video, qua de cauſa diſcrimen iſtud
„ ſtatuat „.

XIV. Haymo in Pſalm. 50. „ Tibi
„ ſoli peccavi, quia cum Rex ſim, nul-
„ lus habet poteſtatem punire peccatum
„ meum, niſi tu ſolus.

XV. Alexander Alenſis in eundem Pſalmum: „ Tibi ſoli, &c. quia non eſt ſu-
„ per me alius, quam tu, qui poſſit punire;
„ ego enim ſum Rex, & non eſt ali-
„ quis, præter te, ſuper me „.

XVI. Lyranus in eundem Pſalmum: „ Tibi ſoli peccavi tanquam judici, &
„ punire potenti; peccaverat enim contra
„ Uriam, & alios occaſione hujus interfe-
„ ctos: tamen quia Rex erat, non ha-
„ bebat judicem ſuperiorem, qui poſſet eum
„ punire, niſi Deum „.

XVII. S. Thomas 1. 2. q. 96. a 5. ad 3. „ Ad tertium dico, quod Princeps
„ dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad
„ vim coactivam legis, nullus enim pro-
„ prie cogitur a ſeipſo, lex autem non
„ habet vim coactivam, niſi ex Principis
„ poteſtate: ſic igitur Princeps dicitur eſ-
„ ſe ſolutus a lege, quia nullus in ipſum
„ poteſt judicium condemnationis ferre, ſi
„ contra legem agat: Unde ſuper illud
„ Pſalmi 50. Tibi ſoli peccavi, gloſſa di-
„ cit, quod Rex non habet hominem, qui
„ facta ſua dijudicet, ſed quantum ad
„ vim directivam legis Princeps ſubditur
„ legi propria voluntate „. Mitto innume-ros alios recentiores, qui locum illum Pſalmi 50. eodem modo interpretantur.

XVIII. Itaque ex hoc ſcripturæ loco juxta unanimem ſanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſenſum explicato, evidenter deducitur, Reges a ſolo Deo judicari, corrigi, puniri poſſe pœna aliqua temporali; quod quidem verum eſſe non poſſet, ſi Romani Pontifices eorum deponendorum poteſtatem haberent: ergo ſcriptura, & traditio huic adverſatur opinioni.

XIX. Mitto, quod nonnulli dicunt, diſcrimen eſſe inter veteris, & novi Teſtamenti ſacerdotium, & illud quidem nihil auctoritatis temporalis in Reges habuiſſe: at vero non idem dicendum de iſto. Quippe ſancti Patres ex hoc loco non tantum concludunt, Reges Iſrael haud fuiſſe ſubditos Sacerdotibus Judaicis, ſed univerſim Reges nulli, niſi Deo ſubjectos eſſe, quod & ipſum ſonat ſcripturæ locus; dum enim dicit David, ſe ſoli Deo peccare, ſatis indicat regalem poteſtatem in cauſa eſſe, ut a ſolo Deo pendeat, non autem Sacerdotii Judaici imperfectionem: adde, quod nulla ratio ſolida reddi poteſt, propter quam Reges Judaici non potuerint a Sacerdotibus deponi, poſſint vero Reges Chriſtiani a ſummo Pontifice; nam quod nonnulli nugantur, rationem diſcriminis inter vetus, ac novum Teſtamentum hanc eſſe, quod in antiquo fœdere regnum ſacerdotale eſſet, in novo vero ſacerdotium regale, puerile plane commentum eſt, quod refutatione non indiget: nec enim verum eſt, aut Reges veteris legis fuiſſe Sacerdotes, aut Sacerdotes novæ legis eſſe Reges. Nec illuc pertinet B. Petri dictum: *Vos autem eſtis regale ſacerdotium, gens ſancta, &c.* quod de omnibus omnino Chriſtianis dictum eſt, qui Sacerdotes, & Reges metaphorice ab ipſo dicuntur.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

In quo oſtenditur, Eccleſiam non poſſe vi, & armis reſiſtere Regibus, etiam poteſtate ſua abutentibus, ſed teneri eos patienter ferre.

TAntum abeſt, ut Eccleſia poſſit peccantes Reges regnis ſuis ſpoliare, ut e contra teneatur eos patienter ferre, nec unquam illi liceat quovis obtentu, vi, & armis illis obſiſtere, etiamſi hæretici ſint, aut impii, vel quemquam ad reſiſtendum, ſive directe, ſive indirecte ſollicitare. Ad id vero probandum adducere oportet tum dicta, tum facta eorum, qui Regibus impiis, & hæreticis aut parendum eſſe docuerunt, aut revera paruerunt, quamvis facile potuiſſent illorum jugum excutere, & alios in eorum locum Reges conſtituere.

II. Primum autem in antiquo fœdere plurima extant exempla obſequii a viris ſanctis, & piis impiis Regibus exhibiti. Sic Iſraelitæ in Ægypto Pharaoni licet impio, & tyranno ſemper paruerunt, nec ipſi adverſus eum rebellarunt, a Deo ſolo opem expectantes, quam licet præſentem eſſe ſatis ſentirent, non egreſſi ſunt tamen ex Ægypto, niſi permittente Pharaone. Poſtquam vero proprios Reges, aut Judices habuerunt, licet ex iis quamplurimi fuerint impii, & religionis patriæ deſertores, ut Achaz, & Manaſſes Reges Juda, qui templum Hieroſolymitanum idolis polluerunt: nunquam tamen quidquam a Sacerdotibus ad eos regno exturbandos tentatum eſſe leges; quin etiam cum in ſervitutem ſunt tranſacti, per Jeremiam juſſit Deus, ut eſſent ſubditi Nabuchodonoſori, Jeremiæ 27. utque pacem civitatis, ad quam volente Deo deducendi erant, procurarent; ideoque Regibus ſucceſſoribus Nabuchodonoſoris paruerunt, & non ſine eorum mandato Hieroſolymam redierunt. Cumque Aſſuerus edictum tuliſſet, ut Judæi omnes necarentur, Mardochæus, & alii Judæi ad preces, & jejunium tantum confugerunt. Quod vero apud Samuelem eſt de jure Regis omnino recte inſpicienti apparet, ut obſervat Grotius, nec de jure vero intelligendum, id eſt de facultate honeſte, & juſte aliquid agendi; longe enim alia ratio præſcribitur in ea parte legis, quæ eſt de officio Regis, neque nudum factum judicari; nihil enim eſſet in eo eximium: ſed factum, quod effectum aliquem juris habeat, id eſt, non reſiſtendi obligationem, ut ſenſus ſit, Regi iſta in vos tam crudelia molienti reſiſtere non poteritis: ideo additur, populum iſtis injuriis preſſum Dei opem imploraturum, quia ſcilicet humana remedia nulla extarent.

III. In novo vero fœdere, dum Chriſtus reddi jubet, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, *Matth.* 22. *v.* 21. intelligi ſatis voluit, obedientiam deberi Regibus cum patientia conjunctam. Huc reſpicit Paulus Rom. 13. ſcribens: *Reddite omnibus debitum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem.* Ibidem monet eos, qui reſiſtunt poteſtati, reſiſtere divinæ ordinationi, jubetque iis obediri, non tantum propter iram, ſed & propter conſcientiam. Idem Ep. ad Titum 3. v. 1. commendat obſequium Principibus debitum: admone, inquit, illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe. Præcipit eadem Petrus Ep. 1. c. 2. *Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis, quia ſic eſt voluntas Dei.* Porro ſubjectio illa, quam Chriſtus, & Apoſtoli docent Imperatoribus, & Regibus (qui tum impii erant, & idolorum cultores) deberi, in alio conſiſtere nequit, quam in non obſiſtendi neceſſitate. Hinc idem Apoſtolus Petrus dum docet, obediendum eſſe dominis dyſcolis, nihil aliud ſibi vult, quam eſſe patienter ferendas eorum injurias: *Regem*, inquit, *honorate, ſervi ſubditi eſtote in omni timore dominis non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis: Hæc enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens injuſte, quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.*

IV. Quod ſi ſervos reſiſtere non oportet dominis etiam iniquis, & moroſis, multo magis non licet obſiſtere Regibus, & Principi-

Digitized by Google

cipibus licet injuſtis, & impiis; ſed patienter iſtorum, non ſecus ac illorum ferendæ ſunt injuriæ propter Reipublicæ tranquillitatem; nam ſi Regi reſiſtere liceret, quotidie in Republica turbæ ſeditionis orirentur, ut obſervat Dio Caſſius hanc in rem a Grotio relatus: *Ego vero*, inquit, *neque decorum exiſtimo, ut Rector civitatis ſubditis cedat, neque ſpem eſſe ad ſalutem, ſi quod parere poſitum eſt, velit imperare: cogitate enim, quis futurus ſit ordo in familia, ſi a junioribus ſenes ſpernantur. Unde ſanitas ægrotantibus, ſi non per omnia medicis pareant? quid tuti navigantibus, ſi plebs nautica gubernantium juſſa contemnat? natura quippe id neceſſarium, & hominibus ſalutare, ut alii quidem imperent, alii vero pareant.* Ea de cauſa Livius lib. 27. ait: *ut parentum ſævitiam, ſic patriæ patiendo, ac ferendo leniendam eſſe.* Et Tacitus hiſt. lib. 6. *bonos Imperatores voto expetendos, qualeſcumque tolerandos.* Ab hac porro lege non diſcedit conſuetudo veterum Chriſtianorum; nam quanquam Imperatores tunc peſſimi forent, & religionis Chriſtianæ infenſiſſimi hoſtes, nunquam tamen Chriſtiani, qui ob multitudinem non parum potuiſſent, adverſus eos arma moverunt, aut iis, qui ipſis ſeſe opponebant, adjunxerunt: Circa *majeſtatem Imperatoris*, inquit Tertullianus ad Scapulam, *infamamur, tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani.* Et Apologetico: *Unde*, inquit, *Caſſii, & Nigrii, & Albini, qui inter duas lauros obſident Cæſarem; unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem; unde qui faucibus ejus exprimendis palæſtricam exercent; unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigeriis, & Partheniis audaciores? de Romanis, ni fallor, id eſt, non Chriſtianis.*

V. At, inquiunt, vires tum temporis Chriſtianis, non animi defuerunt, imo eodem Tertulliano teſte, *vires iis erant tantæ, ut una nox pauculis faculis largitatem ultionis potuiſſet operari, ſi malum malo disjungi per nos licuiſſet; ſed abſit, ut aut igne humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati in quo probatur; ſi enim hoſtes, & apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum: plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi vel quanticumque, unius tamen loci, & ſuorum finium gentium gentes, quam totius orbis externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, Decurias, Palatium, Senatum, forum, ſola vobis relinquimus templa: cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere?*

VI. Ergo non quia vires ipſis deerant, primi illi Chriſtiani Reges impios, & perſecutores tolerarunt; ſed quia iſtud ſuæ religionis eſſe arbitrabantur; ſequebantur ſcilicet illi exemplum Chriſti, qui cum poſſet legiones Angelorum accerſere, ut defenderetur, maluerat crucem ſubire, ut nobis eſſet exemplum patientiæ: ſciebant eum nihil aliud Chriſtianis in aliquo loco vexatis conceſſiſſe, quam ut fugam capeſſerent. In animo habebant monitum Petri adhortantis Chriſtianos ad patientiam exemplo Chriſti, qui cum peccato vacaret, & doli omnis immunis eſſet, convitia convitiis non repoſuit, neque inter patiendum minatus eſt, *ſed tradidit ſe judicanti injuſte*, aut ut in Græco habetur, *juſte*. Hac præcipue patientia Chriſtianam Religionem invaluiſſe legimus: *Inde eſt*, inquit Cyprianus in lib. ad Demetr. *quod nemo noſtrum quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius, & copioſus ſit noſter populus, ulciſcitur: patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas.* Et Lactantius: *Confidimus ejus majeſtati, qui tam contemptum ſui poſſit ulciſci, quam ſervorum ſuorum labores, & injurias: & ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, ſed remittimus ultionem:* quibus conſentiens Auguſt. de Civitate Dei lib. 22. hæc ait: *neque tunc ſub Imperatoribus Ethnicis civitas Chriſti, quamvis peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores pro ſalute temporali pugnavit, ſed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur,*

Digitized by Google

tur, cædebantur, includebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro salute contemnere. Hinc celebre illud Proverbium: *sanguis Martyrum semen Christianorum.*

VII. Quod si quis dicat, Ecclesiam equidem nihil potestatis habere in Reges Ethnicos, qui nunquam fuerunt baptizati; at rem diverso modo se habere in eos, qui vel Christiani sunt, vel baptizati a fide defecerunt: attendere hunc jubemus ad ea, quæ Christiani tolerarunt, cum Principes baptizati a fide Catholica defecere. Dicat an quisquam in Julianum Apostatam insurrexerit? Num Romani Pontifices quidquam adversus Constantium, Valentem, & alios Arianos Imperatores moliti fuerint? Num Reges Gothos in Italia regnantes, & sæpe sibi insidiantes, aut bona Ecclesiæ invadentes, deponere tentaverint? Uno verbo, num quisquam ante Gregorium VII. aliquam sibi in temporalia Regum auctoritatem asseruerit, aut in quemquam sententiam privationis regni tulerit? hoc si ostendant adversarii, ipsi vicerint; si vero ostendere minime possint, fateantur ergo necesse est, Romanos Pontifices hujusmodi potestatem non habere; nec enim dubium est, quin si illam habuissent, ea fuissent usi, cum multoties ejus executioni mandandæ sese obtulerit occasio.

VIII. Verum enimvero Episcopi non solum ista in Reges potestate usi non sunt, verum etiam declararunt, se nihil ejusmodi posse tentare. Sic Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum Apostatam docet, nullum aliud remedium adversus ejus sævitiam in Ecclesia esse, præter preces, lacrymas, & patientiam: „ Ceterum, *inquit*, „ Dei clementia inhibitus, atque repressus „ est, Christianorumque lacrymis, quas multas multi profuderunt, quod solum adversus persecutorem remedium est. Ostendant tandem, quæ ratio, atque æquitas sit, nos injuriis etiam, & cruciatibus „ affectos tolerare, ipsos autem ne parcentibus quidem parcere: si enim rem expendamus, cum quibusdam temporibus „ ipsi potentia floruerimus . . . quid tandem simile a Christianis vestri perpessi „ sunt, qualia sæpenumero a vobis Christiani pertulerunt? Quam libertatem „ vobis eripuimus? In quos plebem furentem concitavimus? Quibus Præfectos immisimus, plura etiam ipsis, quam „ imperatum esset exequentes? Quibus periculum vitæ creavimus, imo quosnam „ a Magistratibus, dignitatibusque summovimus, aliisque honoribus, qui præstantissimis quibusque viris debentur? & ut „ compendio dicam, eccui aliquid simile „ intulimus, qualia multa a vobis partim „ admissa, partim denuntiata sunt„? Ita Gregorius Nazianzenus declarat, nec licere Christianis, cum persecutionem patiuntur, adversus eos, a quibus vexantur, insurgere, nec, cum potentiores sunt, eos vexare, a quibus aliquando vexati sunt.

IX. Adversus Christianum Imperatorem injusta tentantem, & Ecclesiæ jura invadentem, nulla præter patientiam arma adhiberi oportere, nec ullo pacto resistendum esse, sæpius docet Ambrosius: *Coactus*, inquit oratione in Auxentium, *repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, adversus milites Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt, aliter nec debeo, nec possum resistere.* Idem lib. 2. Ep. 4. ad Marcellinam sororem, cum Valentinianus junior Ecclesiam majorem Arianis tradi jussisset, ait, se quamvis potuisset, non obstitisse Imperatori, & hoc illicitum judicasse: „ Exigebatur, *inquit*, „ a me, ut compescerem populum, referebam in meo jure esse, ut non excitarem, „ in Dei manu, ut mitigaret; postremo si „ me incentorem putant, jam in me vindicari oportere, vel adducere in quas vellent terrarum solitudines . . . . Rogamus, Auguste, non pugnamus, non timemus, sed rogamus; hoc Christianos „ decet, ut tranquillitas pacis optetur, & „ fidei veritatisque constantia, nec mortis „ revocetur periculo . . . . ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem „ Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium jus „ commissum est, non sacrorum; interroganti deinde Ambrosium Notario; si tyrannus est, scire volo, ut sciam, quemadmo-

„ mo-

Digitized by Google

„ modum adverſus te præparem, ut re-
„ ſpondes: Retuli, inquit, dicens me ni-
„ hil in præjudicium feciſſe Eccleſiæ, eo
„ tempore, quo audieram occupatam eſſe
„ militibus Baſilicam, gemitum tantum-
„ modo liberiorem habuiſſe, multiſque ad-
„ hortantibus, ut eo pergerem, dixiſſe: tra-
„ dere Baſilicam non poſſum, ſed repugna-
„ re non debeo .... Si hæc tyrannis
„ videtur, habeo arma, ſed in Chriſti no-
„ mine habeo offerendi mei corporis pote-
„ ſtatem: quid moraretur ferire, ſi tyran-
„ num putaret? Veteri jure a Sacerdoti-
„ bus donata imperia, non uſurpata, &
„ vulgo dici quod Imperatores Sacerdotium
„ magis optarint, quam imperium: Chri-
„ ſtus fugit, ne Rex fieret, &c. Ex his con-
ſtat, Ambroſium exiſtimaſſe Imperatoribus etiam injuſta adverſus Eccleſiam tentantibus non eſſe vi, & armis reſiſtendum, nec eos propterea de throno dejiciendos, ſed patienter ferendos illorum conatus, licet non iis aſſentiendum ſit.

X. Sanctus Auguſtinus in expoſitione propoſitionum in Ep. ad Rom. obſervat, nullum Chriſtianorum per religionem ab obedientia Regibus debita immunem fieri: „ Rectiſſime, *inquit*, admonet, ne quis ex
„ eo quod a Domino ſuo in libertatem
„ vocatus eſt, factus Chriſtianus extolla-
„ tur in ſuperbiam, & non arbitretur in
„ hujus vitæ itinere ſervandum eſſe ordi-
„ nem ſuum, ut poteſtatibus ſublimoribus,
„ quibus pro tempore rerum temporalium
„ gubernatio tradita eſt, exiſtimes non
„ eſſe ſubdendum; cum enim conſtemus
„ ex animo, & corpore, quandiu in hac
„ vita temporali ſumus, etiam rebus tem-
„ poralibus ad ſubſidium degendæ hujus
„ vitæ utamur: oportet nos ex ea parte,
„ quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos
„ eſſe poteſtatibus, id eſt, hominibus,
„ res humanas cum aliquo honore admi-
„ niſtrantibus; ex illa vero parte, qua cre-
„ dimus Deo, & in regnum ejus voca-
„ mur, non nos oportet eſſe ſubditos cui-
„ quam homini idipſum in nobis evertere
„ cupienti, quod Deus ad vitam æternam
„ donare dignatus eſt. Si quis ergo putat,
„ quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe
„ vectigal reddendum, aut tributum, aut
„ non eſſe exibendum honorem debitum
„ iis, qui hæc curant, poteſtatibus, in magno
„ errore verſatur. Item ſi quis putat, ſe
„ eſſe ſubdendum, ut etiam in ſua fide
„ habere poteſtatem arbitretur, eum, qui
„ temporalibus adminiſtrandis aliqua ſubli-
„ mitate præcellit, in majorem errorem
„ labitur; ſed modus iſte ſervandus eſt, quem
„ Dominus ipſe præſcribit, ut reddamus
„ Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ
„ Dei ſunt; quanquam enim ad illud re-
„ gnum vocemur, ubi nulla erit poteſtas
„ hujuſmodi, in hoc tamen itinere dum
„ agimus donec perveniamus ad illud ſæ-
„ culum, ubi ſit evacuatio omnis principa-
„ tus, & poteſtatis, conditionem noſtram
„ pro ipſo rerum humanarum ordine tole-
„ remus, nihil ſimulate facientes, & in
„ eo ipſo non tam hominibus, quam Deo,
„ qui hæc jubet, obtemperantes „. Ad id vero quod objiciunt, a poteſtatibus iſtis Chriſtianos eſſe vexatos, ac proinde illi obedientiam non deberi, ſic reſpondet: „ Poteſt, *inquit*, movere aliquos cum
„ cogitaverint: ab iſtis poteſtatibus ſancti
„ pœnis affecti, & necati ſunt. Quod ait,
„ ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, ad hoc
„ valet, ut intelligamus, quia neceſſe eſt
„ propter hanc vitam ſubditos nos eſſe
„ oportere, non reſiſtentes, ſi quid illi au-
„ ferre voluerint, in quo ſibi poteſtas data
„ eſt de temporalibus rebus, quæ quoniam
„ tranſeunt, ideo, & iſta ſubjectio non
„ in bonis quaſi permaſuris, ſed in neceſ-
„ ſariis huic tempori conſtituenda eſt. Ta-
„ men quoniam dixit, neceſſitate ſubditi
„ eſtote, ne quis non integro animo, &
„ pura dilectione ſubditus fuerit hujuſmodi
„ poteſtatibus, addidit dicens: non ſolum
„ propter iram, ſed & propter conſcien-
„ tiam, id eſt, non ſolum ad iram eva-
„ dendam, quod poteſt etiam ſimulate
„ fieri; ſed ut in tua conſcientia certus
„ ſis illius dilectione te facere, cui ſubdi-
„ tus fueris juſſu Domini tui „. Ita Auguſtinus ſolide, & luculenter aſſertionem noſtram ex ſcripturis aſtruit, & omnia adverſariorum effugia præcludit. Idem inculcat in Pſalm. 124. his verbis: „ Ille
„ forte impius & iniquus, tu autem fide-
„ lis, & juſtus: indignum eſt, ut juſtus, &
„ fide-

Digitized by Google

„ fidelis ſerviat iniquo, & infideli: non „ hoc dixit, ſed magis ſerviat. Quod autem dixi de domino, & ſervo, hoc intelligite de poteſtatibus, Regibus, & de „ omnibus culminibus hujus ſæculi; aliquando enim poteſtates bonæ ſunt, & „ timent Deum, aliquando non timent. „ Julianus extitit infidelis Imperator, non „ ne extitit Apoſtata iniquus, & idolatra? „ Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli, ubi veniebatur ad cauſam „ Chriſti, non agnoſcebant, niſi eum, qui „ in cælo erat. Quando volebat, ut idola „ colerent, ut thurificarent, præponebant „ illi Deum: quando autem dicebat: producite aciem, ite contra illam gentem, „ ſtatim obtemperabant, diſtinguenbant „ Dominum æternum a Domino temporali, tamen ſubditi erant propter Dominum æternum Domino temporali.

XI. Concilium Toletanum 4. c. 75. definit, nunquam, & nulla de cauſa fideles a ſacramento Regibus præſtito abſolvi poſſe: *Poſt inſtituta quædam Eccleſiaſtici ordinis, vel decreta*, inquiunt hujus Concilii anno 633. habiti Patres, *quæ ad quorumdam pertinent diſciplinam, poſtrema nobis cunctis Sacerdotibus ſententia eſt pro robore noſtrorum Regnum, & ſtabilitate gentes Gothorum Pontificale ultimum ſub Deo judice ferre Decretum*. Et poſt multa de obligatione ſervandi ſacramenti Regibus præſtiti, ſententia his concipitur verbis: *Quicunque a nobis vel totius Hiſpaniæ populis qualibet conjuratione, vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ gentis Gothorum ſtatu, vel conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut Regem nece attrectarit, aut poteſtate regni exuerit, & præſumptione tyrannica regni faſtigium uſurparit, anathema ſit, &c.*

XII. Poſt hanc ſententiam tertio pronuntiatam, & ab omnibus probatam, additur admonitio ad Reges de modo, quo populum regere debeant; deinde in eos, qui tyrannice, & crudeliter ſe geſſerint, nulla ſtatuitur pœna; ſed imprecatio fit, ut a Chriſto inferatur: *Anathematis*, inquiunt, *ſententia a Chriſto Domino condemnetur, & habeat a Deo ſeparationem, atque judicium, propter quod præſumpſerit prava agere, & in perniciem regnum convertere*. Ergo non exiſtimabant illi Epiſcopi, mortali cuiquam licere Reges deponere, & eorum ſubditos & fide, & obedientia ullo pacto eximere.

XIII. Unum addam Coronidis vice Gregorii Magni teſtimonium diſerte aſſerentis, ſibi nullatenus licuiſſe in mortem cujuſquam conſentire, lib. 7. Ep. 1. Indict. 1. *De qua re*, inquit, *unum eſt, quod breviter ſuggeras ſereniſſimis Dominis veſtris, quod ſi ego ſervus ſervorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa; ſed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido*. Quantum ab illa Gregorii Magni ſententia fuerunt alieni Pontifices, qui magnorum bellorum, innumerarumque cædium auctores fuerunt, cum, ſententia depoſitionis in Reges prolata, ipſorum regna, vel aliis, vel primo occupanti tradiderunt, cunctoſque inſuper ad bella gerenda commoverunt; quod quantum a religionis Chriſtianæ præceptis inſtituto abhorreat, ex dictis hoc paragrapho ſatis, & abunde liquet.

§. IV.

Principibus in rebus civilibus, & temporalibus omnes eſſe ſubjectos.

NEminem a ſummis Pontificibus, a fide, & obedientia, quæ in rebus temporalibus Principibus debetur, eximi poſſe ex eo manifeſte colligitur, quod omnes omnino Regibus in iſtis ſubjecti eſſe neceſſario debeant. Quippe omnes Paulus alloquitur, cum ait Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Hanc porro obedientiam Regibus ita debitam eſſe, ut nullus ab ea eximatur, aut religionis cauſa eximi poſſit, ex ipſius Chriſti verbis colligere eſt: cum enim hujus temporibus quidam apud Judæos emerſiſſent, qui docerent, illicitum eſſe tributum pendere Cæſari utpote tyranno, & religionis hoſti, interrogatus ea de re, quid ſentiret Chriſtus, cum petiiſſet numiſma cenſus, interrogaſſetque, cujus eſſet inſcriptio, & effigies, & reſponſum ſuiſſet, eam eſſe Cæ-

saris, adjecit: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &, quæ sunt Dei Deo.* Matth. 22. v. 2. Quibus verbis probatur, non modo religioni non officere, si tributum reddatur Cæsari, sed partem religionis esse, ut, quæ sunt Cæsaris, reddantur Cæsari: quo certe respicit Paulus Rom. 13. scribens: *Reddite omnibus debitum; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.* Ipse etiam Christus tributum pro se, & pro suis solvi voluit, Matth. 17. Itaque ex Evangelio constat, omnes omnino Christianos teneri obedientiam in temporalibus præstare Regibus, & Principibus; ailatis enim in locis potestatis nomine sola intelligitur potestas civilis, non Ecclesiastica: ejus enim potestatis, quæ gladio utitur ibi fit mentio, quæ vindex est Dei in iram, quæ timorem incutit, cui vectigal debetur, & tributum: sed ista potestas non est Ecclesiastica, sed civilis, nec aliter sancti Patres potestatem, de qua hic fit mentio, intellexerunt; Iræneus lib. 1. c. 24. Tertull. in Apologetico; Origenes lib. 9. in Epist. ad Romanos homil. 23. August. Homil. 31. in Psalmum 118. & lib. de Catechizandis rudibus c. 21. contra Ep. Parm. lib. 1. c. 7. Hilar. Diaconus in cap. 13. Ep. ad Rom. Basil. Monast. instit. c. 22. ubi etiam potestates spirituales excludit: *potestatibus*, inquit, *mundi non spiritualibus;* atque id ex iis, quæ deinceps adjecit, declaravit, cum de tributis, & de vectigali locutus est: qui vero inde probant obediendum esse non tantum temporali, sed & spirituali potestati, id concludunt, *quia*, ut inquit Symmachus in Apologia, *si Paulus in humanis seipsum etiam subjicit Imperatori quoad spiritualia, tamen adhuc magis docet, Imperatorem subdi debere Ecclesiasticæ potestati.* Itaque ex Apostoli Pauli testimonio constat, omnes debere esse in temporalibus civili potestati subjectos, nec ab ea subjectione quemquam per spiritualem potestatem eximi posse.

II. Hoc ipsum profitentur sancti Patres, Justinus Apol. 2. *Non solum Deum*, inquit, *Christianorum omnium nomine adoramus, & vobis læti inservimus, Imperatores, ac Principes hominum esse profitentes.* Athanasius Constantii Imperatoris mandatis licet injustis parere se scribit in apologetico ad ipsum: „ Nequaquam, *inquit*, restiti „ mandatis tuæ pietatis .... Certe me „ professioni adornabam, nam & hujus „ quoque rei conscius est Montanus, ut „ litteris suis acceptis, si damnatus fuisset „ scribere statim decederem, & promptitudine obsequendi mandatum tuum an„ teverterem. Non enim ita insanio, ut „ hujusmodi mandatis contradicendum pu„ tarim: non enim restiti Decreto pieta„ tis tuæ, neque Alexandriam ingredi co„ nabor, quamdiu id per tuam humanita„ tem non licebit „.

III. Osius Cordubensis ad Constantium: *Tibi*, inquit, *imperium Deus commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum qui imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, &c.* His adde multa alia testimonia paragrapho præcedenti præsertim a nobis prolata: sed ne in his diutius hæream, addam tantum Romanorum Pontificum testimonia, qui se in civilibus Imperatoribus obedientiam debere protestati sunt.

IV. Primus est Gelasius in Epist. ad Anastasium Imperatorem, quæ est octava: *Si*, inquit, *quantum pertinet ad ordinem publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ.* Sic fatetur ille, ipsos religionis Antistites teneri obedientiam præstare Regibus in iis, quæ pertinent ad Reipublicæ administrationem.

V. Alter est Symmachus in Apologetico: *Nos quidem*, inquit, *potestates humanas merito suscipimus, defer Deo in nobis, & nos Deo deferemus in te.* Utraque ergo potestas est a Deo, & sicut Imperator potestatem spiritualem in Pontifice veneratur ac colit, tanquam a Deo ipsi collatam, nec a sua dependentem, ita Sacerdos potestati Regum temporali a Deo ipsis collatæ, & ab Ecclesiastica non pendenti subjectus est.

VI. Gregorius Magnus cum accepisset a Mauritio Imperatore mandatum de promulganda quadam lege, qua vetitum erat mili-

Digitized by Google

militibus in Monaſteriis monaſticam vitam profiteri, eam licet injuſtam eſſe exiſtimaret, & Eccleſiæ libertati contrariam; Imperatoris tamen mandato parens promulgavit, etiam antequam ſententiam ſuam Imperatori ſignificaret: *Ego quidem*, inquit lib. 2. Epiſt. 92. *juſſioni ſubjectus per diverſas terrarum partes tranſmitti feci, & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis Dominis nuntiavi; utrobique ergo, quod debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui.* Idem Ep. 64. ad Theodorum Medicum Imperatoris: *Valde autem*, inquit, *mihi durum videtur, ut ab ejus ſervitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolum militibus, ſed & Sacerdotibus fecit.* Ex illo facto Gregorii conſtat, in civilibus neceſſario obtemperandum eſſe Imperatoribus, nec ipſos etiam Romanos Epiſcopos poſſe quidquam in illorum temporalia, quando leges injuſtas de rebus civilibus ferunt. Mitto Gregorii II., Joannis, & aliorum dicta ſuperius laudata.

§. ULTIMUS.

In quo refellitur adverſariorum opinio ex novitate.

ULtimum argumentum petitur ex novitate contrariæ ſententiæ, quæ priſcis inaudita ſæculis, ubi primum decimo Eccleſiæ ſæculo in lucem prodiit, omnes novitate ſua perculit: quippe in religione illud omne verum eſt, quod prius eſt, illud quod ab initio; illud vero falſum, & erroneum, quod aliquando ignotum fuit, & poſtea inventum: nobis enim nihil ex noſtro ingenio indulgere licet, aut ſequi, quod ab aliis fuerit inventum; ſed oportet nos iis tantum fidem adhibere, quæ a Chriſto, ab Apoſtolis ad nos uſque per traditionem manarunt: nec vero neceſſe eſt, ut aliqua opinio ad religionem pertinens falſa demonſtretur, non eſt, inquam, neceſſe ut oſtendatur, contrarium unquam fuiſſe creditum, quod tamen nos hac in quæſtione præſtitimus, ſed ſufficit, ut aliqua opinio recenter nata demonſtretur; hoc enim poſito, ſequitur, nullam ei fidem adhibendam eſſe, nam fidem ſoli debemus doctrinæ a Chriſto, & Apoſtolis traditæ, de qua conſtat per ſcripturam, aut traditionem: cum ergo aliquid docetur, quod neque ex ſcriptura, neque ex traditione probari poteſt ab Apoſtolis traditum, illud merito tanquam commentitium rejicitur. Hoc vero ſuppoſito principio, quod ab iis, qui vel mediocriter religionis fundamenta norunt, in dubium revocari non poteſt, nihil facilius eſt, quam adverſariorum opinionem disjicere, quippe primus hujus parens fuit Gregorius VII. Romanus Pontifex, ante hunc inaudita hæc opinio, unde Bellarminus initio libri adverſus Barclaium, inter auctores, quos tanquam hujus opinionis fautores laudat, nullum hoc Gregorio antiquiorem profert; nec certe ullus proferri poteſt Romanus Pontifex ante hunc, qui hanc poteſtatem vel ſibi arrogarit, vel de facto exercere conatus fuerit.

II. Hujus vero Pontificis tum opinio, tum actio totum orbem novitate ſua obſtupefecit, ut teſtes ſunt omnes ſcriptores, qui de ea ſcripſere, a quibus unanimi conſenſu proditum eſt, depoſitionem Henrici IV. Imperatoris ab eo tentatam omnes homines novitate ſua perculiſſe.

III. Id teſtatur Otho Friſingenſis hujus temporis ſcriptor in fragmento, quod extat in faſciculo rerum ſciendarum: „ Gregorius ſeptimus, *inquit*, qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem Henricum quartum tanquam a ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit, cujus rei novitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam noverat. *Idem Chronicorum 6. cap.* 35. Romanus Pontifex, *inquit*, Regem Henricum ſæpe vocatum excommunicavit, ejuſque, ut dicitur, conſilio, & auctoritate Rudolphus Allemannorum Dux, a quibuſdam Principibus Rex creatur, quo non multo poſt in publico bello occiſo, atque Hermanno Lotharingiæ Principe ſibi ſubſtituto, & ipſe non multo poſt a fi-

„ a fidelibus Regis occiditur. Lego, & re„ lego Romanorum Regum, & Imperato„ rum geſta, & nuſquam inveni quem„ quam eorum ante hunc a Romano Pon„ tifice excommunicatum, vel regno priva„ tum „.

IV. Teſtatur etiam Benno Cardinalis, qui quanquam Imperatoris partes ſecutus eſt, & in aliis forſan nonnulla de Gregorio exaggeravit, in hoc tamen cum ceteris tum temporis ſcriptoribus, & rei evidentiæ conſentiat, non eſt, cur ei fides derogetur. Teſtatur autem in primo & ſecundo libro de Hildebrandi, ſeu Gregorii VII. vita, Imperatorem Henricum IV. ab eodem Pontifice ex improviſo ſine legitima accuſatione, ſine canonica vocatione, ſine judiciario ordine, præter voluntatem, & conſilium Cardinalium excommunicatum fuiſſe, novo ac peſſimo exemplo.

V. Teſtantur quoque idem Epiſcopi, & Clerici, quorum nomine apologia eſt conſcripta pro Henrico, quæ eſt apud Aventinum Annalium Boiorum lib. 5. fol. 179. „ In Conciliabulo Romano, *ait Aventinus*, „ Papa Cæſarem excommunicat, proſcribit, „ Cæſarea dignitate privat, idque per or„ bem terrarum atrociſſimis bellis denun„ tiat, omnes contra eum religionis præ„ textu inſtigat, etiam ſubditos ejus, quos „ a præſtito juramento, omnique obligatio„ ne ſolvit. Plerique tum privatim, tum „ publice indignum facinus clamitant, pro „ concione Gregorio maledicunt, Hilde„ brando male precantur, ipſum odio, at„ que libidine dominandi præcipitem agi „ vociferantur, cæleſtia oracula adulterat, „ divinas litteras falſo interpretando ſuæ „ libidini inſervire cogit. Idem ei objicitur a Conrado Epiſcopo Trajectenſi in oratione pro Henrico IV. in Conventu Gerſtengenſi, anno Domini 1085. habita.

VI. Valtramus Epiſcopus Hamburgenſis anno 1093. duos Apologiæ libros edidit pro Henrico IV. adverſus Gregorium VII. in quibus ex ſcriptura, & traditione docet, injuſtum eſſe Gregorii conatum, & lib 2. c. 14. exprobat Epiſcopis, qui ab eo ſtabant, *quod contra Dei ordinationem, uſum atque diſciplinam Eccleſiæ uſurpaverint ſibi ordinationem regiæ dignitatis.*

VII. Sigebertus Abbas Gemblacenſis in Ep. pro Leodegariis ſuis anno 1103. ſcripta: „ Hildebrandus, *inquit*, Papa qui auctor eſt „ hujus novelli ſchiſmatis, & primus leva„ vit ſacerdotalem lanceam contra diade„ ma regni: quis Pontificum Romanorum „ ſuis unquam Decretis autorizavit, ut de„ beat Pontifex gladio belli in peccantes „ uti? Gregorius primus hujus nominis „ Papa: Quid omnes ante ſe Papæ ſuper „ hoc ſenſerunt, & quid omnes poſt ſentire „ debeant, oſtendit ſcribens Sabinario Diaco„ no: *Unum eſt, quod ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in morte Longobardorum conſentire voluiſſem, eorum gens nec Duces, nec Comites haberet; ſed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido.* Hoc exemplo omnes a primo Gre„ gorio Pontifices utebantur ſuo gladio ſpiri„ tuali uſque ad ultimum Gregorium, id eſt „ Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo ex„ emplo alios Pontifices contra Imperato„ rem accinxit gladio belli „. Idem anno 1088. hanc dicit eſſe novitatem, ſeu potius hæreſim Hildebrandinam. Eadem ſunt verba Arronici Belgæ, & Vincentii Bellovacenſis lib. 2. c. 84. ſpeculi hiſt.

VIII. Osbertus Leodienſis Epiſcopus in Epiſtola de vita, & obitu Henrici IV. anno 1106. ſcripta, poſtquam narravit, Gregorium VII. adverſariorum Henrici calumniis deluſum, & cupiditate creandi Imperatoris impulſum, Henricum non ſolum excomunicaſſe, ſed & abſolviſſe omnes, qui fidem ei juraverant, hæc addit: „ Quod factum multis diſplicuit (ſi „ cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus facit) „ & aſſerebant, tam efficaciter, quam illicite „ factum, quod factum eſt, ſed non auſim „ aſſertiones eorum ponere, ne videar cum „ eis Apoſtolici factum refellere „. Hæc ille timidus licet vir & Pontifici plus æquo devotus.

IX. Eberhardus Archiepiſcopus Saliburgenſis in oratione de Hildebrandi Antichriſtiano imperio, recitata in Comitiis Ratisbonenſibus ſub Federico II. „ Hildebran„ dus, *inquit*, ante omnes centum, & ſep„ tuaginta, primus ſub ſpecie religionis „ Antichriſti Imperii fundamenta jecit. Hoc „ bellum nefandum primus auſpicatus eſt, „ quod

Digitized by Google

„ quod per ejus ſucceſſores huc uſque con„ tinuatur.

X. Ipſe etiam Rodolphus Dux Sueviæ a Gregorio I. Imperator creatus in locum Henrici IV. moriens veritati teſtimonium perhibuit: ſic enim locutus fertur, cum vulneratus in prælio morti proximus eſſet: „ Videtis manum dextram meam de „ vulnere ſauciam; hoc ego juravi Domi„ no Henrico, ut non nocerem, nec inſi„ diarer gloriæ ejus: ſed juſſio Apoſtolica, „ Pontificumque petitio me ad id deduxit, „ ut juramenti traſgreſſor honorem mihi „ indebitum uſurparem. Quis igitur finis „ nos acceperit, videtis, cum in manu, un„ de juramenti violavi, mortale hoc vul„ nus accepi. Viderint ergo ii, qui nos ad „ hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, „ ne forte deducti ſimus in præcipitium „ æternæ damnationis. Hæc ejus ultima verba „ referunt Helmoldus Chronici Sclavonici autor c. 29. & Albertus Staddenſis ad annum 1080.

XI. Joannes Trithemius in Chronico ad annum 1106. *Ipſe autem*, inquit, *Henricus IV. primus eſt inter omnes Imperatores per Papam depoſitus.*

XII. Onufrius Panvinius in vita Gregorii VII. „ Cæſar, & multi alii Principes ac „ Prælati fuerunt, qui Romani Pontificis ana„ thema tanquam iniquum, & injuſtum, & „ præter leges factum contemnebant, alioſque „ contemnere perſuadebant, & cogebant „. Nicolaus Trevirenſis t. 1. cont. Imp. ſententiam Gregorii obſtupendam abuſionem novitatis ſuæ, & inauditum decretum appellat.

XIII. Venericus Vercelleſis, ſive auctor libri de conſervanda Eccleſiæ unitate: *Nova*, inquit, *& inaudita eſt prædicatio hujuſmodi, cum Eccleſia non habet ſibi conceſſum gladium, niſi Spiritus, quod eſt Verbum Dei.*

XIV. Leodicenſis Ep. ad Paſcalem II. *Hildebrandus Papa, qui auctor eſt hujus novelli ſchiſmatis, & primus levavit ſacerdotalem lanceam contra diadema Regis.*

XV. Gotofredus Viterbienſis: *Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem a Pontifice excommunicatum, aut imperio privatum.* Idem habet auctor Chronicorum æt. 6. Cuſpianus in Henrico IV. Guilliel-mus Malmesburienſis de Guillielmo I. lib. 3. & alii.

XVI. Anonymus Auctor Apologiæ pro Henrico, quam edidit Urſtitius inter veteres rerum Germanicarum Hiſtoricos: *Factum*, inquit, *Gregorii VII. multis diſplicuit, & aſſerebant tam inefficaciter, quam illicite factum, quod factum eſt.*

XVII. Lambertus Scafnaburgenſis ait, Henricum poſtquam iniquas pacis conditiones cum Gregorio VII. iniiſſet, omnibus odio, & execrationi fuiſſe. Mitto alios, cum hi abunde ſufficiant ad oſtendendam opinionem adverſariorum novam eſſe, & a Gregorio VII. primum aſſertam, & cum ſummo Reipublicæ Eccleſiaſticæ damno defenſam.

CAPUT III.

In quo reſpondetur objectionibus.

§. I.

Reſpondetur auctoritatibus, & exemplis, quæ ex ſacris litteris deſumuntur.

PRimum argumentum ex veteri teſtamento petit Bellarminus ab exemplo Oziæ Regis, qui lepra divinitus percuſſus Sacerdotum judicio ſeparatus eſt a cœtu populi, ex quo factum ſupponit, ut regni adminiſtratione privatus fuerit: unde ſic argumentatur: „ Si ob lepram corporalem „ poterat Sacerdos olim Regem judicare, „ & regno privare, quare id non poterit „ novæ legis Sacerdos nunc ob lepram „ ſpiritualem, id eſt propter hæreſim?

II. Reſpondeo primo, non eſſe idem judicium ferendum de lepra ſpirituali, ac de corporali, quippe corporalis lepra in veteri Teſtamento hominem privabat omni prorſus aliorum commercio, & ſocietate, tam in civilibus, quam in ceteris, at vero lepra ſpiritualis peccati, vel hæreſeos hominem tantum privat bonis ſpiritualibus, & argumentum recte ſic procedit: *Lepra corporalis privabat hominem commercio civili, ergo ſpiritalis ſpirituali:* non autem ſic: *lepra*

Digitized by Google

pra corporalis privabat hominem ſocietate civili, ergo multo magis lepra ſpiritualis hominem civilibus bonis fraudat; quemadmodum enim ultio lepræ corporalis tantum corporalis erat, ut ſcilicet qui ea laborabat, habitaret extra civitatem, ita ultio lepræ ſpiritualis tota debet eſſe ſpiritualis, ita ut qui ea laborat, ab Eccleſia ejiciatur.

III. Reſpondeo, Oziam lepra divinitus percuſſum eo quod incenſum adolere vellet ſuper altare thymiamatis a Sacerdotibus declaratum eſſe immundum, & templo expulſum, at regno minime privatum. Sic rem narrat Auctor libri Paralipomenon c. 26. *Ingreſſus Templum Domini adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis; ſtatimque ingreſſus eſt poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta fortiſſimi: reſtiterunt Regi, atque dixerunt: non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium. Egredere de Sanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur in gloriam hoc a Domino Deo; iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur Sacerdotibus; ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus, & feſtinato expulerunt eum: ſed & ipſe perterritus feſtinavit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini: fuit igitur Ozias Rex leproſus, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joathan filius ejus habebat domum Regis, & judicabat populum terræ.* Ex hac narratione liquet.

IV. Primo, Sacerdotes, ut obſervat Chryſoſtomus, Oziæ ſacra munia invadenti, admonitionibus reſtitiſſe, non armis, non minis, non ſententia depoſitionis in eum intentata conatus ejus repreſſiſſe.

V. Secundo, Sacerdotes eum lepra percuſſum juxta legem indignum conſortio ceterorum Judæorum declaraſſe.

VI. Tertio, ipſum pœnam facinoris ſibimet repræſentantem, ultro Sacerdotum judicio paruiſſe, & templo egreſſum.

VII. Quarto, inde etiam liquet, eum regno privatum minime, aut de ſolio dejectum: id enim tantum dicit ſcriptura, Sacerdotes videntes lepram in fronte ejus, eum feſtinato de templo expuliſſe, ob lepram ſcilicet, non ob peccatum; quare nihil gravius in eum ſtatui potuit, quam quod in leproſos omnes per Sacerdotem ſtatui Deus juſſit; at nullibi in lege veſtigium extat, ut de rerum ſuarum dominio exciderent, ſed tantum ut ſepararentur a cœtu filiorum Iſraël, Levit. 13. *Qui fuerit lepra percuſſus, & ſeparatus ad arbitrium Sacerdotis, habitavit extra caſtra.* Quare etiam ſi poſtea Ozias regnum penitus amiſiſſet, non id ex Sacerdotum judicio, ac ſententia factum fuiſſet.

VIII. Quinto, diſerte ſcriptura teſtatur, eum nec regno, nec regnandi jure propterea excidiſſe: nam v. 2. ejuſdem capitis ait, eum regnare cœpiſſe anno ætatis 16. & regnaſſe annos 52. uſque ad mortem ſcilicet: & v. 23. poſt hujus mortem regnaſſe dicitur filius Joathan pro eo, ergo huc uſque ipſe regnaverat. Nec vero nomen inane Regis retinuit, ſed & jus regium, ac præcipuam auctoritatem, quamvis gubernationis onus in filium rejeciſſet; quippe cum vi morbi urgeretur, nec liceret ei ſecundum legem ceterorum conſortio frui, vix poterat per ſeipſum regnum adminiſtrare; quare in domo habitans ſeparata, non privatus in ea vixit, ut vult Bellarminus, imo ut habent 70. ἐβασίλευσεν, hoc eſt, regnavit in ea quandiu vixit, ſed adminiſtrationem regni ſui filio commiſit; ipſe vero Regis auctoritatem, & nomen retinuit, unde filius ejus nunquam dicitur Rex, quamdiu pater ejus vixit, ſed ejus tantum vices egiſſe legitur, & pro eo tum Palatii curam habuiſſe, tum populum terræ judicaſſe: tunc Joſephus de illo hæc ait: *Non vocabatur Rex, nec ſedebat in ſolio Regis, ſed Ozias vocabatur Rex toto tempore, quo vixit, & ſub eo computatur tempus regni, & ab eo pendebat eorum poteſtas, quæ fiebant in regno, licet per Joathan filium ſuum adminiſtrarentur ..... Iſte Joathan erat unicus filius ejus, vel ſaltem primogenitus, ideo patri morienti ſucceſſit in regno; nam vivente patre ipſe Palatium gubernabat, & ſuſtinebat totum pondus regalis laboris.* Itaque Ozias ſemper retinuit non modo nomen Regis, ſed & jus regnandi, ac auctoritatem regiam. Hæc enim

Digitized by Google

enim duo ſeparari poſſunt, & ſæpe ſæpius contingit, ut is, qui regnandi jus auctoritatemque regiam poſſidet, regnum ipſe non adminiſtret, vel quia non poteſt, ut, verbi gratia, ſi ſit impubes aut furioſus, vel quia onus gubernationis in alium transferre ſatius judicavit.

IX. Denique Ozias non eſt privatus adminiſtratione regni per ſententiam ſacerdotum, ſed ipſe cum ſenior jam eſſet, ac vi morbi urgeretur, nec poſſet in publicum prodire, & cum ceteris, qui eum abominati fuiſſent, verſari, ſatius eſſe duxit in filium adminiſtrationem regni transferre; quare id fecit non aliquo Sacerdotum judicio coactus, ſed ſponte ac lubens, morbi tum pudore, tum gravitate ad id faciendum impulſus: ex quibus abunde liquet, hoc exemplum a Bellarmino prolatum, propoſitum ejus nullatenus adjuvare.

X. Secundum exemplum a Bellarmino petitur ex lib. ſecundo Paralip. cap. 23. ubi inquit: *Cum Athalia tyrannice occupaſſet regnum, & foveret cultum Baal, Joïada Pontifex vocavit Centuriones & Milites, & juſſit eis, ut Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro ea Joam Regem creavit.* Idem exemplum urgent Sanderus, & Becanus, & ex eo probare volunt, licere ſummo Pontifici in Reges, quod licuit Joïadæ in Athaliam.

XI. At primum, ſi quid probaret iſtud argumentum, probaret non tantum Reges a ſummis Pontificibus deponi poſſe, ſed & eorum juſſu interfici, quod dicere non audent ipſi adverſarii.

XII. Secundo, longe diſpar ratio eſt Athaliæ, & Regis legitimi, quippe illa per tyrannidem imperium invaſerat poſt mortem Ochoziæ, occiſis ejus filiis, e quibus unus ſuperſtes ſelectus fuit Joas, ad quem morte patris, & fratrum de jure regnum jure ſucceſſionis devolutum erat: itaque Athalia non erat legitima Regina, ſed uſurpatrix, quam proinde proceres regni Judaïci poterant non ſolum ſpoliare, ſed & occidere: nec eſt, quod dicat Bellarminus, ejus regnum initio tyrannicum poſtea fuiſſe legitimum, & a populo approbatum, poſſe autem tyrannica imperia, & violenta conſentiente populo fieri legitima: non eſt, inquam, quod hac utatur exceptione Bellarminus, nam Athalia non potuit jus regium habere quamdiu legitimus regni ſuperſtes erat, præſertim cum ſexennio tantum regno potita fuerit; nam eſto, quod imperia tyrannica, conſentiente populo, fiant juſta, & legitima, ad hoc tamen requiritur primo, ut aliquo, ſi non alio, ſaltem armorum jure quis imperium obtineat. Secundo, ut ſat diuturnum tempus poſſeſſionis interfluat. Tertio, ut legitimus hæres vel conſentiat, vel rem habeat pro derelicta. Quarto, ut conſenſus populi ſit liber; at nihil horum ibi occurrit: primo enim Athalia nullo jure belli, ſive alio jure regnum ſibi vindicavit, ſed turpiſſimo impetu, & proditione oppreſſis nepotibus poteſtatem regiam uſurpavit. Secundo, brevi admodum tempore Athalia regno potita erat. Tertio, legitimus hæres adhuc in vivis erat, nec conſenſerat, aut conſentire potuerat. Quarto, populus non conſenſerat regno Athaliæ, niſi quemadmodum populi jugum tyrannorum, quod amoliri non poſſunt, aliquando patiuntur, ut Syracuſani Dicæcſani Dionyſios, & Athenienſes Pyſiſtratum aliquandiu ferre coacti ſunt. Unde Athalia mortua, *populus omnis, tanquam tyranno ſublato, lætatus eſt*, inquit ſcriptura 2. Paralivomen. c. 23. & 4 Reg. 11. *omnis populus terræ, & urbs quievit.* Ergo nonniſi virtus tyrannidem aliquot annis paſſus fuerat, non autem proprie conſenſerat: adde quod Bellarminus ipſe fatetur, conſenſum hunc populi profectum eſſe *ex eo, quod ignoraretur ſupereſſe adhuc unum e filiis defuncti.* Ergo ſtatim atque ea de re conſtitit jam populi conſenſus, non poterat Athalia a tyrannide excuſari; itaque ex eo quod Joïadas Athaliam uſurpatricem occidi juſſerit, non ſequitur, idem licere in Reges legitimos.

XIII. Tertio Athalia licet idololatriam foverit, non tamen propter hoc crimen occiſa eſt a Joïada, & iis, qui cum eo erant, ſed propter ſolam uſurpationem regni, ut ſcilicet Joæ legitimo hæredi regnum reſtitueretur: quapropter inde non ſequitur, Reges regno ob hæreſim, vel peccatum privari poſſe, ſed tantum manifeſtos uſurpatores regni poſſe, conſentientibus optimatibus, a popu-

Digitized by Google

populo ſolio deturbari.

XIV. Quarto, non fecit id ſolus Joïada, non fecit auctoritate ſua, non fecit id quaſi ſummus Sacerdos, ſed ut ex optimatibus regni Judaïci præcipuus, ut Regis tutor, ac defenſor; ubi enim opportunum vidit eſſe tempus reſtituendi Joæ, Centuriones, Levitas, & alios conſilii ſui participes fecit: *Iniitque*, inquit ſcriptura, *omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Joïada: ecce filius Regis regnabit ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Iſrael.* Non ergo Joïada Athaliam depoſuit, aut Joam conſtituit auctoritate ſummi Sacerdotis, ſed tantum populo declaravit, Joam hunc eſſe filium Regis, cui regnum debebatur, populus vero ſtatim eum Regem agnovit: *Et eduxerunt*, inquit, *filium Regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem, unxit quoque illum Pontifex, & filii ejus, imprecatique ſunt ei: Vivat Rex.* Ergo non a ſolo ſummo Sacerdote Joïada, ſed a populi maxima parte Joas legitimus regni hæres coronatus eſt, & pro Rege agnitus; Joïadas vero non ut ſummus Sacerdos, ſed ut tutor ac defenſor Regis, & æquitatis, conſilium de expellenda Athalia, & reſtituendo Joa iniit, Centurionibus, Levitis, & populo ut id ſine mora facerent auctor fuit, ac demum Athaliam extra templum, non ſua, ſed Regis auctoritate gladio juſſit interfici.

XV. Afferuntur præter hæc duo a nonnullis alia exempla, ut Saulis a Samuele dejecti, & Davidis uncti, 1. Reg. 15. Roboami ab Ahia Propheta regni parte mulctati, 3. Regg. 11. Jehu a Propheta Eliſæo unctio in Regem Iſraël in locum impii Joram, Antiochi a Mathathia expulſi, 1. Mac. 2. & ſequentibus.

XVI. Verum hæc omnia exempla a propoſito aliena ſunt: primo enim qui hoc fecerunt maximi Sacerdotes non erant; deinde id non fecerunt aliqua auctoritate ordinaria, ſed ex ſpeciali mandato Dei, & a ſpiritu prophetico impulſi: ſic Samuël ex mandato Dei Davidem unxit, cum cognoviſſet, quod Deum pœniteret, quod unxiſſet Saulem Regem ſuper Iſraël. Ahias haud ſua auctoritate Roboamum regni parte privavit, illamque Jeroboamo trádidit; jamdudum enim prædixerat Deus Salomoni fore, ut maxima regni ejus pars a filio ejus auferretur, traderetur que ſervo, 3. Reg. v. 12. *Scindam regnum tuum*, inquit Deus, *& dabo illud ſervo tuo.* Quare Ahias ibidem v. 30. non ſuo, ſed Dei nomine prædicit Jeroboamo fore, ut eſſet Rex decem tribuum: *Apprehendens Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: tolle tibi duodecim ſciſſuras, hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, &c.*

XVII. Similiter Eliſæus Dei ipſius auctoritate, ac mandato, & a Spiritu prophetico ad id faciendum impulſus Jehu unxit in Regem Iſraël.

XVIII. Denique Mathathias legitimum Regem non depoſuit, ſed Antiochum ſæviſſimum tyrannum, atque Judæi regni invaſorem juſtiſſimis armis expulit, & patriam a tyrannide liberavit.

XIX. Mitto, quod plurima in veteris teſtamenti libris facta leguntur a Prophetis impulſu divino, quæ trahi in exemplum ſine ſcelere non poſſunt. Sic Elias 1. Regum c. 18. Prophetas Baal ad torrentem Cedron occidi juſſit. Quis propterea ſomniet Sacerdotibus Chriſtianis, ac Catholicis idipſum in falſos, & hæreticos Sacerdotes licere? Oſee fornicariam duxit uxorem ex mandato Dei, quis id in aliquo Sacerdote probet? Innumera ſunt hujuſmodi, ex quibus ſi quid aliquis velit concludere, pariter inferat, Sacerdotes noſtros ignem e cælo poſſe deducere, quia Elias deduxit, poſſe pariter imbres ſummovere, quia, Elia jubente, per triennium minime pluit; nihil ergo eſt abſurdius, quam ex illis, quæ Prophetæ vel divina virtute, vel prophetico impulſu fecerunt, aut potuerunt, inferre velle idem a Sacerdotibus noſtris fieri aut poſſe, aut debere.

XX. E novo Teſtamento nullum teſtimonium proferunt adverſarii, quod non in alienum plane ſenſum non detorqueant, qualia ſunt hæc Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum*, Joan. 20. *Paſce oves meas.*

Digitized by Google

meas. Quæ loca Gregorius VII. Bonifacius VIII. & Nicolaus IV. in ſuis Decretalibus allegant ad vindicandam ſibi in temporalia poteſtatem. Sed hæc, ut late probavimus, de ſpirituali tantum poteſtate poſſunt intelligi, & ab univerſa Eccleſia ſemper intellecta ſunt, quique aliter ea interpretari non verentur, ab univerſa Eccleſiæ Catholicæ ſenſu recedunt, ut illicitos conatus quoquo pacto defendant.

XXI. Mitto alia quædam teſtimonia, quæ Marſilius Patavinus defenſ. pacis c. 3. a ſophiſtis ſui temporis propoſita eſſe ait, ut probarent Eccleſiæ poteſtatem eſſe in temporalia, qualia ſunt hæc Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et c. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*. Item iſtud Marci 5. *Si ejicis nos, mitte in gregem porcorum*. Et Joann. 12. *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me*. Matth. 21. & Luc. 19. *Invenietis pullum aſinæ alligatum, ſolvite, & adducite mihi*. Et 1. Cor. 6. *Neſcitis quod Angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia?* Et cap. 9. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi?* Ex quibus inferebant, Chriſtum, & ejus Vicarios poteſtatem aliquam temporalem habuiſſe. Verum, uti diximus de Chriſto, prout Deus eſt, nemo dubitat, quin habuerit poteſtatem ſummam in res omnes, atque hoc ſenſu intelligi illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre*. Et c. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*. Niſi quis malit, id de regno Chriſti ſpirituali, & de omnibus iis, qui crediturі in eum erant, dictum interpretari: quo certe ſenſu intelligendum eſt illud Joannis 12. *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum*: Id eſt, ex omni hominum genere, ex omnibus gentibus homines adducam ad mei cultum.

XXII. Quod vero ex Paulo profertur ad præſens negotium, omnino impertinens eſt; quippe ſecundum eum non ſolum Apoſtoli, ſed & omnes juſti judicabunt Angelos, & ſæcularia, ſed in reſurrectione, non in hoc ſæculo. Poteſtatem vero manducandi, & bibendi ſibi ipſe arrogat, non ob ullam auctoritatem temporalem, ſed quia dignus eſt operarius cibo ſuo, æquumque eſt, ut qui altari ſervit, de altari vivat. Supereſt illud de porcis, & de aſinæ pullo, quæ ſi quis, & alia hujuſmodi præſenti in negotio allegans, ad illud minime pertinere, probare tentaret, opera ſua, & lectoris abuteretur patientia. Satius eſt hæc contemnere, quam ſerie refellere, nam hujuſmodi ſophiſmata indigna ſunt revinci, ut ne gravitate adorentur.

§. II.

In quo refutantur rationes, & inductiones Bellarmini.

QUantum adverſariorum opinio rationibus vere Teologicis deſtituta ſit, ex eo liquet, quod Bellarminus in comprobanda auctoritate temporali Pontificis ſolis rationibus uſum ſe dicat, non Scripturis, Conciliis, Patribus, quod iis jam uſus eſſet in ſpirituali Primatu probando, quo probato, facile eſſe arbitrabatur, *tamquam ex fonte diducere rivulos rationum ad poteſtatem in temporolibus comprobandam*. Ex ipſius igitur Bellarmini confeſſione, Scriptura, Patres, & Concilia nihil probant, præter Primatum ſpiritualem Pontificis; auctoritas autem illa temporalis etiam indirecta tota rationibus, & inductionibus innititur, quæ ſi vel minus certæ ſint, vel minus evidenter deductæ, ruit totum ejus ſyſtema. Quid ergo cenſendum erit, ſi illas omnes ſophiſticas eſſe ad oculum demonſtraverimus?

II. Prima ratio ejuſmodi eſt: *Poteſtas civilis ſubjecta eſt poteſtati ſpirituali, quandoquidem utraque pars eſt ejuſdem Reipublicæ Chriſtianæ: ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale; omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori*.

III. Reſpondeo, antecedens eſſe falſum: nam licet, ut obſervavimus, perſonæ civiles ſint ſubjectæ poteſtati ſpirituali, poteſtas tamen temporalis non eſt ſubjecta poteſtati ſpirituali, ut a nobis explicatum eſt ſupra. Ratio item hujus antecedentis falſa, nam poteſtas temporalis non eſt pars Reipublicæ, ut Chriſtiana eſt; ſed utraque poteſtas duas conſtituit Reſpublicas, diverſos fines, diver-

Digitized by Google

ſa media, diverſas leges habentes; & quanquam iidem homines utriuſque membra ſint, munera duarum Rerumpublicarum ſunt diverſa.

IV. Ad probationem conſequentis, *omnis ſuperior imperare poteſt inferiori*, reſpondeo, illam non eſſe veram; non enim ſuperior poteſt imperare in omnibus, ſed in iis tantum rebus, in quibus eſt ſuperior: ſic præceptor non poteſt diſcipulo imperare in hæreditate adeunda, uxore ducenda, &c. Deinde plus habetur in conſequenti, quam in præmiſſis; nec enim tantum infertur: *Ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus*, quod unum ex præmiſſis ſequitur, & verum eſt, ſi recte intelligatur: ſed additur: *& diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale*. Hoc autem ex præmiſſis non ſequitur, poteſt enim imperare tantum Princeps ſpiritualis temporali in iis, in quibus ſuperior eſt, ſed ſuperior eſt tantum in ſpiritualibus, cum in temporalibns ei ſubſit, ut late probatum eſt. Demum ſi quid probaret hoc argumentum, probaret unumquemque Principem ſpiritualem, unamquamque Eccleſiam poſſe de rebus temporalibus Principum ſuorum diſponere, cum eo ſuperiores ſint, quod ipſi nolunt adverſarii.

V. Inſtat Bellarminus: *poteſtas politica non ſolum ut Chriſtiana, ſed etiam ut politica ſubjecta eſt Eccleſiaſticæ, ut talis* 1. *demonſtratur ex finibus utriuſque, nam finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, ut patet, quia felicitas temporalis non eſt abſolute ultimus finis, & ideo referri debet in felicitatem æternam: conſtat autem ex Ariſtotele lib. Ethic. cap.* 1. *ita ſubordinari facultates, ut ſubordinantur fines.*

VI. Reſpondeo, alium eſſe finem operantis, alium artis. Finis Principis Chriſtiani poteſt eſſe non tantum felicitas temporalis, ſed & æterna ſui, ac ſuorum, ſicut finis Epiſcopi poteſt eſſe non tantum ſalus æterna hominum ſuæ curæ commiſſorum, ſed & tranquillitas civitatis. Sed finis artis politicæ quatenus politicæ eſt felicitas tantum temporalis, & quidem finis hujus ultimus, nam poteſtas politica ut talis alio non refertur ex ſeipſa. De felicitate vero æterna ſi Princeps cogitet, non id habet a politica, ſed ab Eccleſiaſtica poteſtate, cujus conſiliis adjuvatur; itaque nec artes iſtæ, nec earum fines proprie ſubordinantur: requiritur enim ad ſubordinationem, ut finis artis ſubordinatæ per ſe, & ex natura ſua inſerviat fini ſubordinantis: ſed tranquillitas reipublicæ per ſe, & natura ſua non inſervit ad æternam ſalutem, ſed tantum per accidens, quemadmodum finis medicinæ, qui eſt ſalus corporis, poteſt etiam inſervire ſaluti animæ, & tamen medicinam Eccleſiaſticæ poteſtati ſubordinatam eſſe quis dicat?

VII. Addit ſecundo Bellarminus: Reges, & Pontifices, Clerici, & Laici non faciunt duas Reſpublicas, ſed unam, ideſt unam Eccleſiam: *ſumus enim omnes unum corpus* Rom. 12. & 1. Cor. 12. at in omni corpore membra ſunt connexa, & dependentia unum ab alio, non autem recte aſſeritur ſpiritualia pendere a temporalibus: ergo temporalia a ſpiritualibus pendent, illique ſubjecta ſunt.

VIII. Reſpondeo, hæc omnia argumenta eodem laborare vitio, quod perſonas, & poteſtates confundant; faciunt quidem omnes homines unam Eccleſiam, ſed non faciunt duæ poteſtates unam rempublicam Eccleſiaſticam; ſumus omnes unum corpus ex Apoſtolo, quatenus omnes membra ſumus Eccleſiaſticæ reipublicæ, licet etiam membra quoque ſimus civilis reipublicæ: non eſt ergo dicendum temporalia a ſpiritualibus pendere, quia cives, imo & Reges in ſpiritualibus ab Eccleſia pendent, & ſimiliter Chriſtiani, ac Epiſcopi in rebus civilibus, ac temporalibus Principibus ſunt ſubditi.

IX. Tertio ad idem confirmandum Bellarminus adjicit hoc argumentum: ſi temporalis, inquit, adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, tenetur Princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrandi etiam cum detrimento temporalis tranquillitatis, quando obviat bono ſpirituali non præciſe ut Rex, ſed ut Rex Chriſtianus, quia bonum ſpirituale dignius eſt, & excellentius bono temporali. At inde non ſequitur, ſubjectam eſſe poteſtatem temporalem ſpirituali, ita ut Reges id non facientes deponi poſſint, aut bonis privari ab Eccleſiaſtica poteſtate.

Rem

Digitized by Google

Rem exemplo illuſtro. Coquus tenetur mutare modum condiendi optimum, ſi ſanitati officiat, quia ſanitas, quæ finis eſt medicinæ, eſt bonum nobilius, quam voluptas guſtus, quæ eſt finis artis coquinariæ: ergo, inquiet aliquis, res coquinaria ſubjecta eſt medicinæ, ergo medicus poteſt coquum officio privare. Quis iſtud ferat? Similiter licet teneantur Reges bonum Eccleſiæ procurare etiam cum detrimento temporalis boni, ſcilicet bonum ſpirituale nobilius eſt, atque præſtantius, non tamen propterea ſpiritualis poteſtas poteſt eos, ſi id non fecerint, pœnis temporalibus afficere, ſed tantum ſpiritualibus; poteſt ſcilicet eos admonere, poteſt increpare; poteſt & eos communione Eccleſiaſtica indignos pronuntiare, ut Theodoſium Ambroſius, idque ſervato honore, ſervata reverentia, quam ſubditus ſuo Principi debet. At nihil præterea debet; etſi Rex iſtis non pareat, Deus ſolus vindex expectandus.

X. Urget Bellarminus, ut probet Eccleſiam, & regnum non poſſe conſtituere duas reſpublicas: *Hoc recte*, inquit, *diceretur ſi politica, & Eccleſiaſtica poteſtas ejuſdem ordinis eſſent, ut ſunt Pagi Helvetiorum: at ex ſcripturis divinis Pontifices, & Reges, Clerici, & Laici in Chriſto regenerati unam rempublicam, imo unam civitatem, imo unam domum, unum corpus efficiunt.*

XI. Reſpondeo, Bellarminum ſemper in eadem perſeverare fallacia; Pontifices, & Reges, Clerici, & Laici unam faciunt rempublicam, unum corpus, ſed in ordine ad bonum ſpirituale, & unam item rempublicam, unum corpus, in ordine ad bonum temporale; licet autem ambæ iſtæ reſpublicæ non ſint ejuſdem ordinis, ſed ſpiritualis ſit civili longe præſtantior, non tamen ſequitur, illam ſummum habere in hanc imperium, ac dominium, ſicut etiamſi medicus ſit coquo dignior, Philoſophus Publicano, argentarius, aut lapidarius fabriferrario, &c. haud ſequitur, illos iſtis imperare in iis, quæ artis ſuæ ſunt.

XII. Pergit Bellarminus: *Neque*, inquit, *poteſtas ſpiritualis, & temporalis in Eccleſia conveniunt, ut duæ Reſpublicæ in unam, ſed ut ſpiritus, & caro in unum hominem, ut Gregorius Nazianzenus ait.* Reſpondeo, ſpiritualem, & temporalem poteſtatem non convenire in Eccleſia, ſed Principes, & Pontifices, Laïcos, & Clericos Eccleſiam conſtituere, & ex iis unam fieri rempublicam Eccleſiaſticam; nec vero Gregorius in Oratione ad populum timore perculſum aliud habet, quam ſpiritualem poteſtatem excellentiorem eſſe temporali, ut eſt ſpiritus excellentior carne; at utramque poteſtatem, ut ſpiritum in unum hominem, aut in unam ſocietatem conveniſſe, nemo eſt, qui dixerit.

XIII. Denique addit Bellarminus: *neque ſunt Chriſti Pontifices, & Reges ut principales arietes in ovili, ſed ut Paſtores, & oves, neque in dubium revocari poteſt, an Paſtores ovibus, vel oves Paſtoribus cum imperio præſint.* Reſpondeo, Reges in republica Eccleſiaſtica oves eſſe, ſed ſpirituales, & ſpiritualiter paſcendas, non cum imperio, & dominatione temporali, ſed ſpontanee, & libere, ut ex Chriſti, Petri, ſanctorumque Patrum teſtimoniis ſupra allatis ſatis, & abunde liquet, atque hæc de prima Bellarmini ratione.

XIV. Secunda ratio hæc eſt: *Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem, tales enim ſunt reſpublicæ bene inſtitutæ: ergo debet habere omnem poteſtatem ad ſuum finem conſequendum: ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas utendi, & diſponendi de temporalibus rebus, quia alioquin poſſent mali Principes fovere hæreticos, & evertere religionem: igitur & hanc poteſtatem habet.*

XV. Reſpondeo primo, retorqueri poſſe a Principibus iſtud argumentum in Papam, & Eccleſiam, ac inde probare ſe poteſtatem habere ſpiritualem, quia alioquin eorum reſpublica foret imperfecta, ſi eis deeſſent vires diſponendi de rebus ſpiritualibus, Pontifices creandi, malos ac improbos deponendi, cum ex religione, & Eccleſiaſtica adminiſtratione ſæpe pendeat reipublicæ tranquillitas.

XVI. Reſpondeo ſecundo, propoſitionem iſtam: *Reſpublica Eccleſiaſtica perfecta eſt, & ſibi ſufficiens*, ambiguam eſſe: duplex enim excogitari poteſt perfectio reipubli-

cæ Eccleſiaſticæ, una, quæ removeat omnia impedimenta ſalutis æternæ, altera quæ contineat quidquid neceſſarium eſt, ut poſſint homines per eam ad ſalutem æternam pervenire; prima perfectio procul dubio non convenit Eccleſiaſticæ reipublicæ, quandiu in terris degit: nam ſi ita eſſet, cur non poſſet animos ad pœnitentiam flectere? Cur non infanti in utero materno exiſtenti, aut homini in inſaniam lapſo indulgere? Cur non omnibus peccata donare poſſet? Quorſum mundus in Eccleſiam concupiſcentiis, terroribus, & blandimentis ſuis graſſaretur? Quorſum perſecutionibus, & hæreſibus infeſtaretur? Uno verbo, cur non omnia amovere poſſet impedimenta, quæ cœlum claudunt? Cur non & omnia, quæ Eccleſiæ pacem, & tranquillitatem perturbant e medio tollere? Patriæ eſt, non viæ iſta felicitas. At Eccleſiaſtica reſpublica ſecundam habet perfectionem, ut ſcilicet habeat omnem poteſtatem neceſſariam ad finem ſuum conſequendum ſuæ poteſtatis reſpectu, non eorum, quæ quomodocumque conducere poſſent ad ſalutem: habet quippe omnem poteſtatem ſpiritualem, qua volentes homines ad cœlum inducat, habet etiam in ſua poteſtate omnia media proportionata ad iſtum finem, verbum nempe divinum, & ſacramenta: at poteſtas temporalis non eſt medium ad ſalutem proportionatum; nam, ut diximus, poteſtas temporalis in corpora extenditur, invitos cogit, atque ob id pœnis corporeis plectit: ſalus autem æterna animarum eſt, non corporum, volentibus tantum, atque ultro, & ſponte ad eam adipiſcendam laborantibus dari poteſt, non autem invitis, & metu pœnarum temporalium ad bonum faciendum adactis.

XVII. „ At, *inquit*, neceſſaria eſt ad „ finem ſpiritualem poteſtas utendi, & di„ ſponendi de rebus ſpiritualibus, quia alio„ quin poſſent mali Principes impune fo„ vere hæreticos, & evertere religio„ nem „.

XVIII. Reſpondeo, non propterea impune Regibus licere hæreticos fovere, & Eccleſiam vexare; nam vindicem ſemper ſive in hac, ſive in altera vita ſentient Deum, & in iſta, ſi Criſtiani ſunt, poſſunt excommunicatione plecti; Religionem vero, & Eccleſiam penitus evertere nunquam poterunt, quia ſemper obſtabit religionis conditor Chriſtus, qui promiſit, portas inferi adverſus eam non prævalituras, ſeque ad conſummationem ſæculi cum ſuis futurum: itaque quandiu erit Eccleſia in terris, tandiu velut navis variis agitabitur tempeſtatibus. Hinc eam tyranni vexabunt, adverſus quos inſurgere minime poteſt; inde eam hæretici perturbabunt erroribus ſuis, nec non improbi ſceleribus commaculabunt, & tamen extra ſinum ſuum iſtos hos in ipſis viſceribus ſuis patienter ferre cogetur, atque hoc ſenſu nunquam erit in terris perfecta. Verumtamen eam neque tyrannorum ſævitia, neque hæreticorum rabies, neque improborum perverſitas unquam evertent.

XIX. Inſtat Bellarminus, & ait: „ po„ teſt quælibet reſpublica, quia perfecta eſt, „ & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare „ alteri reipublicæ non ſibi ſubjectæ, & „ eam cogere ad mutandam adminiſtratio„ nem: imo etiam deponere ejus Princi„ pem, & alium inſtituere, quando non „ poteſt aliter ſe defendere ab ejus injuriis: „ ergo multo magis poterit ſpiritualis re„ ſpublica imperare reipublicæ ſibi ſubjectæ, „ & eam cogere ad mutandam adminiſtra„ tionem, & deponere Principes, atque alios „ inſtituere, quando aliter non poteſt ſuum „ ſpirituale bonum tueri.

XX. Reſpondeo, Bellarminum neque exacte loqui, neque directe ratiocinari: Primum enim falſum eſt, reſpublicas, aut Reges ſibi mutuo imperare poſſe, par enim in parem non habet imperium: ſed contingit nonnumquam, ut Rex, aut reſpublica vicinorum imperiis provocati juſtiſſimis armis ſeſe tueantur, aut illatas injurias ulciſcantur, ex quo nonnunquam fit, ut domitis in pœnam injuriarum ſibi allatarum populis, leges, & dominos pro libito imponant, ſed non eſt par ratio Eccleſiaſticæ, & civilis reipublicæ, ſunt enim diverſi generis, nec poteſt Eccleſiaſtica, aut ſe tueri, aut injurias ſibi illatas ulciſci armis temporalibus, ſed tantum ſpiritualibus, ut late demonſtratum eſt ſupra.

XXI. Urget Bellarminus, atque ut probet

Digitized by Google

bet gladii materialem poteſtatem in Eccleſia eſſe, adducit auctoritatem Bernardi lib. 4. de conſid. c. 3. ubi ex eo loco Evangelii: *duo gladii ſunt hic*, & ex illo: *conde gladium tuum in vaginam, infert, gladium Pontificis eſſe, licet non ejus manu evaginandus ſit, addens utrumque gladium materialem ſcilicet & ſpiritualem eſſe Eccleſiæ; ſed hunc quidem pro Eccleſia, illum & ab Eccleſia exercendum, illum Sacerdotis, hunc militis, ſed ſane ad nutum Sacerdotis, & juſſa Imperatoris.* Ubi duo dicit Bernardus, quæ ſibi favere autumat Bellarminus, prius eſt, gladium materialem eſſe Pontificis, & Eccleſiæ: alterum, hunc nutu, hoc eſt juſſu, & Imperio Pontificis exercendum.

XXII. Reſpondeo primo, locum Evangelii a Bernardo in ſenſum alienum detorqueri, ut agnoſcit ipſe Maldonatus in hunc locum: ſane nullus unquam ante Bernardum ita hunc locum expoſuit. Secundo, negari non poteſt, quin ſenſus iſte a Bernardo excogitatus allegoricus ſit, & myſticus, e quo nihil concluditur. Tertio, dubitanter loquitur Bernardus: *Tuo*, inquit, *forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus*. Quarto, nutus apud Bernardum non ſignificat poteſtatem coactivam, ſed directivam, ſeu conſilium: ſic Bernardum exponunt Joannes de Pariſiis, Antonius de Roſellis, Alvarus, Palagius, & Almaricus; in idem recidit, quod habet Joannes Major, Pontificem habere gladium materialem habitu, non actu, *quia poteſt rogare Principes terrenos, ut ſint ſibi ſubſidio*. Porro nutum apud Bernardum non intelligi imperium, ſed tantum conſilium, ex eo conſtat, quod opponitur juſſui, ſeu imperio Regis, & Imperatoris. Nam apud Bernardum tres ſunt perſonæ, Pontifex, Imperator, & miles, quibus attribuuntur tria reſpectu gladii materialis, Pontifici nutus, Imperatori juſſus, & militi manus ſive executio. Igitur per nutum non intelligit Bernardus imperium, quod vult eſſe Imperatoris, ſed tantum conſilium, admonitionem, & exhortationem: gladium autem dicit eſſe Pontificis, & Eccleſiæ, eo quod debeat pro Eccleſia ad nutum Pontificis, & Imperatoris juſſum exeri. Enimvero tempore Bernardi hæc conſuetudo invaluerat, ut Imperatores, & Reges ad recuperandam terram ſanctam ad nutum Romani Pontificis copias cogerent, atque ad bellum ſacrum proficiſcerentur. Hujuſmodi expeditionum magnus prædicator fuit ipſe Bernardus, & huc ſpectat cum ait, gladium materialem ad Pontificem, & Eccleſiam pertinere, licet non hujus manu ſit exerendus.

XXIII. Denique nutus ille Pontificis, aut poteſtas gladii, de quibus Bernardus agit, Regum depoſitionem minime ſpectant. Nam ex ejus mente tantum abeſt, ut gladius materialis ex nutu Eccleſiæ a milite contra Imperatorem ſtringi poſſit, ut ſine hujus juſſu ſtringi non poſſit.

XXIV. Itaque manifeſte hoc loco Bellarminus abutitur, cum ex eo vult oſtendere, Reges poſſe deponi, regniſque ſpoliari juſſu Romanorum Pontificum.

XXV. Nec enim dicit Bernardus, quod adverſariis probandum eſſet, quod ſi Imperator nolit ad nutum Pontificis gladium ſtringere, aut ſi contra ejus nutum evaginet, tunc poſſe illum a Pontifice deponi, & gladium in eum ipſum exerceri. Hoc, inquam, non dicit Bernardus, imo ſupponit exerendum non eſſe, niſi Imperatoris juſſu.

XXVI. Tertia Bellarmini ratio hæc eſt: Non licet Chriſtianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſim, vel infidelitatem: at judicare an Rex pertrahat ad hæreſim, necne, pertinet ad Pontificem, cui eſt commiſſa cura religionis; ergo Pontificis eſt judicare, Regem eſſe deponendum, vel non deponendum.

XXVIII. Reſpondeo, propoſitionem Bellarmini, ut patet, ſeditioſam eſſe, verbo Dei contrarium, & antiquæ Eccleſiæ adverſam. Seditioſa eſt, quia omnibus ſubditis in Reges ſuos, ſi ſemel ſibi perſuaſerint Reges ſuos a fide deviare, arma ſubminiſtrat proditioni, inteſtinis, & civilibus bellis, ac, quod pejus eſt, occultis in Regum vitam molimínibus viam pandit latiſſimam; verbo Dei contraria, quo ſcilicet jubetur, obediri dominis etiam dyſcolis, & rogari Deum pro Imperatoribus, & Regibus

Digitized by Google

gibus iis, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, reddi quod Cæſaris eſt, Cæſari, eo tempore, quo Imperatores erant Ethnici, & Chriſtianæ religioni infenſi: demum Eccleſiæ antiquæ praxi adverſantur: numquid enim illa Nerones, Trajanos, Diocletianos non toleravit? Numquid Apoſtatæ Juliano? numquid non hæretico Conſtantio, Valenti, aliiſque ſemper patuit? an aliquid in eos molita eſt? Nec dicat Bellarminus, vires Eccleſiæ tum non ſuppetiiſſe; ſuppetebant enim tum longe majores, quam cum Romani Pontifices iſtud in Reges longe minus noxios conati ſunt. Quid quod pro illorum ſalute, & incolumitate quotidie preces tanquam ex officio fuderunt, & propter conſcientiam, non propter iram obedire ſe proteſtati ſunt, ut alte probavimus ſupra. Itaque propoſitio Bellarmini hoc ſenſu accepta, quod non liceat Reges hæreticos ullo pacto tolerare, ita ut oporteat eos dejicere de throno, obedientiam eis negare, alios conſtituere, ſeditioſa eſt, verbo Dei contraria, & antiquæ Eccleſiæ praxi adverſa. Si vero eo ſenſu ſumatur, quod non licet conſentire Regi infidelitatem profitenti, quod oportet eum hortari, arguere, increpare, cum animi patientia, quod etiam nonnunquam utile eſt, cenſuras, & excommunicationes interminari, aut inferre, hoc ſenſu verum eſt, non licere Regem tolerare hæreticum, & impium: ſic Chriſtus Herodem non toleravit, quem ut vulpem redarguit. Herodem item non toleravit Joannes, quem adulterii palam reprehendit. Non toleravit Ambroſius Theodoſium homicidii reum, quem pœnitentiæ ſubjecit, & Eccleſiæ ingreſſu prohibuit: veruntamen non proptera Reges deſinunt haberi pro Regibus; imo dum reprehenduntur eorum flagitia, regia in eis dignitas ac majeſtas ſola in veneratione habetur. Verbo dicam, Regum impietates, & flagitia minime tolerantur, at Reges ipſi propter poteſtatem ipſis a Deo creditam, ac Reipublicæ tranquillitatem tolerantur: ſic Marcellus melius proculdubio, quam Bellarminus bonos Imperatores ſe voto expetere aiebat, qualeſcumque tolerare, apud Tacitum libro 4.

XXVIII. Propoſitionem ſuam confirmare conatur Bellarminus, atque oſtendere Reges Ethnicos, & Hæreticos fuiſſe olim ab Eccleſia toleratos tantum ob defectum virium, primo, quia prohibiti ſunt Judæi Regem eligere, qui non eſſet Judæus, quod præceptum mortale fuit: ac proinde eadem æquitate Chriſtiani tenentur ſibi non conſtituere Reges, niſi Chriſtianos; ergo ſi conſtituti Chriſtianæ religioni deficiant, debent deponi.

XXIX. Secundo, quia primi Chriſtiani ex Apoſtolo 1. Cor. 6. novos Judices temporalium cauſarum conſtituebant. Tertio, quia tolerare Regem hæreticum, & infidelem, conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt religionem exponere evidentiſſimo periculo.

XXX. Reſpondeo, ex iſtarum confirmationum levitate dignoſci quantum Bellarmini propoſitio ſolidis deſtituatur fundamentis. Ad primum dico, præceptum Judæis datum de non habendo Rege, niſi Judæo, non eſſe præceptum naturale, quod ſemper locum habeat, alioquin natura ipſa dictaret non eſſe habendum alium Regem, niſi ſuæ gentis: ſed conſtat, aliquando evenire, ut exteri potius ſint eligendi in Reges, quam ipſius regionis incolæ, unde præceptum iſtud de eligendo Rege Judæo, cæremoniale potius dici debet, aut politicum, quam morale; ſed eſto naturali æquitati convenientius ſit eligere Regem ejuſdem gentis, quam exterum; an proptetea ſi quis electus fuerit, tolerandus non eſt? Hic fallit Bellarminus perſuadere volens idem, eſſe conſtituere Regem, & conſtitutum tolerare: eſto, non debeant in regnis electivis Reges eligi, niſi Chiſtiani; an propterea ſi ſemel electi in hæreſim prolapſi fuerint, dejiciendi ſunt, aut deturbandi? Deinde etſi locum iſtud haberet in regnis electivis, ubi poteſtas regia tota eſt in plebe, aut magnatibus, locum non habet in regnis ſucceſſivis, ubi poteſtas regia non pendet amplius a populo. Denique probaret iſtud argumentum, Regem a populo deponi poſſe, non autem a Papa, aut Eccleſia.

XXXI. Ad ſecundam confirmarionem reſpondeo, Judices iſtos a primis Chriſtianis conſtitutos haud fuiſſe Judices ſæculares poteſtatem coactivam habentes, ſed tantum arbitros, ex quorum conſtitutione nihil detra-

Digitized by Google

detrahebatur juris Romanis Imperatoribus: fatetur ipse Bellarminus, eos non habuisse potestatem coactivam, sed negat arbitros fuisse, quia non eligebantur a partibus, sed a cœtu Christianorum, mihi vero sufficit eos non aliam, quam arbitrorum potestatem habuisse, sive a populo, sive a partibus electi fuerint: at, inquit, obligabantur Christiani, qui causas habebant, eas ad illos deferre, imo id consilii, & perfectionis erat potius, quam præcepti: ut ut sit, obligari non poterant, nisi ex consuetudine, aut lege Ecclesiastica, istos adire sub pœnis tantum spiritualibus, & Ecclesiasticis.

XXXII. Ad tertiam confirmationem respondeo, tolerare Regem hæreticum, aut infidelem, non esse exponere religionem evidentissimo periculo, sed tantum pati religionem esse in periculo, quia ei nisi injuste agendo occurri non potest: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona; quippe cum jure naturali, & divino legitimis Principibus vi, & armis resistere nunquam liceat, aut eos de throno dejicere, ne propter bonum quidem religionis id licebit. At, inquit Bellarminus, quando jus divinum, & humanum pugnant, debet servari jus divinum, omisso humano. De jure autem divino est servare veram fidem, & religionem, quæ una tantum est, non multæ, de jure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus Regem. At, inquam ego, non pugnant ista, servare veram fidem, & religionem, & tolerare Regem hæreticum; nam servari potest religio, & tolerari Princeps infidelis: deinde tam juris est divini Regibus obedire legitimis, quam religionem servare; & quamvis jure humano hic, aut ille Rex constitutus sit, juris tamen divini est, Regi hoc modo constituto obedire, sicut etsi jure tantum humano hoc, vel illud tuum sit, vel meum, juris tamen divini est, tuum non furari: sicut ergo non licet ad bonum religionis furari, perfide agere, patrare parricidia, ita etiam non licet Regem regno spoliare. Denique ista omnia Bellarmini argumenta non probant, Regem a Pontifice posse deponi, sed a populo, quod ab intento Bellarmini alienum est.

XXXIII. Instat denique Bellarminus, cur non potest liberari populus fidelis a jugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem: si conjux fidelis liber est ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando ille non vult manere cum conjuge Christiana sine injuria fidei, ut aperte deduxit ex Paulo 1. Cor. 7. Innocent. in cap. *Gaudemus*. extra de divortiis.

XXXIV. Respondeo primo, dupliciter retorqueri posse hoc argumentum in Bellarminum; primo enim licet conjugi fideli tolerare infidelem, si consentiat infidelis: *Si infidelis*, inquit Apostolus, *consentit habitare cum illa, non dimittat virum*. Ergo etiam licet tolerare Regem infidelem, quod Bellarminus negat. Secundo, non dissolvitur matrimonii vinculum ob apostasiam, & hæresim, sed tantum ob infidelitatem; ergo nec solvitur obedientia Regibus debita ob eorum apostasiam, aut hæresim: igitur argumentum Bellarmini ad summum de infidelibus tantum Regibus aliquid probaret, de iis vero, qui in hæresim, aut apostasiam lapsi sunt, contrarium demonstraret.

XXXVI. Respondeo secundo, in illorum sententia, qui dicunt matrimonium ab infidelibus contractum, uno conjugum ad fidem veniente solvi, vel indissolubile non esse matrimonium ab infidelibus contractum; vel si dicatur indissolubile in hoc casu dispensasse ipsum Dominum per legem a D. Paulo promulgatam; at in lege publica, communi, & divina, de obedientia Regibus debita non dispensavit Christus, quin imo Evangelicum addidit de illa præstanda præceptum, atque ideo dispar est utriusque ratio. Denique si quid probaret istud Bellarmini ratiocinium, probaret, hominem ab obedientia Regi infideli debita, statim atque convertitur ad fidem, eximi, sicut statim atque unus conjugum ad fidem convertitur, vinculum matrimonii dissolvi dicitur.

XXXVII. Quarta ratio Bellarmini ejusmodi est: *Quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, ut regna sua subjiciant Christo, & polliceantur, se Christi fidem servaturos, & defensuros,*

juros, etiam sub pœna regni perdendi: ergo quando sunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia judicari, atque etiam deponi a Principatu.

XXXVIII. Respondeo primo, hujusmodi pactum inauditum prorsus esse, nec in Baptismo, aut inauguratione cujusquam Regis expresse aut tacite factum haberi posse: Reges equidem ad Baptismum accedentes solemni sacramento, sicut & ceteri homines se obstringunt ad fidem Christi servandam, sed sub pœnis tantum spiritualibus, si ab ea defecerint: nullo autem pacto sub pœna depositionis, privationis bonorum, aut alia hujusmodi; deinde etsi Reges forte hujusmodi sacramentum emitterent in Baptismo, vel inauguratione sua: *si a fide defecero, aut Ecclesiam deseruero, regnum, & vitam amittam.* Si quis, inquam, istis usus esset verbis in Baptismo, aut inauguratione, non propterea posset ab Ecclesia deponi, si fieret hæreticus, aut Ecclesiam desereret, quia hæc nihil aliud sunt, quam imprecatio, qua Dei vindictam in caput suum armat, non autem potestatem dat aliis, ut regno privetur.

XXXIX. Quinta, & ultima ratio Bellarmini hæc est: cum Petro dictum est Joannis 11. *Pasce oves meas*, data est ei omnis facultas, quæ necessaria est Pastori ad gregem tuendum; sed Pastori necessaria est potestas triplex. Prima circa lupos, *ut eos arceat omni ratione, qua poterit;* altera circa arietes, *ut si quando cornibus lædant, possit eos recludere:* tertia circa oves reliquas. *Primo lupi sunt hæretici, &c. ergo si Princeps aliquis ex ove, aut ariete lupus fiat, id est, ex Christiano hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul jubere populo, ne eum sequatur, & proinde privare dominio, quod habet in fideles.*

XL. Respondeo, Petrum accepisse triplicem istam potestatem, quoniam ita placet Bellarmino pascendi ovium potestatem distinguere, sed spiritualem, & in ordine ad spiritualia: itaque potuit ipse, possunt & ejus successores lupos, vel hæreticos, & errantes arcere per excommunicationem, sed ab Ecclesia non a societate civili: potest itidem eos privare bonis, & communione in spiritualibus, non autem bonis temporalibus, rebusque jure divino, & naturali debitis, sicut potest oves pascere, sed spirituali tantum pabulo, hoc est, verbo Dei, & sacramentis: quapropter huius argumenti negatur tantum postrema conclusio: *Et proinde privari dominio, quod habet in fideles;* nam licet Pontifex possit Principem hæreticum excommunicatione plectere, licet possit populum admonere, imo & ei jubere, ne hæresim Regis sequatur, non potest tamen Regem privare regno, aut jubere populo, ne ipsi in rebus temporalibus pareat. Hanc certe potestatem pascendi non agnovit in se Petrus, qui Neroni Christianos obedire jussit; nec agnoverunt ejus successores, qui Principibus infidelibus, & hæreticis obedientiam se debere protestati sunt; non agnovit denique universa Ecclesia, quæ verba hæc, *pasce oves meas*, de spirituali tantum potestate, quæ spiritualia sola respiciat, intellexit. Mitto, quod istud argumentum, sicut & alia omnia, non magis probant, Pontifici Romano potestatem esse deponendorum Regum, quam cuivis Episcopo, quod a Bellarmini placitis alienum maxime est.

§. III.

Respondetur rationibus ab exemplis, sive a factis ad jus concludentibus.

ANte omnia observandum est, Theologis omnibus persuasum semper fuisse a facto ad jus raro recte concludi, cum singularia facta sine regula, sine lege præcedenti jus facere minime possint. Unus est Christus, cujus acta totidem sunt documenta, & cujus exempla imitari non tantum possumus, sed & debemus. At quantum ad alios, qui in cathedra Moysis sedent, monuit idem Christus Matth. 24. *Quæ dicunt facite, at secundum facta eorum ne faciatis.* Porro si exempla, & facta in genere ad jus constituendum raro vim habent, nullius certe sunt auctoritatis aut ponderis, quando ea tantum sunt illius partis, cujus interest jus aliquod constitui, reclamante altera, cujus interest non con-

Digitized by Google

conſtitui. Ut enim aliquis longi temporis poſſeſſione jus aliquod uſu capiat, neceſſe eſt, ut ſit poſſeſſor bonæ fidei; talis autem eſſe non poteſt, niſi qui ſub aliquo titulo, ſive vero, ſive apparenti, & nemine reclamante poſſidet, neutrum autem in præſenti negotio contingit; nam Pontifices Romani a Gregorio VII., ſine ullo titulo, ſive vero, ſive apparenti, Reges deponere conati ſunt, & ſententias in eos tulerunt; at ſemper reclamatum eſt, tum ab ipſis Regibus, tum ab eorum ſubditis, tum denique a viris doctrina, eruditione, & pietate præſtantibus. Atque ideo exempla a Bellarmino, ceteriſque allata, ad jus Pontificum in temporalia Regum bona ſtabiliendum haud magni ſunt ponderis: ea tamen nos breviter percurremus, & ex ſingulis nihil omnino probari docebimus.

De excommunicatione Theodoſii.

PRimum, & antiquiſſimum de excommunicatione Theodoſii ad præſens inſtitutum haud pertinere ipſe quoque fatetur Bellarminus, agnoſcens ſe illud non in Barclaium, ſed in quoſdam Anglocalviniſtas attuliſſe, qui negant Principem excommunicari poſſe. Et certe Ambroſius nihil quidquam in regnum Theodoſii, aut Regem ejus tentavit, ſed eum tantummodo ob cædem Theſſalonicenſem aditu Eccleſiæ prohibuit. Nec proprie illum excommunicavit; nam, ut diximus, excommunicatio duplex fuit, mortalis, & medicinalis. Patet autem, Theodoſium neutra proprie excommunicatione fuiſſe perculſum: non mortali, quia facti ſui eum dolebat, ultroque ſe pœnitentiæ ſubjiciebat: nec proprie medicinali, nam pœnitentiæ publicæ laboribus ſubjectus non fuit, & cum ceteris pœnitentibus ad fores Eccleſiæ non ſtetit. Quid ergo? Theodoſium Ambroſius aditu Eccleſiæ, & participatione ſacramentorum per aliquod tempus prohibuit, ut non pauci Chriſtiani tum temporis ob delicta non ita gravia abſtinebantur. Sic in Concilio Eliberitano abſtineri jubentur per aliquod tempus, qui muneribus publicis fuerint defuncti, aut qui per tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerint, non autem pœnitentiæ ſubjici, & proprie excommunicari, ut ceteri graviorum criminum rei. Hujuſmodi pœnæ, qua qui plectebantur, dicebantur abſtenti, nonnunquam aliis etiam in Canonibus aliquot veſtigia cernere eſt, ejuſque non raro mentionem injicit S. Auguſtinus; ſed quidquid ſit, certum eſt, Theodoſium ab Ambroſio limine Eccleſiæ, precibus, oratione, admonitione, non ſententia prohibitum, ultro paruiſſe, necnon aliquandiu ſine communione ſtetiſſe, ac deinde ſponte, & libere publica reſipiſcentiæ ſigna dediſſe, ut reſtitueretur Eccleſiæ: ſic rem refert Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 18. *Imperatori Mediolanum ingreſſo, ac more ſolito ad Eccleſiam venienti obviam proceſſit extra veſtibulum (Ambroſius) & a ſacri liminis ingreſſu eum prohibuit, his verbis: ignoras, ut puto, Imperator, perpetratæ abs te cædis gravitatem, & furore jam ſedato, nondum ratio ſcelus, quod admiſſum eſt, intellexit .... quibus oculis templum communis Domini aſpecturus, quibus pedibus ſanctum ſolum calcaturus, quomodo manus extenſurus, injuſte cæſorum ſanguine ſtillantes, quomodo ſacroſanctum Domini corpus manibus excepturus es? quomodo pretioſum ſanguinem admoturus es ori tuo, qui verbo furoris tui tot hominum ſanguinem injuſte fudiſti. Abſcede igitur, nec poſterioribus factis prius peccatum augere velis. Accipe vinculum, quod Deus omnium Dominus ſuffragio ſuo comprobat, medicabile eſt enim, & ſanitatis reſtituendæ vim habet. His verbis obtemperans Imperator, divinis quippe innutritus oraculis probe norat, quæ Sacerdotum, & quæ Imperatorum eſſent officia, flens ac gemens reverſus eſt in Palatium, longo poſt tempore elapſo, octo enim menſes exceſſerunt, Servatoris noſtri dies advenit.* Narrat deinde, quomodo Imperator eo die ad Eccleſiæ aditum venerit, & ab Ambroſio ſuppliciter ſibi vincula relaxari petierit, ſueritque Eccleſiæ ab illo reſtitutus ea conditione, ut legem ferret, ut ſententiæ de cæde aut bonorum proſcriptione, non ante triginta dierum ſpatium executioni mandarentur. Itaque Ambroſius neque pœnas temporales Imperatori irrogavit, neque ne-

Digitized by Google

catus est, neque Imperatorem, si admonitioni suæ non paruisset, regno privaturus erat; imo cum audisset, eum per vim Ecclesiam ingressurum, eodem referente Theodoreto: *Si regnum flectit in tyrannidem, paratus sum occidi*. Et lib. 5. Ep. 23. ad Theodos. *Causam*, inquit, *contumaciæ in te nullam habeo, sed habeo timoris, offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere*. Itaque hoc unum poterat Ambrosius, si non paruisset Imperator, sed vi in Ecclesiam irrupisset, a divinis cessare sacrificiis. Sic in alia occasione: *Rogamus*, inquit, *Auguste Imperator, non pugnamus, resistere non possumus, sed Ecclesiam tradere non debemus*.

II. Ex eo tamen exemplo Bellarminus ostendere se voluisse ait, *posse Principes Ecclesiasticos non solum in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de temporalibus in ordine ad spiritualia*. Primo, quia causam cædis ab Imperatore imperatæ, tanquam ad suum tribunal pertinentem judicavit. Secundo, quia Imperatori mandavit, ut legem de civilibus ferret.

III. Respondeo, dubium non esse, quin Episcopus possit cognoscere de crimine Principis in foro interno Ecclesiastico, & illud punire pœna Ecclesiastica, imo & sub pœna Ecclesiastica jubere, ut hoc vel illud emendet, hoc vel illo modo de bonis disponat. Ubi enim temporalis res cum manifesto aut facto, aut peccato conjuncta est, tunc illa ratione peccati Ecclesiasticæ est notionis, non ut absolute de ea disponat Ecclesia, sed ut moneat hanc, aut illam actionem Dei lege non licere, ut verbi causa decernere duello, usuras exercere: ac præterea deliquentes Ecclesiasticis pœnis coerceat, non temporalibus: quia hæ scilicet in solius Magistratus potestate sunt. De temporalibus igitur agi potest in foro Ecclesiæ, sed spiritualiter, & in ordine ad spiritualia, quatenus adjunctam habent bonitatem, vel malitiam moralem. Itaque potuit Ambrosius Theodosium ob cædem Thessalonicensem, quæ manifestum erat peccatum objurgare, reprehendere, excommunicare; potuit etiam ei sub pœna excommunicationis, & retentionis peccatorum mandare, ut legem ferret, quæ ejus furori deinceps obviaret. Non potuit autem aliam pœnam in eum, si parere noluisset, irrogare. Deinde vero Ambrosius causam illam non egit in foro contentioso Ecclesiastico coram Presbyterorum, aut Episcoporum Concilio, sed ad fores Ecclesiæ oratione potius, & exhortatione, quam sententia, & judicio. Quod vero spectat ad mandatum de lege promulganda, responderi primo posset, non omnino certum videri, utrum lex illa hac occasione facta fuerit, quippe illa data legitur, tum apud Cassiodorum, tum in utroque Codice, ubi extat Antonio, & Siagrio Coss. octo annis ante cædem Thessalonicensem sub Gratiano, & Valentiniano; quapropter vel lapsus est Theodoretus, dum dixit illam legem hujus cædis occasione latam fuisse, vel saltem ea lex prius a Gratiano lata, a Theodosio tantum tunc est renovata: ut ut sit, hoc non arguit in Episcopis supremam potestatem de temporalibus disponendi, aut cogendi Reges pœnis temporalibus ad leges quaslibet ferendas, ut inde inferre vult Bellarminus, sed tantum probat Episcopo, & Presbytero potestatem esse indicendi etiam Regibus sub pœna retentionis peccatorum, ut remedia, quæ ad ea sananda necessaria esse duxerint, adhibeant. Necessariam autem putabat Ambrosius legem in remedium furoris Imperatoris, necnon ad conversionis indicium, quapropter potuit ei sub pœna absolutionis non consequendæ imperare, ut legem istam ferret, cum præsertim nova non esset, sed antea promulgata; at imperite inde inferretur licere Pontificibus mandare Regibus omnibus sine ordine ad pœnitentiam, ut has, vel illas leges civiles ferant, &, nisi paruerint, eos non tantum excommunicationibus plectere, sed, & regnandi jure privatos decernere. Mitto, quod totum istud exemplum Theodosii, si quid probaret, probaret sane, Episcopos omnes id juris in Reges habere, quod Curiales Romani procul dubio nollent.

De

De Privilegio Sammedardenſi, aliiſque ſimilibus.

POſt Theodoſii tempora nullum antiquius monumentum habent adverſarii, quod opponant, quam privilegim, quod a S. Gregorio I. Monaſterio ſancti Medardi indultum eſſe dicitur. Nam excommunicationem Arcadii Imperatoris, & Eudoxiæ ab Innocentio I. quam nonnulli opponebant ex Nicephoro lib. 13. c. 34. commentitiam eſſe jam conſtat apud omnes, itaque hac miſſa, de privilegio ſancti Medardi breviter dicemus. In eo poſt multa, & extraordinaria privilegia Abbati Monaſterii Sammedardenſis conceſſa in eos, qui illa violaverint, hæc ſubjiciuntur: *ſi quis Regum, Antiſtitum, Judicum, & quarumcumque ſæcularium perſonarum hujus Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis Decreta violaverit, & cujuſcumque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur, &c.*

II. Reſpondeo, privilegium hoc eſſe ſubditicium, & ab aliquo recentiore Gregorio affictum, ut concedunt jam eruditi omnes, & invicte ab eruditiſſimo viro Launoio demonſtratum eſt. Primo enim nullus eſt MS. Codex Epiſtolarum Gregorii ante quingentos annos editus, ubi privilegium Sammedardenſe occurrat; recentiores vero vel nulli, vel pauci ſunt, qui illud repræſentent; non habent illud MSS. Codices, qui ſequuntur, MS. Codex Monaſterii ſancti Audoeni Rhotomagenſis 2. MS. Carmelitarum Pariſienſium, item Ciſtercienſis, MS. Cluniacenſis, Corbeienſis, Geneſecenſis, Lyrenſis, Moſciaſenſis, ſancti Petri Carnotenſis, Pratellenſis, S. Remigii Rhemenſis, Codex MS. Puteanus in Bibliotheca Regia, Codex Bibliothecæ Sorbonicæ, Codices duo MSS. Bibliothecæ Tellerianæ, Codex MS. Thuanæ, Codices antiquiores MSS. Bibliothecæ Victorinæ, nam in alio recentiori ibidem reperitur. Cum primum vero Codex ille Lutetiæ editus eſt anno 1508. privilegium illud in Archiviis Sammedardenſium ad calcem lib. 2. tanquam aliorum opus eſt rejectum, atque hunc locum retinuit, donec Romæ edita ſunt opera Gregorii ſub Sixto V. quo tempore ad lib. 2. Ep. revocatum eſt, & inter Ep. 38., & 39. interpoſitum.

III. Secundo, nullam hujus privilegii mentionem facit Diaconus exſcriptor vitæ ſancti Gregorii, etſi ſe dederit occaſio cum lib. 3. c. 1. de reſcripto Gregorii ad Brunichildem, & Thodebertum Regem Galliæ mentionem facit, nullam item Greg. VII. qui in Ep. ad Herimannum Metenſem, ubi laudat privilegium Xenodochii Auguſtodunenſis eidem Gregorio attributum ad probandam abdicationem Henrici IV. de hoc vero Sammedardenſi privilegio, quod ejus propoſito longe magis faviſſet, omnino ſilet.

IV. Tertio, ſtylus hujus privilegii alienus a ſtylo Gregorii, & recentius ævum ſapit; ridicula inſcriptio ei præfixa eſt, qualem nunquam habet Gregorius. In eo poſſeſſiones, & villæ vocantur Manſi, fundi, Regii fiſci, ſanctus Medardus, Dominus Medardus, quæ omnia ſunt ævi Gregorio multum recentioris. Succeſſorum itidem nomen ibi ſæpe occurrit, quod ante Dagoberti tempora non erat in uſu.

V. Quarto, multa continet hoc privilegium falſa, qualia ſunt Monaſterium S. Medardi olim dictum fuiſſe Monaſterium ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & beatorum Petri, ac Stephani; patet enim ex Gregorio Turonenſi lib. de glor. Conf. cap. 95. lib. 4. Hiſt. Franc. 19. Fortunato lib. 4. de vita Martini, & ab ipſo Gregorio ſæpe, & aliis, nunquam aliter dictam hanc Eccleſiam, quam ſancti Medardi Baſilicam, quam tempore Gregorii Monaſterium fuiſſe probari minime poteſt.

VI. Quinto, ſubſcriptiones *νοθεῖαι* hujus inſtrumenti ſtatim produnt. Subſcribunt ei Alexandrinus, & Carthaginenſis Antiſtites, ad quos res iſta quid pertinet? Numquid illi Romam veniſſent, ut Monaſterii Gallicani, & ne quidem de nomine ſibi noti privilegio ſubſcriberent? Subſcribunt item duo Portuenſes Epiſcopi, unus Gregorius, alter Felix nomine, Eutherius Arelatenſis ſubſcribit, qui tunc Arelate non præſidebat, ſed Virgilius: Ætherius vero, non Eutherius Lugdunenſis erat, non Arelatenſis Epiſcopus. Auguſtinus Cantuariorum, & Mele-

Digitized by Google

tius Londaniæ Episcopi subscribunt, qui tum nondum erant Episcopi: subscribit nescio quis Satellius Burdegalensis, cujus nulla alibi memoria, imo tum florebat Burdegalæ Episcopus Gundegisilus. Flavius Rhemensis, cujus subscriptio quoque legitur, ante hæc tempora Rhemorum Episcopus fuit juxta Fortunatum, & Concilio Arvernensi anno 535. subscripsit. Denique post Episcopos subscribit Rex Theodoricus, qui nondum Rex erat, vivente adhuc Childeberto Patre.

VII. Sexto, datum dicitur istud privilegium 7. Kalendas Junii anno ab Incarnatione Domini 594. Indictione 11. hæc autem Indictio non in annum 593. incidit.

VIII. Septimo, privilegia his indulta Abbati Sammedardensis Monasterii, & fastuosa illa verba in Reges longissime absunt a genio, & mente sancti Gregorii.

IX. Demum, anno 1131. nondum fuisse confectum istud privilegium, colligitur ex Chronico S. Medardi, ubi notatur Innocentium II. Papam tunc Odonem Abbatem hujus Ecclesiæ consecrasse, invito, & contendente Episcopo Suessionensi Josseno, & postea Basilicam S. Medardi de novo consecrasse. Quod si privilegium Gregorii tum notum fuisset, protulissent illud Monachi Sammedardenses, nec contradixisset Josseus Suessionensis.

X. Quæ cum ita sint, non videtur multum laborandum in explicanda formula, quæ subjicitur: *Si quis vero Regum &c. honore suo privetur*. Nihilominus tamen hæc non astruunt, Gregorium sibi usurpasse Regum deponendorum potestatem; quis enim non statim intelligat, hæc verba imprecantis potius esse, quam imperantis; ita ut significent tantum optare Gregorium, ut Reges, qui privilegium a se datum violaverint, Deum vindicem habeant, & regno suo priventur. Quod genus imprecationis nunc addi solet extremis Bullarum, & Constitutionum verbis: *Si quis hoc attentare præsumpserit, indignationes omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum incurrat, vel incursurum se sciat*. Imprecandi formulæ pares inveniuntur in Concilio Toletano IV. c. 75. & VI. c. 111., nec non VII. c. 1. ac demum VIII. c. 10. & aliis in locis. Alium vero sensum non posse habere verba privilegii hujus, ostendunt sequentia: *Omnium maledictionum anathemate, quibus infideles, & hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur*. Quæ verba non possunt esse jubentis, cum Pontifex non habeat potestatem homines damnandi, & his vel illis inferni pœnis afficiendi, sed necessario sunt hominis divinam vindictam imprecantis. Idem dicendum de istis, *honore suo privetur*, divina scilicet vindicta, non Pontificis jussu. Adeo enim, ut vidimus, ab ea crudelitate fuit alienus Gregorius, ut noluerit in cujusquam hominis mortem consentire ad Longobardos religionis, & Sedis suæ hostes delendos.

XI. Eodem modo explicanda est similis formula, quæ in privilegio Xenodochii Augustodunensis reperitur his verbis concepta: *Si quis Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque sæcularium hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis suæ, honorisque dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat*. Tres extant Epistolæ, in quibus istud privilegium cum ista imprecatione reperitur lib. Ep. XI. Epistolis 10. 11. & 12. verum istud quoque privilegium licet a Gregorio VII. laudetur, atque ideo Sammedardensi sit antiquius, Gregorio tamen suppositum videtur: primo enim privilegium istud tam varie habétur, ut intelligi possit illud vel esse suppositum, vel interpolatum. Aliquibus in Codicibus una tantum Epistola habetur, in aliis duæ, in paucis tres. In prima Epistola ad Senatorem privilegium dicitur Xenodochio concessum. In 2. ad Thessaliam dicitur esse sanctæ Mariæ in urbe Augustodunensi. In tertia ad Luponem dicitur privilegium Ecclesiæ sancti Martini in suburbano Augustodunensi, quis hæc secum conciliet? Secundo, Joannes Diaconus Actorum sancti Gregorii diligens Collector horum privilegiorum non meminit. Tertio, privilegia cetera a Gregorio concessa isti dissimilia maxime sunt, sive quoad res, ac præcipue quod istam clau-

Digitized by Google

clauſulam, quæ nullibi reperitur. Quarto, pœna hæc comminatoria minus convenit Gregorii modeſtiæ in Reges, imo abſurda eſt, & injuſta: quis dicat Reges regno privandos eſſe ob violatum hujuſmodi privilegium? non eſt ergo veriſimile hujuſmodi privilegium a B. Gregorio indultum eſſe.

XII. Veruntamen ad privilegii hujus γνησιότην aſtruendam multa moliuntur adverſarii. Primo Gregorii VII. qui illud profert, auctoritatem venditant, deinde Flodoardum adducunt, qui lib. 3. Hiſt. Rhemenſis mentionem facere videtur alterius privilegii ad inſtar hujus conceſſi; addunt referri hanc ipſam clauſulam in vita ſancti Hugonis Auguſtodunenſis apud Andream du Cheſne tom. 3. ſcript. Galliæ. Quibus accedit omnium MSS. Codicum auctoritas.

XIII. Reſpondeo, his momentis probari quidem hoc privilegium ante Gregorium VII. eſſe confectum, at non oſtendi illud Gregorii I. genuinum opus eſſe, cum nullus ſcriptor ei æqualis aut ſuppar illud laudarit, aut Gregorio I. tribuerit. Deinde vero fieri potuit, ut aliquod privilegium fuerit Auguſtodunenſi Eccleſiæ conceſſum a Gregorio, ſed quod poſtea interpolatum eſt. Id veriſimile facit varietas MSS. in hoc privilegio referendo. Nec movere quemquam debet MSS. conſenſus, cum enim olim libri a Monachis pluribus uno dictante conſcriberentur, hinc factum eſt, ut in plures MSS. Codices eadem interpolatio permanaret. Sed quidquid ſit de Auguſtodunenſis privilegii, atque hujus clauſulæ ῥήσεως, dici non poteſt hanc alium habere ſenſum, quam imprecatorium. Docent id verba, quæ ſequuntur allata: *Et niſi vel ea, quæ ab illo male ablata ſunt, reſtituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, ac Domini noſtri Redemptoris Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.* Nonne his verbis Gregorius ſatis oſtendit nullam aliam præter excommunicationis pœnam ab Eccleſia infligi poſſe, ceteras a Dei vindicis ira expectandas? Mitto, quod imprecatio iſta tam reſpicit ſummos Pontifices, qui nomine ſacerdotum comprehenduntur, quam ipſos Reges; ſed illos deponi aut honore privari a quoquam poſſe, præterquam a Deo nolunt adverſarii, niſi forte in caſu hæreſeos: viderint ergo ipſi, quomodo hoc privilegium explicent.

De depoſitione Vambæ Regis Hiſpaniarum.

IN exemplum depoſitionis Regum adducitur a nonnullis Vambæ Regis Hiſpaniarum depoſitio, & Eruigii in hujus locum electio, quæ a Concilio Toletano XII. confirmata eſt: rem ſic refert Lucas Tudenſis in Juliano Toletano: *Tempore beatæ memoriæ Cindanfiundi Regis ex Græcia venit vir quidam nomine Andabatus Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore ſuo expulſus eſt in Hiſpaniam, quem Recentiuntus Rex magnifice ſuſcepit, & ei in conjugium conſobrinam ſuam dedit. Ex quo conjugio natus eſt ei filius nomine Eruigius, qui cum eſſet in Palatio regio enutritus honore Comitis ſublimatus, elatus ſuperbia callide adverſus Regem Vambam excogitavit, & potionem lethiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit: cumque Epiſcopus civitatis, & optimates Palatii, qui erant fideles Regis, quos potionis cauſa latebat, vidiſſent Regem jacentem abſque memoria, cauſa pietatis commoti, pœnitentiam volentes ei præficere, unctionem ſancti Olei, & Communionem Chriſti Corporis obtulerunt; ſed factum eſt, ut Rex a potione liberatus etiam præſciens, quod ille extremæ unctionis Epiſcopus peregerit Sacramentum, in Monaſterium perrexit.* Addit Concilium Toletanum, Eruigium ab ipſo Vamba ſcripto Regem eſſe deſignatum, datumque ab iſto in mandatis Juliano Toletano Epiſcopo, ut illum ungeret in Regem.

II. Ex hac narratione liquet, Vambam Regem non a Pontifice, non a Concilio fuiſſe depoſitum, ſed eum ultro regno ſe abdicaſſe, & Eruigium elegiſſe, quanquam malis profecto artibus, dataque illi potione, quæ mentem ejus perturbaret, hunc ab eo conſenſum extorſit. Concilium porro Toletanum XII. convocatum minime eſt ad deponendum Vambam, aut eligendum Eruigium, ſed cum congregatum eſſet, juſſit Eruigius renuntiationem Vambæ, electionem-

Digitized by Google

nemque ſuam ab Epiſcopis examinari, atque confirmari. Nam initio Synodi Eruigius ſe jam regem eſſe profitetur ita Epiſcopos alloquens: *Unde*, inquit, *licet ſublimationis noſtræ primordia paternitati veſtræ opinabili ratione non lateant, quibus clara divinorum Judiciorum diſpoſitione præventus, & regnandi conſcenderim ſedem, & ſacroſanctam Regni perceperim unctionem, nunc tamen melius id poteritis, & ſcriptorum relatione cognoſcere, & promulgationis veſtræ ſententiis promulgare. Ut ſicut ſedem regni noſtri primordia conventus veſtræ ſanctitatis compererit divinitus ordinata, ita & orationum ſolamen impendat, & ſalubrium conſiliorum nutrimenta impertiat: quo ſuſceptum regnum ſicut jam veſtris aſſenſionibus teneo gratum, ita veſtrarum benedictionum perfruatur definitionibus conſecrandum, ut innovatio quodammodo noſtri videatur imperii hæc numeroſitas veſtri ordinis aggregati.* Non petit ergo a Concilio Eruigius, ut conſtituatur in Regem, & deponatur Vamba; ſed tantum ab Epiſcopis conſilium, benedictiones, & adjumentum petit ad regendum regnum, quo jam propter abdicationem Vambæ fruebatur, atque ut iſtam Vambæ renuntiationem examinent, promulgent, & approbent; nec aliud quid arrogavit ſibi Concilium, cujus hæc fuit ea de re ſententia cap. 1. t. Conc. 6. p. 1225. „ Etenim „ ſub qua parte, vel ordine ſereniſſimus „ Eruigius Princeps regni conſcendens cul„ men, regnandique per ſacroſanctam un„ ctionem ſuſceperit poteſtatem, oſtenſa nos „ ſcripturarum evidentia edocet, in quibus, „ & præcedentis Vambæ Principis pœniten„ tiæ ſuſceptio noſcitur, & translatus re„ gni honor in hujus noſtri Principis no„ mine derivatur. Idem enim Vamba cum „ inevitabilis neceſſitudinis teneretur eventu, „ ſuſcepto religionis debito cultu, & vene„ rabili tonſuræ ſacræ ſignaculo, mox per „ ſcripturam definitionis ſuæ, hunc mili„ tem Dominum noſtrum Eruigium poſt „ ſe prælegit regnaturum. Vidimus intui„ tu prælucente, perſpeximus huius præmiſſi „ ordinis ſcripturas, id eſt, notitiam manu „ ſeniorum Palatii roboratam, coram qui„ bus antecedens Princeps, & Religionis „ cultum, & tonſuræ ſacræ adeptus eſt ve„ nerabile ſignum. Scripturam quoque de„ finitionis ab eodem editam, ubi glorio„ ſum Dominum poſt ſe Regem fieri ex„ optat, aliam quoque informationem jam „ dicti viri in nomine honorabilis, & ſan„ ctiſſimi fratris Juliani Toletanæ Sedis „ Epiſcopi, ubi eum ſeparavit pariter, & „ inſtruxit; ſub omni diligentia jam do„ ctum dominum noſtrum Eruigium in „ regno ungere deberet . . . quibus omni„ bus approbatis, atque perlectis dignum „ ſatis noſtro cœtui viſum eſt, ut prædi„ ctis definitionibus ſcripturarum noſtro„ rum omnium confirmatio apponatur, ut „ qui ante tempora in occultis Dei judiciis „ præſcitus eſt regnaturus, nunc manifeſto „ in tempore generaliter omnium ſacerdo„ tum habeatur definitionibus conſecratus; „ & ideo ſoluta manus populi ab omni „ vinculo juramenti, quæ prædicto viro „ Vambæ dum regnum ejus teneret alli„ gata permanſit. Hunc ſolum ſereniſſi„ mum Eruigium Principem obſequutura „ grato ſervitii famulatu ſequatur, & libe„ ro, quem & divinum judicium in regno „ præelegit, & deceſſor Princeps ſucceſſo„ rem ſibi inſtituit, & quod ſupereſt, quem „ totius populi amabilitas exquiſivit. Ecce tres cauſas, propter quas regnum ad Eruigium pertinere declaratur, propter divinum judicium, prædeceſſoris electionem, populi conſenſum, non propter Pontificis Romani, aut Epiſcoporum judicium. Quid ergo faciunt Epiſcopi re mature diſcuſſa? declarant Eruigium pro Rege habendum eſſe, utque illi pareatur ſub pœna anathematis præcipiunt. Verum non ſibi propterea arrogant Vambæ deponendi, aut alicujus alterius Regis eligendi poteſtatem. Deinde vero cum Reges Viſigothorum electione ad regnum pervenirent, Epiſcopi vero in electionibus hujuſmodi magnam haberent auctoritatem, haud mirum ſi Eruigius electionem ſuam a Concilio confirmari voluit: adde quod huic conventui præter Epiſcopos, aderant omnes Palatini; ita ut Concilium iſtud loco Comitiorum regni haberi poſſit. Nemo autem dubitat, quin in regnis electivis, ſi Rex ſponte regno ſe abdicet, idque in alium transferat, confirmanda ſit ejus electio a regni primoribus, inter quos Epiſcopi

Digitized by Google

ſcopi non ultimum obtinent locum.

De Gregorii ſecundi excommunicatione adverſus Leonem Iſaurum.

GRegorii ſecundi in Leonem Iſaurum molimen ad propoſitum magis videtur pertinere; ſic illud nobis obiicit Bellarminus: quintum exemplum Gregorii II. *qui Leoni Iſauro a ſe excommunicato probibuit vectigalia ſolvi ab Italis, & proinde ea parte imperii mulctavit, imo &, ſi nonnullis credere volumus, univerſo ipſum imperio dejecit.*

II. Reſpondeo, recentiores Græcos ſcriptores in odium Romani Pontificis hoc confinxiſſe, cum contrarium conſtet tum ex Epiſtolis ipſius Gregorii II. tum antiquioribus ac fide dignioribus Hiſtoricis.

III. Primo enim in Epiſtolis Gregorii nullum hujus in Leonem judicii veſtigium occurrit, imo ita eum alloquitur, ut perſuadeat ſe maxime alienum eſſe ab huiuſmodi conatu: precibus tantum, exhortationibus, ac monitis litteras implet, & diſerte teſtatur; ſe nihil poſſe in ejus regnum, ſic loquitur Epiſt. 1. ad eum ſcripta: *Te obteſtamur, ut arrogantiam deponas, & ſuperbiam, qua circumfluis, multaque cum humilitate ſincere aures nobis accommodes*: Et poſt alia: *teſtis eſt Deus, quaſcumque ad nos miſiſti Epiſtolas auribus, cordibuſque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum ac benevolentiam tibi conciliantes, teque laudantes, ac mirifice offerentes ..... Quod ſi nobis inſultes, & minas intentes, non eſt nobis neceſſe longum in certamen deſcendere, ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex, tu vade, & ventos perſequere.* Et Ep. 2. teſtis eſt, ſe non magis poſſe in Palatium introſpiciendi, aut dignitates regias deferre, quam Imperator habeat poteſtatem introſpiciendi in Eccleſiam, & electiones in Clero peragendi. Additque ſibi non licere arma movere in eum, ſed tantum tum precibus divinum auxilium implorare: *Perſequeris nos*, inquit, *& tyrannice venas militari, carnalique manu, nos inermes ac nudi, qui terrenos, & carnales exercitus non habemus; invocamus Principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in cœlis, ut immittat ſibi dæmonem, (ſicut ait Apoſtolus) tradere hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus fiat.* Siccine loqueretur Gregorius, ſi ſe, alioſque Italos ab Imperatoris obedientia ſubtraxiſſet, aut vectigalia ei ſolvi prohibuiſſet, aut ſaltem id facere in animo habuiſſet? An credibile eſt, eum, qui tam clare proteſtatur ſibi non eſſe poteſtatem introſpiciendi in Palatium, aut regias dignitates deferendi, exiſtimaſſe ſibi poteſtatem eſſe privandi Imperatorem regno, & vectigalibus ipſis debitis.

IV. Secundo, Carolus Magnus in Epiſtola ad Conſtantium, & Irenem, diſſidii inter Gregorios II., & III., ac Leonem mentionem faciens, teſtis eſt, iſtos Pontifices precibus tantum apud Imperatorem imagines defendiſſe: *Neque*, inquit, *aliter fiebat in partibus, & regionibus iſtis, donec proavus veſter ex imperiorum quorumdam inſtructione venerandas imagines abſtulit, ex quo tempore magnus error Græciam iſtam invaſit, unde non contemnendum ſcandalum in mundo factum; qua de cauſa in magnam tribulationem uterque Gregorius Romani Pontifices per ea tempora contecti ſunt, ſæpius enim proavum ſerenitatis veſtræ admonuerat, ne ſineret venerandas imagines deſtatu ſuo dejici: verum illorum preces ſalutiferæ nequicquam fuſæ ſunt, animamque illius haud quidquam commoverunt.*

V. Tertio, Paulus Diac. lib. 6. de geſtis Longobard. c. 49. refert Gregor. II. impediviſſe, ne Itali alium ſibi Imperatorem crearent, eo rejecto. Tantum abeſt, ut ei vectigalia ſolvi vetuerit, & ſic eum imperii parte mulctarit: *Omnes*, inquit hic ſcriptor, *Ravennæ exercitus vel Venetiarum talibus juſſis* (Imperatoris edictis de ſubvertendis imaginibus) *reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.* Eadem habet Regino lib. 1. Chron.

VI. Quarto, Anaſtaſius Bibliothecarius ad ann. 658. fuſe narrans ea, quæ in diſſidio Greg. II. & Leonis Iſauri ſunt geſta, nihil habet de excommunicatione Imperatoria, multo minus de vectigalium ſubtractione juſſu Pontificis. Imo diſerte ait, Gregorium Italos in officio, & Imperatoris obedientia continuiſſe: *Juſſionibus,*

Digitized by Google

nibus, inquit, *missis decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet Sancti, aut Martyris, aut Angeli ubicumque haberetur; maledicta enim omnia afferebat, & si acquiesceret in hoc Pontifex gratiam Imperatoris haberet, & si hoc fieri præpediret a suo gradu decideret. Respiciens ergo pius vir profanam Principis prohibitionem, jam contra Imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens hæresim ejus, scribens ubique cavere se Christianos, eo quod orta fuisset impietas talis. Igitur perinde omnes Ravennæ, atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris jussionem restiterunt, nunquam se ejus Pontificis condescendere neci . . . . . Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, & Constantinopolim ducerent, sed compescuit tale consilium Pontifex:* Et post alia: *Cumque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum optimatibus Romæ, agnita crudelissima insania, protinus ipsum Patricium missum occidere voluerunt, nisi defensio nimia Pontificis præpedisset: & postea blando omnes sermone, ut in bonis proficerent actibus, & in fide persisterent, rogabat, sed ne desisterent ab amore, & fide Romani Imperii admonebat.* Narrat deinde Bibliothecarius, quomodo Gregorius Longobardorum Regem Luitprandum bellum cum Exarcho adversus Spoletanum, & Beneventanum molientem, istis ad deditionem compulsis, ad pacis consilia revocarit; ac quemadmodum deinceps Tiberio cuidam cognomento Petasio, qui Imperatoris sumpserat insignia, restiterit, & exercitum ad eum capiendum adjuverit: demum addit, *Imperatorem Romani Pontificis obsequiis, & monitis nihil immutatum, Germanum sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistitem, eo quod ei consensum præbere noluisset, Pontificatu privasse, sibique complicem Anastasium Presbyterum in ejus loco constituisse. Missa Romam Synodica dum tali hæresi consentientem eum reperiret vir sanctus, non censuisse confratrem, & consacerdotem solito vocari. Sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam fidem converteretur, etiam extorrem a sacerdotali officio esse mandavit, Imperatori quoque suadens salutaria, ut a tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.* Hæc Anastasius; ex quibus patet primo, Gregorium II. Leoni Isauro semper obsequentissimum fuisse, quamvis ab eo insidiis peteretur. Secundo, eundem Pontificem illi auxilio fuisse, ut Italiam retineret. Tertio, eum admonitionibus ac præceptis suis cunctos in officio continuisse. Quarto, jussisse illum ut Imperatoris equidem Decretis de abolendis imaginibus non parerent, quia contraria erant religioni, sed vetasse, ne propterea Imperatoris jugum excuterent. Quinto, eum longe aliter se gessisse erga Anastasium, & aliter erga Leonem Imperatorem, atque illum litteris suis sacerdotali officio extorrem pronuntiasse, in Imperatorem vero nihil simile tentasse, sed tantum ei per littteras consuluisse, ut ab evertendis imaginibus cessaret. Denique Leonem Isauricum a Gregorio II. non fuisse de throno dejectum, & imperii parte spoliatum, argumento est Gregorii III. ejus successoris vita ab eodem Anastasio conscripta; nam Gregorius III. Leonem Imperatorem agnovisse, & ad eum humanissimas legitur scripsisse litteras, in quibus Imperatorem inter eos non recenset, quos a communione corporis, & sanguinis Domini alienos esse pronuntiat, quod fecisset proculdubio, si excommunicatus a prædecessore suo fuisset pronuntiatus. Quid quod ipse Gregorius III. Epistolas suas annis imperii Leonis consignat, ut Ep. ad Bonifacium, imperante Domino piissimo Augusto Leone, imperii ejus anno 23. qui clarius poterat, & disertius ille adversariorum fabulam disjicere? Huc quoque accedit Damascenus, qui orat. de imaginibus rerum a Leone adversus imagines gestarum mentionem faciens, non refert, eum aut regno privatum fuisse, aut excommunicatum a Romano Pontifice, quin imo eum pro Rege agnoscit, eique vectigalia solvenda esse affirmat: *Paremus*, inquit, Imperatorem alloquens, *tibi Rex in iis, quæ ad vitæ civilis negotia pertinent, ut in tributis, vectigalibus, & congiariis solvendis, quorum tibi quantum ad vos spectat, munus est creditum, & demandatum. At*

in

Digitized by Google

in Ecclesiasticis rebus statuendis habemus Pastores, qui nobis locuti sunt verbum, & leges, atque instituta Ecclesiastica tradiderunt.

VII. Opponit Bellarminus Theophanem, Cedrenum, Zenonem, Nicephorum, & cum istis recentiores Latinos, qui scribunt, Leonem excommunicatum esse a Gregorio II., & exactione tributorum Italiæ privatum. Verum quis non videat, majorem fidem habendam esse ipsi Gregorio, Paulo Diacono, Anastasio, & aliis scriptoribus a nobis laudatis, qui & antiquiores sunt, & fide digniores, quam istis, qui ab adversariis laudantur. Nam Græci præterquam quod citatis a nobis auctoribus recentiores sunt, & rerum in Occidente gestarum non ita gnari, *in odium, atque invidiam Romanæ Ecclesiæ jacturam Occidentalis Imperii in Romanum Pontificem retorquere soliti sunt*, ut observat Baronius, *ad commovendos tum Imperatorum, tum aliorum animos in Romanam Ecclesiam*. Ac proinde illis nulla, aut modica fides hoc in negotio est adhibenda; recentiorum vero Latinorum auctoritatem, qui ipsos secuti sunt, ego nihil moror, cum non aliunde quam ab ipsis id hauserint.

VIII. Deinde vero isti scriptores non dicunt Leonem regno, aut regni parte privatum fuisse, sed tantum auctorem Italis fuisse, ne illi vectigalia penderent: unde non sequitur, Gregorium existimasse Leonem ob hæresim imperio excidisse; cum propter alias causas potuerit denegari tributum, præsertim vero quia illo opus habebant ad sui defensionem adversus Longobardos. Haud tamen crediderim Gregorium id fecisse, sed potius Italos ne tributum Imperatori penderent, Gregorium auctorem prætendisse, & excommunicatione generatim ab eo in omnes, qui violarent imagines in Synodo lata, usos esse, ut jugum Imperatoris excuterent; atque hinc apud Græcos manasse, Romanum Pontificem Imperatorem anathemati obstrinxisse, atque Italos inhibuisse, ne vectigalia Leoni penderent; nam, ut probatum est ex auctoribus fide dignissimis, Gregorius II. quantum potuit, Italos in officio continuit. Nec est, quod Bellarminus dicat, *eum primum equidem per multos annos restitisse populis Italicis cupientibus ab Imperatore deficere: sed postea ubi vidit Imperatorem deteriorem fieri, Imperatorem e cœtu piorum ejecisse, ac jussisse, uti ei tanquam impio populi non parerent, nec vectigalia deinceps penderent.* Non est, inquam, quod ita putet Historicos posse conciliari; nam Theophanes, & Cedrenus defectionem Italorum jussu Pontificis factam narrant anno Leonis IX. quo tempore Anastasius narrat, Pontificem obstitisse, ne jugum Imperatorum excuterent. Deinde Anastasius rem prosequitur usque ad finem, & tamen istius excommunicationis, aut interdicti non meminit, sed constantem semper in obedientia Græcorum repræsentat. Denique successor Gregorii II. Leonem usque ad finem vitæ Imperatorem agnovit, & piissimi cognomine pro more decorare non dubitavit. Ex dictis jam constat Gregorium nihil tentasse in Imperatoris jura, aut vectigalia, sed etiam si quid tentasset, ejus factum non esset trahendum in exemplum, cum sit contra Evangelii legem, quæ jubet reddi, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo;* adversus quam veritatem nemo præscribere potest, *non privilegium temporum, non spatium regionum, non patrocinia personarum.* Quapropter quantum volent, usurpata a Pontificibus in Regum temporalia potestatis exempla congerant adversarii, quot volent, hujus opinionis patronos proferant, hoc responsum accipient: *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si Doctor, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem poterunt obtinere: ex personis probamus fidem, an ex fide personas?*

IX. Hic vero subjungendum foret factum Germani, quem Henricus Antisiodorensis Monachus lib. 1. de miraculis c. 55. narrat Britannorum Regem deposuisse, & ejus loco Bubulcum quemdam in throno constituisse, si quid in ista fabula verisimilitudinis esset; sed cum illa commentum sit omni verisimilitudine destitutum, quod ab omnibus mente sanis statim rejicitur, nihil opus est in eo vel referendo, vel refellendo diutius immorari. Hoc unum observabo, illud etiamsi verum esset, nihil

nobis obſtare, cum Germanus id feciſſe dicatur ex revelatione divina. Sed, ut jam dixi, narratio Henrici tota fabuloſa eſt; atque, ut alia mittam, portenti ſimile eſt, Regem barbarum ad ſolam Germani ignoti, & peregrini hominis vocem regnum, & palatium Bubulco ceſſiſſe, totamque gentem Britannorum id ratum habuiſſe.

De depoſitione Childerici Galliarum Regis.

SExtum, inquit Bellarminus, *exemplum eſt Zachariæ, qui rogatus a primoribus Francorum Childericum depoſuit, & in ejus locum Pipinum Caroli magni patrem Regem creari juſſit, cujus cauſa fuit, quia propter ſocordiam Childerici, & religioni, & regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur.*

II. Reſpondeo, Zachariam non depoſuiſſe Childericum, aut Pipinum Regem conſtituiſſe; ſed cum jam Pipinus omnem auctoritatem regiam haberet, & Childericus nihil præter nomen Regis obtineret, conſultum a Gallis Zachariam, uter pro Rege habendus eſſet, an is, qui regno invigilabat, & omnem habebat auctoritatem, an vero is, qui omnem prorſus regni curam poteſtatemque regiam ſocordia ſua amiſerat, reſpondiſſe Pontificem, ſatius eſſe illum, quam hunc pro Rege habere. Quo reſponſo accepto, Gallos in comitiis ſuis Childericum depoſuiſſe, & Pipinum Regem proclamaſſe, quem poſtea Bonifacius inunxit. Hæc eſt vera hujus facti narratio, ut conſtat ex ſcriptoribus antiquiſſimis, ac fide digniſſimis.

III. Primum autem Merovingios, quorum ultimus fuit Childericus, omnem auctoritatem regiam amiſiſſe, ac nomine tenus Reges fuiſſe, conſtanti ſcriptorum omnium teſtimonio liquet. Eginardhus in vita Caroli magni: *Jamdudum*, inquit, *nullius vigoris erat, nec quidquam in ſe clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat; nam & opes, & potentia regni penes palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperii pertinebat, tenebantur, neque Regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus crine profuſo, barba ſummiſſa, in ſolio reſideret.* Aimoinus lib. 4. c. 66. ait, eos nomen tantum Regis nullam poteſtatem regiam habuiſſe. Abbas Uſpergenſis in Chronico ad annum 753. *Hildericus*, inquit, *qui falſo Regis nomine fungebatur.* Regino lib. 2. Chronicorum: *Hildericus vero, qui falſo Rex vocabatur, attonſus eſt, & in Monaſterium truſus.* Otho Friſingenſis lib. 5. Chronici c. 21. *Eo tempore Hildericus inane, ut ſupra dixi, regium nomen tenebat.* Gofridus Viterbienſis part. 17. Chronici ait, *eo tempore Francorum Reges ſolo nomine Reges fuiſſe.* Abbas Tudenſis ad annum 751. 754. dicit, *nihil tunc Merovingios habuiſſe præter inane Regis vocabulum, & Childericum falſo Regis nomine functum.* Hinc ab aliquibus Majores domus Reges dicuntur, & Caroli Martelli filii regnum ejus diviſiſſe perhibentur. Ita Gregorius III. Ep. cujus initium *Doctores omnium gentium* ad Bonifacium Moguntinum, Carolum Martellum *Principem Francorum* vocat. Aimoinus lib. 4. c. 57. Regem eum dicit, filios ejus regno poſt ejus mortem potitos eſſe ſcribit. Marianus Scotus lib. 2. Chronicorum, & Platina regnum Franciæ Caroli filiis Pipino, & Carlomanno diviſum eſſe, Sueviam, & Anſtraſiam Carlomanno, Pipino Burgundiam cum parte Franciæ ceſſiſſe. Itaque haud dubium, quin regiam tum poteſtatem, tum etiam dignitatem haberet Pipinus, Childericus vero nihil præter inane Regis nomen, juſque hæreditarium ad regnum, quo minime fruebatur.

IV. Secundo, ſcriptores ferme omnes uno conſenſu aſſerunt, Zachariam tantum conſultum a Gallis, uter pro Rege habendus eſſet, ipſumque conſulentis potius, quam jubentis, aut definientis in morem reſpondiſſe.

V. Eginardhus in Annalibus ad annum 749. Burchardus Vuiſiburgenſis Epiſcopus, & Foltradus Presbyter miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent Pontificem de cauſa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habuerant, per quos prædictos Pontifex mandavit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret. Eadem

pror-

Digitized by Google

prorſus verba ſunt Aimoini lib. 4. de geſtis Francorum cap. 61.

VI. Blondus Flavius lib. 10. Decadis primæ: *Invenio*, inquit, *Alcuinum, Paulumque, & pleroſque alios, qui Francorum geſta ſcripſere, proceres, populoſque ejus gentis, Pipini virtutem, & e contra Childerici Regis amentiam penſantes mentis, Zachariam Pontificem Romam conſuluiſſe, ineptumne Regem ultra tolerandum, an Pipinum merita fraudandum regia dignitate cenſeret. Cumque reſpondiſſet Pontifex, illum, qui regia melius obiret munera, eſſe habendum Regem.* Regino Prumienſis lib. 2. Chronic. anno Dominicæ Incarnationis 749. *Miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam poteſtatem, tamen vocabantur, ſi bene eſſent Reges, & præfatus Papa mandavit Pipino, melius ſibi videri illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, quam illum, qui ſine regali poteſtate manebat.*

VII. Marianus Scotus lib. 3. Chronicorum cap. 750. *Orat ergo ſibi decerni, quis eorum Rex juſte dici debeat, & eſſe is, qui ſecurus domi ſedebat, an ille qui curam totius regni, & omnium negotiorum moleſtiam perferat.*

VIII. Ado Viennenſis in Chronico ætate 61. *Pipinus Urgardum Visburgenſem Epiſcopum, & Fulradum Capellanum ſuum ad Zachariam tum temporis Romanum Pontificem miſit, ut interrogarent eum, ſi ita manere deberent Reges Francorum, cum pene nullius poteſtatis eſſent, jam ſolo Regis nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex reſponſum dedit, illum debere Regem vocari, qui Rempublicam gereret. Reverſis Legatis, abdicatoque Childerico, qui tum regium nomen habebat, Franci per conſilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt.* Sed ne diutius in repetendis iiſdem ſententiis immorer; iiſdem fere verbis conſultationem, & reſponſionem Pontificis narrant Oto Fringenſis lib. 5. hiſt. cap. 21. Abbas Uſpergenſis ad annum 750. Paulus Fredegarius Scholaſticus in fine Chronici; Vetus Auctor libri de Majoribus domus; Guillelmus Nangius in Chronographia MS. Silvius in Epiſt. lib. 10. decadis 1. Trithemius lib. de Origine Francorum ad annum 751. Aventinus lib. 3. Annalium Boiorum; Gaguinus libro 3. hiſt. Francorum; Papirius Maſſonus in Zacharia, & alii.

IX. Itaque ex iſtis ſcriptoribus conſtat, Legatos a Gallis Romam miſſos fuiſſe, non ut a Pontifice peterent auctoritate illius regnum Childerico abrogari, & Pipino tradi, ſeque a ſacramento fidei abſolvi, quod procul dubio petiiſſent, ſi tunc hujuſmodi poteſtatem Pontificem Romanum habere perſuaſum fuiſſet; ſed ut conſilium peterent tantummodo, uter habendus eſſet pro Rege, an is, qui regni curam gerebat, nec ullis laboribus parcebat ad illud bene regendum, an vero ille, qui, omni omiſſa regni cura, in ſocordia ac luxu vitam degebat, ac nihil præter inane regis nomen obtinebat: conſilium autem a Pontifice petierunt Galli, tum honoris ergo, tum ne viderentur tantam rem leviter, ac temere ſuſcepiſſe, tum etiam forte, ut quorumdam meticuloſiorum ſcrupulis occurrerent. Reſpondit vero Pontifex conſulentis, non autem jubentis in modum, videri ſibi Regem illum haberi debere, qui poteſtatem, & curam regni habebat, non autem illum, qui ſegni turpique otio fluens nullam penitus regni ſollicitudinem gerebat. Itaque nihil proprie egit Zacharias in depoſitione Childerici, ſed quid agendum eſſet Francis oſtendit.

X. Nec vero his opponi poteſt, quod nonnulli ſcriptores ex iis, qui a nobis laudati ſunt, ſcribunt, juſſiſſe Zachariam, ut Childericus deponeretur, & Pipinus in ejus locum eligeretur, aut ejus juſſu, ac auctoritate illum eſſe dejectum de throno, hunc vero Regem conſtitutum: ita Eginardhus in vita Caroli Magni, Regino, Otho Friſingenſis, & Abbas Uſpergenſis locis allatis, Sigebertus in Chronico, Paulus Æmilius, ubi etiam poſt Othonem Friſingenſem dicit, populum a juramento fidelitatis a Pontifice abſolutum: nihil, inquam, id obſtat. Cum enim iidem ſcriptores reſponſionem Pontificis, Gallorumque petitionem ita referant, ut pateat conſilium tantummodo a Gallis quæſitum, & a Pontifice datum, ne-

Digitized by Google

ceſſe eſt, ut cum dicunt Pipinum juſſu, & auctoritate Pontificis factum eſſe Regem, nihil aliud ſibi velint, quam eum Gallis auctorem fuiſſe, ut id fieret: & ſane conſilium ſæpe ſæpius, & imperii nomine ſignificatur, & quod ex alicujus conſilio factum eſt, dicitur ex ejus auctoritate factum. Nihil ergo repugnat, quominus dicatur Pipinus electus, & Childericus dejectus juſſu, & auctoritate Zachariæ, quia ſcilicet Franci cum in re anxia, & dubia Pontificem conſuluiſſent, ejus auctoritatem, & conſilium erant ſecuti; quod vero unus, aut alter ſcriptores habent, Zachariam abſolviſſe Francos a fidelitatis ſacramento, id videntur dicere ex more ſuis temporibus a Romanis Epiſcopis uſurpato, niſi forte ita explices, declaravit eos non teneri illum pro Rege habere, qui nullo Regis fungebatur officio, quod innuit Paulus Æmilius dicens id feciſſe *Pontificem, eo quod ſciret Francos proceres mira conſenſione animorum Pipino adeſſe, cupereque eum Regem haberi*.

XI. Tertio Childericus e ſolio dejectus non eſt, aut electus in ejus locum Pipinus a Pontifice Zacharia, ſed ab univerſis Francis in Comitiis totius regni ille indignus regno pronunciatus eſt, tonſus, & in Monaſterium conjectus, hic vero Rex more Francorum ſolito proclamatus, ac deinde a Bonifacio unctus: ita rem referunt plerique ſcriptores.

XII. Eginardhus in Annalibus ad annum 750. *Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione, manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi, & Martyris, & more Francorum elevatus in ſolium regni in civitate Sueſſiona, Childericus vero, qui falſo Regis nomine fungebatur tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt*. Eadem ſunt verba Aimoini lib. 4. de geſtis Francorum cap. 61.

XIII. Blondus Flavius lib. 10. Decadis 1. *Francos (poſt conſilium Zachariæ) publico totius gentis conſilio Pipinum declaraſſe Regem invenio, Childerico in Clericum tonſurato*. Regino lib. 2. Chronic. *Pipinus ſecundum morem Francorum electus in Regem, & unctus per manum ſanctæ memoriæ Bonifacii Moguntiacenſis urbis Archiepiſcopi, & elevatus eſt a Francis in regno in Sueſſionis civitate, Childericus vero, qui falſo Rex vocabatur, attonſus eſt, & in Monaſterium miſſus eſt*. Ado Viennenſis: *reverſis Legatis, abjectoque Childerico, qui tunc Regium nomen habebat, Franci per conſilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt, Childericus tonſuratus, & in Monaſterium miſſus eſt*.

XIV. Abbas Uſpergenſis: *more Francorum electus ad regnum Pipinus per manus ſancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntiacenſis elevatus eſt in regni ſolium in Sueſſionis civitate*.

XV. Fredegarius in fine Chronici: *quo tempore una cum conſilio, & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione a Sede Apoſtolica auctoritate percepta præcelſus Pipinus electione totius Franciæ in ſedem regni cum conſecratione Principum, una cum Regina Bertrada, ut antiquus ordo depoſcit, ſublimatur in regno*. Eadem ſunt verba appendicis a Theodorico II. uſque ad Pipinum ad librum *de geſtis Francorum Regum*. Auctor de Majoribus domus: *Franci Pipinum ſibi Regem conſtituunt*.

XVI. Anonymus ſcriptor vitæ Lebuini cap. 8. „ Pipinus totius ditionis compos „ effectus conſultu Papæ Zachariæ, & una„ nimi Francorum conſenſu per unctionem „ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Bonifacii Sueſ„ ſionis civitate habito conventu Rex ap„ pellatus eſt, & regali ſede donatus, re„ pudiato, ac tonſurato Childerico, qui falſo „ nomine Rex appellabatur.

XVII. Annales Francorum ad annum 750. *Pipinus ſecundum morem Francorum electus*; & Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli Magni: *Franci cum conſilio domini Papæ Zachariæ, & nobilium Romanorum, Deo volente, uno conſenſu, & una voluntate levaverunt ſibi in Regem Pipinum pium filium Caroli Martelli*. Guilielmus Nangius in Chronographia MS. *Quo audito* (Zachariæ conſilio) *Franci Pipinum Regem ſtatuerunt*; & idem habent Trithemius de origine Francorum ad Annum 746. in fine libri primi; Guaguinus libro tertio

Digitized by Google

tertio Historiæ Francorum; Chronicum Belgicum ad annum 742. Nauclerus generat. 26. anno 756. Antoninus Luit. pag. 2. tit. 14. cap. 1. 32. Sabellicus lib. 14. Chronici mundi, & alii.

XVIII. Post tantam testium nubem nemo revocare potest in dubium, quin Childericus non a Pontifice Romano, sed tantum ex ejus consilio fuerit a Francis universis in Conventu publico depositus, & ab iisdem secundum antiquum Galliæ morem Rex proclamatus fuerit Pipinus, & in solio collocatus. Quare cum dicunt quidam, Zachariam deposuisse Childericum, quod tamen ne unus quidem e laudatis scriptoribus dixit, exponendum est istud, ut observat Joannes de Parisiis, *quomodo Glossa ordinaria exponit, id est, deponentibus consensit: non enim legitur*, inquit idem, *quod Zacharias Regem Franciæ deposuerit, sed legitur in Chronicis, quod Hildericus regnabat in Francia totus deses, & remissus; Pipinus vero gubernabat Principatum Franciæ, & Major domus dicebatur: miserunt ergo Barones ad Zachariam Papam, ut decerneret de eorum dubio, quis scilicet deberet Rex esse, an ille, qui otio deditus solo nomine regnabat, an ille, qui omne pondus regni sustinebat; quibus cum respondisset Papa, quod ille, qui regni gubernacula utilius regeret. Franci mox, incluso Rege Childerico, Pipinum Regem sibi constituerunt . . . . . aliorum vero Chronica habent, quod postquam Childericus quatuor annis regnavit, ex devotione in Monachum est tonsuratus, & tunc Pipinus Princeps in Regem inunctus electione Baronum, auctoritate Papæ decernentis super dubio procerum.* Auctor Somnii Viridarii lib. 1. c. 75. eodem modo istud solvit, sed exactius Glossa explicat illud, *deposuit per istud*, id est, *deponere volentibus consuluit. Pipinus enim*, inquit, *misit ad Papam non sicut ad temporalis Regni dominum, sed sicut ad verum sapientem, ad habentem consilium, quod ratione status Pontificis videbatur authenticum.* Glossæ quoque expositionem laudat Ocamus Dialogorum part. 1. cap. 9. Almainus libro de potestate Ecclesiastica, & Laica quæst. 2. cap. 8. Major in 4. dist. 24. quæst. 4. conclus. 3. & alii. Itaque immerito Romani Pontifices, aut potius eorum Theologi Childerici depositionem, & electionem Pipini sibi ascribunt, quæ potentiæ Pipini, socordiæ Childerici, Franeorum in Pipinum studiis, judicio, & auctoritati tribuenda est; ita ut non aliæ fuerint Pontificis hoc in negotio, quam consulentis partes. Verum, ut observat Abbas Uspergensis, Romani Pontifices hæc sibi ascribunt, & se feciſse gloriantur, *quæ potius facta fuerunt judicio divino, culpis Imperatorum exigentibus, animisque Principum, sive Gentium ad resistendum se coadunantibus.* Unde consilium Papæ, quod tantum habuit virium, quia dabatur adversus Childericum personatum tantum Regem in gratiam Pipini, qui jam de facto Rex erat, & in quem concurrebant Gallorum omnium studia, risu aut indignatione cunctorum exceptum esset, si in alium Regem a populo dilectum datum fuisset; nec Gallos expertus esset Zacharias obsequentiores, quam cum pluribus post sæculis Pontifices Romani in Reges nostros ejus successores aliquid tentavere. Et vero Francos non existimasse necessariam auctoritatem Pontificis, ut Regem sibi constituerent, cum legitimum regno ineptum arbitrabantur, patet ex Hugonis Capeti electione, qui sine ullo Pontificis Romani rescripto, ex solo populi Francici consensu Rex Francorum coronatus est, rejecto Carolo Lotharingiæ, qui de stirpe Carolovingiorum Regni legitimus hæres supererat.

XIX. Adversus hæc nihil objicit Bellarminus, nam præter auctores a nobis laudatos, qui dicunt auctoritate, & jussu Zachariæ Childericum esse dejectum, & Pipinum electum, quos quidem nobis non adversari ostendimus; præter hos, inquam, nihil dicit, quod ad propositum pertineat, sed adversus Barclaium contendit, justam fuisse Childerici abdicationem, & Pipini electionem: nos vero quæstionem istam non ingredimur, ostendisse contenti, Childericum a Francorum proceribus, & populo fuisse depositum, non a Pontifice, licet ex ejus consilio: utrum autem illi recte fecerint, annon, utrum Zacharias rectum, & æquum dederit consilium, an potius rebus suis studens, qui Pipino armis ad Longobar-

Digitized by Google

gobardos expellendos opus habebat, quod utilius sibi erat, quam quod verius consuluerit, inquirere res est ad propositum inutilis, de qua sine invidia in alterutram partem dici non potest.

De Translatione Imperii a Græcis ad Gallos.

NUllum habet exemplum speciosius Bellarminus, ut Pontificum in temporalia potestatem astruat, quam Imperii Occidentalis translationem, ut loquuntur, a Græcis ad Latinos; sed si res accurate perpendatur, nihil hoc argumento infirmius esse dignoscitur. Sic illud proponit Bellarminus: *Septimum exemplum est Leonis III. qui Imperium transtulit a Græcis ad Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali afferre possent.* Hanc autem translationem jure ac merito factam probat, tum ex omnium Regum Occidentis, qui Carolum pro vero, & legitimo Imperatore agnoverunt, judicio, tum ex ipsius Irenes confessione, quæ non modo non reclamavit, sed & Caroli conjugium expetiit, tum ex eventu, & victoriis Caroli Magni. Verum, ut quanta sit hujus exempli ad propositum negotium inutilitas, atque futilitas statim dignoscatur, unum observare sufficit, Pontificem Romanum nihil omnino juris aut terrarum Carolo dedisse, aut Imperatori Græco abstulisse; sed merum nomen Imperatoris, idque eum non solum dedisse, sed simul cum populo Romano, cujus nomine velut præcipuum ejus membrum agebat. Quippe diu antequam Carolus Imperator nominaretur, Græcus a dominio Provinciarum Occidentis exciderat, & Carolus jure successionis aut armorum dominus erat Galliæ, Germaniæ, Pannoniæ, partis Hispaniæ, & maximæ partis Italiæ, ac præsertim urbis Romæ, quæ sedes erat Imperii. Itaque nomine Imperatoris adepto, ditior non est factus Carolus, nec quidquam Græco Imperatori ablatum est: ac proinde etiamsi Leo solus Imperatorium nomen dedisset Carolo, non inde sequeretur, Romanum Pontificem aliquid in temporalia juris habuisse, aut Carolo contulisse. At etiamsi, electio ista seu potius tituli Imperatorii collatio a nonnullis scriptoribus Leoni, ut civitatis Romanæ Principi tribuatur, ab aliis tamen proceribus, & populo accepta refertur. Rem sic narrant Annales Francorum ab anno 714. ad annum 883. deducti, ad annum 801. *In die natalis Domini ante confessionem B. Petri Apostoli cum ter ab oratione surgeret Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, & a cuncto Romanorum populo acclamatum est Carolo Augusto a domino coronato magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria, & post laudes, more antiquorum Principum adoratus est, atque oblato Patricii nomine Imperator, & Augustus est appellatus.* Iisdem verbis id narrat Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni. Aimoinus libri quinti capite 31. Ado in Chronico ætate 6. Gofridus Viterbiensis in Chronico, & Otho Frisingensis. *Sed*, inquit Bellarminus, *hic primum mentio fit populi Romani, sed acclamantis post coronationem, non Imperatorem appellantis ante coronationem.* At notum est olim, Imperatores Romanos per hujusmodi acclamationes a militibus, & populo electos fuisse, cum a privatis fuissent propositi, & tamen eorum electio tribuitur universis militibus, & populo, non ei, qui proposuerat; deinde istæ acclamationes arguunt non modo præsentem, sed & præcedentem populi consensum. Demum Pontifex omnium Romanorum vices agebat velut præcipuum civitatis membrum, unde multi historici ne Leonem quidem nominant, sed a Romanis tantum Carolum Imperatorem nominatum esse dicunt, sic Marianus Scotus lib. 3. *Carolus*, inquit, *hoc tempore a Romanis Augustus appellatus est;* eadem sunt Lamberti verba ad annum 801. Hermannus ait, eum more Romano sublimatum Imperatorem: ergo a populo non a Pontifice. Lupoldus Bambergensis libro de juribus Imperii, Sigibertus, & Vincentius aiunt, ex consensu Romanorum Carolum a Leone coronatum esse Augustum. Blondus Flavius Decade 2. ait, *Leonem Pontificem populi Romani scito, precibusque Carolum Imperatorem Romanorum declaratum diademate vetusto imperatorum capitis gestamine coronasse.* Æneas Sylvius

Digitized by Google

vius in Epitome Blondi de ortu Imperii c. 9. *Populus*, inquit, *Romanus, qui suo sanguine tantum pararat Imperium, Carolum Magnum Francorum Regem primo Patricium, post Augustum, concurrente summi Pontificis consensu, salutavit Cæsarem.* Philippus Bergomas lib. 2. supplementi: *a populo Romano precibus rogatus Carolum Imperatorem declaratum diademate coronavit, acclamante ter populo, Carolo Augusto.* Et eadem ferme habent Jacobus Vamphelingius, Gaguinus, Nauclerus, Platina, Sigebertus, Vincentius, Chronicum Belgii, Wilielmus Malmesburiensis, Rogerius Hovedunensis, Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis III. Paulus Æmilius de gestis Francorum lib. 3. & alii plurimi, ex quibus constat, Carolum Imperatorem esse declaratum precibus, consensu, votis, scito, & acclamationibus populi Romani. Nec est, quod Bellarminus opponat aliquos ex citatis historicis, ac præter hos Cedrenum, Zonaram, Paulum Diaconum, Eginardum, qui dicunt Carolum a Leone Imperatorem esse factum, aut declaratum, & ab eodem inunctum, atque coronatum, cum non repugnet, Leonem id dici fecisse, quod non solus fecit, nec sua tantum auctoritate, sed vices agens populi Romani, & velut voluntatis ejus ac judicii executor, aut etiam velut Romanorum primus ac præcipuus.

II. Quod vero ad coronationem spectat, & inunctionem, certum est illas esse meras ceremonias, quæ ad Imperii substantiam non pertinent; ita ut qui eas perficit propterea censeri non possit Imperium, aut Regnum contulisse. In Gallia Rex Christianissimus ab Episcopo Rhemensi, in Anglia Rex Angliæ a Cantuariensi, in Ungaria a Strigoniensi, & alibi Reges ab Episcopis præcipuarum urbium consecrari, & inungi solent, & tamen nemo dicere potest, ab istis Episcopis Reges fieri aut constitui. Justinus Imperator sexto sæculo a Joanne Constantinopolitano Patriarcha coronatus est, ut constat ex Ep. hujus ad Hormisdam, & tamen iterum ab Episcopo Romano Joanne post sex annos coronari voluit, ex quo patet, coronationem meram esse ceremoniam; uno verbo, coronatio Imperatorem non facit, nec jus dat ad Imperium, sed supponit eum, qui coronatur jam Imperatorem, aut Regem, vel jus ad Imperium, aut Regnum habere. Itaque Carolus Magnus jure successionis, & armorum ipsum Imperium Occidentis possedit, nomen Imperatorium, quod ipsi utpote totius fere Occidentis dominio debebatur, ab universo populo Romano accepit; coronationem vero, & inunctionem ejus, quæ sacra tantum est ceremonia, Leoni acceptam refert.

III. At, inquit Bellarminus, licet Carolus regnum Longobardorum armis obtineret, Romanos tamen nunquam bello vicerat, nec eorum Rex erat; deinde regna equidem Occidentis sibi paraverat, sed non Imperium.

IV. Respondeo, Carolum Romanos bello non subjecisse, sed eos ultro ipsum supremum agnovisse dominum, Patritiatus dignitatem ipsi concessisse; nam licet illi suis legibus se regerent, suprema tamen potestas erat penes Patricium, & Imperatorem. Ad id vero, quod addit Bellarminus, Carolum sibi parasse regna occidentis non autem Imperium, verum est, si Imperii nomine nudum Imperatoris nomen intelligas, non autem si dominium, & potestatem in terras Imperii. Deinde cum Imperium occidentis jam diu vacaret, divisumque esset inter multos regulos, haud dubium est, quin Carolo debitus fuerit Imperii honos cum omnes regiones, quæ prius Imperium occidentale componerent sibi subjecisset. Attamen ipse nomen istud Imperatorium sibi non arrogavit, sed maluit illud habere a populo Romano, & a Pontifice tanquam uno e præcipuis Romanæ civitatis proceribus.

V. Urget Bellarminus, atque ut probet, Carolum Imperium Pontifici uni acceptum tulisse, sic ratiocinatur: *Cum testamento*, inquit, *Imperium filiis divisisset, rem totam a Leone Pontifice confirmari voluit, ut non sine ejus consensu, a quo illud acceperat, Imperium aliis tradere videretur.* At contra Baronius, prolato Caroli testamento, probat, illum de Imperio nihil disposuisse, ut nimirum Imperii pro libito tradendi, cui vellet, totam penes Pontificem ostenderet potestatem: sed ambo falluntur; nam reve-

Digitized by Google

revera Principum Imperii consensu Ludovicum auctoritate propria Augustum appellavit: etenim morti proximus Ludovicum filium Aquisgranum vocavit, ibique congregatis Episcopis, Abbatibus, Ducibus, & Comitibus, quæsivit, an vellent eum Imperatorem creari, cumque annuissent, eum Imperii participem declaravit, jussitque, ut coronam altari impositam suo capiti circumponeret: iisdem in Comitis Bernardum nepotem Pipini filium Regem Italiæ declaravit, ita Annales Francorum ad ann. 813.

VI. Itaque adeo falsum est, Carolum existimasse Pontificis fuisse, cui vellet, Imperium tradere, ut eo inconsulto Ludovicum Imperatorem crearet, quem post biennium circiter Leo III. cum esset in Gallia simul cum Regina Rhemis coronavit. Sicut autem Ludovicus Imperium a Patre acceperat, ita Lotharium natu majorem Imperii socium fecit anno 817. in Conventu Aquisgranensi, inconsulto Pontifice, ut tradunt Eginardhus, & Auctor Chronici Mossiacensis; ac moriens, missis ad eum corona, & gladio Imperialibus, socium Imperatorem reliquit. Is Ludovicum filium anno 852. Imperii participem effecit, & demum anno 855. Imperio, quod 15. annis tenuerat, se abdicavit. Ab isto tempore, Ludovicus Imperatoris nomen, & honorem cum Italiæ regno obtinuit usque ad annum 875. quo mortem obiit. Tum Carolus Calvus Ludovici pii nepos Italiam invasit, & Imperator non a solo Joanne VIII. sed a Romanis omnibus est declaratus. Testis est ipse Joannes VIII. in Concilio Ticinensi his verbis: *elegimus merito, & approbavimus una cum annisu, & voto omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum, atque aliorum S. R. E. Ministrorum, amplique Senatus, totiusque Romani populi gentisque togatæ, & secundum priscam consuetudinem solemniter ad Imperii sceptra proveximus, & Augustali nomine decoravimus ungentes cum oleo.* Itaque non solus Pontifex Carolum Calvum elegit, sed unus fuit e præcipuis electoribus. Carolo Calvo post biennium mortuo, Imperium vacavit, donec Carolus III. Ludovici Bavariæ Ducis filius, sicque Ludovici pii nepos anno 881. a Joanne VIII. coronatus est. Post hujus mortem Italiæ regnum in varias factiones est divisum. Guido nomen Imperatoris assumpsit, sed Arnulphus Caroli filius, occupata post hujus mortem Italia, Imperator coronatus est. Hunc ab optimatibus ad Imperium promotum a Principibus Teutoniæ Imperatorem factum docent nonnulli scriptores, attamen a Formoso Romam vocatus eam vi cœpit, & ab isto Pontifice Imperator dictus usque ad Othonem Magnum Germaniæ Regem, *qui anno Dominicæ Incarnationis* 962. inquit Regino, *Romæ benigne susceptus acclamatione totius populi Romani, & Cleri ab Apostolico Joanne filio Alberici Imperator, & Augustus vocatus est, & ordinatus.* Is postea tota Italia subacta, atque Imperatori Græco Apulia, & Calabria erepta, filium Imperii participem fecit, eumque anno 967. coronari jussit. Sic Imperii dignitas ad Germanos Principes est devoluta. Ex dictis autem patet, Carolum Magnum Imperatoriam dignitatem tanquam aliquid sibi jure acquisitum filio tradidisse, ejusque successores illam sibi velut hæreditariam vindicasse; post hæc eum, qui Romam obtinuit, Italiamque obtinebat nomen Imperatorium assumpsisse, ac demum Othonem, Italia subacta, ad Germanos hanc dignitatem transtulisse.

De Ludovici Pii, & Lotharii Exauctorationibus.

IN Exemplum a nonnullis adducitur Ludovici Pii Imperatoris exauctorisatio anno 833. in Concilio Compendiensi facta; licet enim id sine Romani Pontificis auctoritate fecerint Episcopi Gallicani, ex eo tamen facto nonnulli inferunt, in Ecclesia esse potestatem Regum dejiciendorum: sed ut cognoscatur, utrum id recte inferant, necne, res paulo fusius narranda. Ludovicus ille Pius Caroli magni filius, Imperii regiones inter Lotharium, Pipinum, & Ludovicum partitus fuerat: illi violatis naturæ, & æquitatis legibus, adversus patrem conspirarunt, eumque primum anno 830. Lotharius in Monasterio Sammedardensi concluſit, ut ibi monasticam

Digitized by Google

cam vitam profiteretur. Inde paulo post opera Pipini, atque Ludovici liberatus, Lotharium ad petendam veniam compulit. Sed hac libertate diu non est fruitus; nam anno 835. iterum conjurarunt in eum tres ejus filii. Ab illis stabat Gregorius IV. Pontifex, qui cum in Galliam simul cum Lothario venisset, & fama esset, excommunicationem in Ludovicum Pium ab eo ferendam, proceres, & Episcopi Galli, qui Imperatori adhærebant, declararunt ei, *quod si excommunicaturus veniret, ipse excommunicatus abiret*. Quapropter nihil ille in Imperatorem tentavit; at Lotharius, & ejus fratres in proposito pertinaces, patrem imperio spoliandum esse statuerunt. Is ab omnibus derelictus, coactusque filiis sese tradere, in Monasterium S. Medardi Suessionensis a Lothario conjectus est, ibique sub militari custodia detentus. Sed ut Lotharius facinoris istius invidiam minueret, conventum procerum, & Episcoporum Galliæ Compendium indixit, ibique callido consilio patrem coegit pœnitentiam publicam petere, necnon crimina palam confiteri; cum autem tum temporis in more positum esset, ut pœnitentes publici militiæ cinculum deponerent, habitumque sæcularem exuerent, Ludovicum id facere coegerunt, ut per hoc videretur imperio se ipsum abdicare. Ita rem narrant Historici omnes, ac inter alios Eginardhus in Chronico, Nithardus ipsius Ludovici ex sorore nepos, Auctor vitæ Imperatoris Ludovici Pii, Hugo Floriacensis in Chronico, Theganus Trevirensis Episcopus, & alii, quorum verba referre nihil necesse est, nonnulla tantum ex auctore vitæ Ludovici excerpam: „Cum, inquit, rumor usque„ quaque diffusus fereret de ceteris, quod „ verum erat de Papa Romano, quod ideo „ adesset, ut tam Imperatorem, quam Epi„ scopos excommunicationis vinculis irretire „ vellet, si qui inobedientes essent suæ, filio„ rumque voluntati, parum quid subripuit E„ piscopis Imperatoris præsumptio audaciæ, „ asserentibus nullo modo se velle ejus volun„ tati succumbere, sed si excommunicaturus „ adveniret excommunicatus abiret, cum ali„ ter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. Deinde narratis iis, quæ insecuta sunt de Conventu Compendiensi, hoc judicium fert: *Verentes*, inquit, *sceleris conjuratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur, quæ gesta erant callido, ut sibi visum est, consilio; cum aliquibus Episcoporum utuntur argumento, ut pro his, de quibus jam pœnitudinem gesserat Imperator* (Nempe de nece Bernardi) *iterum publica pœnitentia, armis depositis, irrevocabiliter quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur. Cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam, & nostra lex habeat non judicare* BIS IN IDIPSUM; *cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, minima pars, ut assolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum ante corpus sancti Medardi Confessoris, & sancti Sebastiani Martyris arma deponere, & ante altare ponere cogant, pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt*. Eodem modo de hoc conventu judicant Eginardhus, & Theganus, atque hic Ebbonem Rhemensem factionis hujus anteſignanum præcipue incusat. Extant etiam acta sub Conventus Compendiensis nomine edita, tom. Concil. 10. col. 1687. & sequentibus, in quibus narratur missos ad Ludovicum Pium Suessionis tunc in Monasterio S. Medardi degentem a conventu legatos, qui eum de his criminibus admonerent. Hunc illorum admonitionibus assentientem diem constituisse, quo responsum redderet, ea die conventum omnium ad eum perveniſſe, ejusque crimina illi in memoriam revocasse, promisisse illum se in omnibus salutari consilio acquieturum, & habiturum remediale judicium, sed petiisse, ut Lotharius Augustus adesset, ut cum eo prius reconciliari posset. Cum veniſſet Lotharius Ludovicum in Basilica Dei genitricis Mariæ, ubi quiescunt SS. corpora Medardi, necnon Sebastiani, præsentibus Episcopis, Presbyteris, & populo prostratum in terram super cilicium coram altari palam confessum esse, se ministerium sibi commissum satis indigne tractasse, multis in eodem offendisse, & Ecclesiam scandalizasse, populum in perturbationem indu-

Digitized by Google

xisse, ac propterea publicam, & Ecclesiasticam se petere pœnitentiam. Deinde injunctum illi ab Episcopis, ut aperte confiteretur errata sua, agnovisse se præcipue deliquisse in iis, de quibus sive scriptis, sive verbis a summis Sacerdotibus admonitus, tum illos ei dedisse chartulam confessionis, continentem crimina, quorum ab iis reus putabatur; qua relata sequitur exauctorizatio Ludovici, his verbis: *Igitur pro his vel in his omnibus, quæ supra memorata sunt reum se coram Deo, & coram Sacerdotibus vel omni populo cum lachrymis confessus est, & in cunctis se deliquisse protestatus pœnitentiam publicam expetiit. Post hanc vero confessionem chartulam suorum reatuum, & confessionis ob futuram memoriam Sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerant, ac deinde cingulum militiæ deposuit, & super altare collocavit, & habitum sæcularem exuens habitum pœnitentis per impositionem manuum Episcoporum recepit, ut post tantam, talemque pœnitentiam nemo ultra ad militiam sæcularem redeat.* Eodem modo id factum narrat Agobardus in libello de isto apud Compendium conventu scripto. Ex his autem patet, in Compendiensi, seu potius Suessionensi Conventu, hæc enim exauctoratio in Monasterio S. Medardi in urbe Suessionensi, quo Conventus Compendiensis migravit, facta est, omnia contra jus, ac nefas ad arbitrium Lotharii peracta esse. Ludovicum Pium regno jam ante spoliatum per vim ad pœnitentiam petendam fuisse adactum, ab eodem extortam criminum confessionem, imo quod peridiculum est, ab aliis chartam confessionis criminum, quæ agnoscere ipsum volebant, ipsi traditam, coactum illum juxta morem pœnitentium cingulum deponere, & habitum pœnitentis induere, ac demum in custodiam retrusum: dirum facinus, & sæculis omnibus detestandum, Episcopos reperiri potuisse filiis adversus patrem rebellibus, & naturæ ac æquitatis jura infringentibus, ita addictos, ut pietatis, & religionis specie, ac pigmento tantum scelus velare auderent. Sed non omnium hoc fuit crimen; nam plerosque metu verborum consensisse, nonnullos etiam contradixisse referunt scriptores: unum Ebbonem scelerati hujus consilii auctorem fuisse par est credere, quamquam & Agobardus illud inventum plurimum probaverit. Ceterum quamvis pateat, iniquissimum fuisse istius conventus conatum, ita ut ex eo nihil prorsus concludi posset, etiamsi sibi deponendi Imperatoris auctoritatem assumpsisset; attamen in ejus actis, aut apud eos, qui de eo scripserunt, nihil legitur, quod hanc in sententiam trahi possit. Quid enim tandem illi fecerunt? Imperatorem ad agendam de criminibus pœnitentiam adegerunt, eidem crimina exprobrarunt, & imposuerunt pœnitentiam publicam, petenti confessionem dictarunt coram ipsis, & ex eorum judicio Imperator habitum pœnitentis sumpsit, atque, ut moris erat pœnitentium, cingulum militiæ deposuit. Facta sunt hæc, & machinata ab ipsis Episcopis nequiter, & injuste; sed quid ab iis tentatum in auctoritatem Imperatoriam? nihil certe. Nam quod cingulum militiæ deposuit, id fecit pro more pœnitentium, qui tum temporis sæcularibus omnibus negotiis nuntium mittebant, & plerumque se in Monasterio includebant, quin autem istud, Rege ultro faciente, Episcopi probare potuissent, si revera criminum, quorum accusatus erat, reus fuisset, aut si eorum non ante pœnitentiam egisset quis non fateatur? in eo erat iniquitas, quod Ludovicum id invitum facere scirent, & criminum, quorum accusabatur, vel reum non esse, vel eorum veniam jam esse consecutum. Ut autem aliquid in Imperatoriam auctoritatem tentasse eos probaretur, ostendendum esset, illos pronuntiasse Imperatorem regnandi jure ob crimina excidisse, & etiam invitum de regno pellendum. At nihil simile statuunt, imo supponunt, eum ultro ac libenti animo ob crimina, quæ perpetraverat, se pœnitentiæ addicere, & cingulum militiæ ponere. Sed quæ secuta sunt, eorum, quæ ab istis facta sunt, iniquitatem ostendunt; nam anno sequenti 834. Lotharii fratres, qui prius exauctorationi patris sui tacite consenserant, cum Lotharium post depositum, & custodiæ traditum patrem, Imperium omne invadere cognovissent, coactis copiis adversus Lotharium proficiscuntur; qui sibi metuens aufugit, atque

Digitized by Google

atque hinc pater Ecclesiasticæ communioni restitutus est, & Imperii ornamenta recepit. Deinde sequente anno in Concilio ad Theodorici villam iterum ab Episcopis absolutionis beneficium est consecutus, & Ebbo ibidem sensu Episcoporum seipsum Episcopatu abdicavit; ceteri Episcopi, qui conventui adfuerant, excusaverunt se eo quod per vim ad consentiendum compulsi fuissent; Agobardus, & alii absentes damnati sunt: notandum porro est, in istis Conciliis non restitui Imperatorem Regno, & Imperio, sed tantum Ecclesiæ, & communioni, ita neque in exauctoratione, neque in restitutione Ludovici Pii quidquam est, quod probet Ecclesiæ potestatem esse in temporalia. Nec magis eo pertinet judicium Concilii Aquisgranensis anni 842. adversus Lotharium, in eo enim Episcopi Lotharium auctoritate sua de regno Galliæ non dejecerunt, sed tantum a Ludovico, & Carolo in consilium adhibiti, num liceret sibi partem Regni Francici a Lothario relictam regere, & censuerunt id ab ipsis tuta conscientia fieri posse: rem sic narrat Nithardus lib. 4. tom. Conc. 7. colon. 1177. & 1758.

De septem Electorum institutione.

POst Imperii translationem septem quoque electorum institutionem a Pontificibus factam esse affirmat Bellarminus, & ad probandam Pontificum in temporalia potestatem adducit: *Octavum*, inquit, *exemplum est Gregorii V. qui sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes, quæ usque ad hanc diem servatur. Quod ita esse probatur per Blondum Decade 1. lib. 3. Nauclerum generatione 34. in vita Gregorii V. aliosque multos historicos; asserunt etiam Magdeburgenses.* Respondeo, incertum esse quando, quomodo, & a quo septem Electores instituti fuerunt: sunt enim scriptores, qui hanc Electorum institutionem tribuant Carolo Magno, ut Jordanes in Chronico, quæ sententia niti videtur auctoritate Innocentii III. *c. venerabilem de electione, & electi potestate*; alii ejusdem institutionis; Germaniæ Principes auctores faciunt alii eam Gregorio V. tribuunt, ut Blondus, Nauclerus, Platina; & alii Gregorio X. ut Aventinus lib. 5. annalium Boiorum, & Onuphrius in lib. de Comitiis Imper. ubi ex professo probat, hos septem Electores non ante fata Friderici institutos esse; denique nonnulli eam partim Gregorio V. partim Othoni III. partim Principibus Germaniæ tribuunt, quia cum hos omnes diverso modo hæc institutio diversimode tangat, ab omnibus approbari debuit.

II. Quod spectat ad primam opinionem, quæ Carolo institutionem septem Electorum tribuit, eam esse falsam concedunt omnes, cum successores Caroli non a certis Principibus Germaniæ, sed ab omnibus Principibus Francis electi fuerint: simili ratione probat Onuphrius, Gregorium V. non esse illius auctorem, quia diu post ipsum vita functum Principes omnes Imperii Germaniæ tam Episcopi, quam Laici Imperatores eligebant, & sic Electos probat Henricum II. Conradum I. & II. Henricum IV. & V. Lotharium II. Fridericum I. & Philippum I. Nec dicas cum Bellarmino, Principes interfuisse, non elegisse; nam ut multis testimoniis docet Onuphrius, & post eum Baronius tom. 10. Annal. ad ann. 996. n. 4. & sequentibus, non solum istis electionibus intererant, sed & eas ipsi suffragiis promovebant, idque perspicue patet ex Gregorio VI. Epistola ad omnes Episcopos, Duces, atque Comites Teutonicos de novi Regis electione facienda, si Henricus non resipisceret, lib. 4. Epist. Greg. Epist. 3. Iterum Onuphrii opinio non videtur esse magis vera; nam ut observat Bellarminus, septem Electorum fit mentio in Auctoribus, qui ante Gregorium X. scripsere, ut est Martinus Polonus, qui sub Innocentio IV. scribebat, Ostiensis, qui sub Gregorio IX. & Concilium generale Lugdunense sub Innocentio IV. Hinc Baronius primam institutionem septem Electorum in hoc Concilio ab isto Pontifice factam fuisse putat, conjicitque eos, qui Gregorio V. eam tribuerunt, deceptos esse Martini Poloni verbis, qui sic loquitur in vita Othonis III. *Et licet isti tres Othones per successionem generis regnaverint, ta-*

Digitized by Google

men postea fuit institutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primo Cancellarii isti Moguntiensis Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Colonienſis Italiæ, Marchio Brandeburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemus Pincernam agit. Quæ verba perperam intellecta putat causam dedisse Baronius iis, qui sub Othone III. a Gregorio V. septem Electores institutos scripserunt; cum tamen Martinus post Othonem suo tempore id factum indicet; verum, ut diximus, non modo D. Thomas, seu potius auctor lib. de regimine Principum, sed & Ostiensis, qui ante Concilium Lugdunense, vel eodem tempore scribebat Chronicum ejusdem temporis, & Augustinus Triumphus, qui paulo post scripsit, septem Electorum institutionem ad Gregorium V. referunt, & de ea velut de veteri institutione loquuntur. Denique observandum est, septem Electores Lugdunensi Concilio recensitos diversos esse ab iis, qui nunc sunt, & olim fuerunt: *Hi enim sunt Moguntiensis, Trevirensis, Colonienſis, Palatinus Saxo, Brandeburgensis, & Bohemus.* Qui vero a Concilio Lugdunensi recensetur, hi sunt, Duces Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ, Episcopi vero Colonienſis, Moguntinus, & Salsburgensis.

III. Itaque incertum omnino est, utrum a Pontificibus, & quando institutio ista fuerit.

IV. Ut autem pateat, electionem Imperatoris ad Electores transferri ab Episcopis Romanis sine injuria non potuisse, nisi ex eorum consensu id factum fuisset, considerandum est, ad quod Imperatoris electio diversis temporibus pertinuerit. Ante translationem Imperii hanc ad Senatum, populumque jure pertinuisse nemo ibit inficias: exercitus tamen plerumque Imperatores eligebant, qui Senatus, ac populi consensu Imperium retinebant; post Imperii translationem Carolus Magnus, ut probatum est, ab universo populo Romano, auctore Romano Pontifice, electus est Imperator. Hujus successores Imperium sibi jure hæreditatis, tum etiam ex prævia Principum, ac procerum Imperii electione sibi vindicarunt.

V. Ultimus e Caroli Magni sanguine Imperator fuit Ludovicus III. Arnulphi filius, qui prole carens a Berengario Veronæ victus, vitam, & Imperium amisit. Hinc Imperium ruere cœpit; nam Itali, ac Romani pro Regibus, ac Imperatotibus victores agnoscebant, ita Berengarius, Ludovicus Bosonis, Hugo Arelatensis, Lotharius ejus filius, Rodulphus Burgundiæ, & alii subinde Italiam occuparunt, Imperiumque affectarunt. Ex alia parte Franci Principes, & Germani Conradum a Carolina stirpe Germaniæ Regem Imperatorem agnoscebant: is morti proximus, ut narrat Nauclerus generat. 31. an. 937. persuasit Principibus, ut Henricum Turingiæ, & Saxoniæ Ducem in Regem ei successorem eligerent: sed illi duo titulum Imperatoris non habuerunt. Post hæc Otho electus, ut ait Nauclerus, *ab omni populo Francorum, & Saxonum*, Italia recuperata, Imperatoris nomen ac dignitatem consensu populi Romani accepit, & a Pontifice Romæ inunctus est. Qui vero deinceps istis succedere, plerumque hæreditatis jure, ab universis pariter Germaniæ Principibus electi feruntur; donec ad vitandam confusionem, ac divisiones, ceteri Principes septem Electoribus sua jura cesserunt. Porro non potuit Pontifex istud juris auctoritate sua quibusdam Principibus adimere, quippe jure naturali in regno electivo electio pertinet ad universum populum, sed ad vitandas turbas introductum, ut præcipui proceres ex consensu populi ceteros cives repræsentantes, Regem, aut Imperatorem eligant; nec dubium quin possint sibi invicem jus suum cedere, & electionem paucis tantum committere, sed Pontificem Romanum id sine eorum consensu facere posse, absurdum prorsus videtur.

VI. Porro si quid in re dubia conjici possit, verisimile arbitror Othonem III. ceterorum Imperii procerum adhibito consensu, & forte Gregorii V. auctoritate adjecta, numerum Electorum septenarium constituisse; cum enim is Imperator liberis careret, & periculum esset, ne divisiones ob Electorum multitudinem orirentur, huic malo obviam ire volens, remedio isto usus est,

Digitized by Google

eſt, ſperans ab omnibus Principibus id probatum iri. Quanquam ex hiſtoria conſtat, id non ſtatim obtinuiſſe Principibus ordinariis Electoribus non omnino conſentientibus, & juri ſuo cedere nolentibus. Nam Henricus Othonis ſucceſſor non a ſeptem Electoribus, ſed a Principibus Germaniæ electus dicitur a Nauclero generatione 34. anno 1002. extantque exempla plura poſteriorum Imperatorum eodem modo Electorum. Ita conciliantur invicem ii, qui dicunt, inſtitutionem Electorum ſeptem ſub Othone III. factam, & qui eam non ante Gregorium X. aut Innocentium IV. obtinuiſſe ferunt; iſti enim loquuntur de uſu, illi de inſtituto.

VII. Porro non id ſolum feciſſe Imperatorem, aut Pontificem auctoritate ſua, ſed ex conſenſu ceterorum Principum, tum ex eo probatur, quod facere non potuerit, tum etiam ex ſcriptorum bene multorum teſtimoniis. Chronicum vetus, cujus auctorem dicunt nonnulli Albertum Stadenſem ad annum 1240. *ex prætaxatione Principum, & conſenſu eligunt Imperatorem Trevirenſis, Moguntinus;* & Auguſtinus Triumphus lib. de poteſtate Eccleſ. q. 35. a. 2. *Gregorius V. tempore Othonis Imperatoris, convocatis & requiſitis Principibus Allemaniæ, ſeptem Electores inſtituit.* Leopoldus de jure Imperii c. 3. *Tempore Othonis III. qui filiis caruit, fuit inſtitutum, ut per certos Principes Germaniæ ſolus per Officiarios Imperii, ſeu Curiæ Imperialis eligeretur Imperator.*

VIII. At nullus eſt, qui diligentius Nauclero id enarret; hujus hæc ſunt verba generat. 34. ann. 994. *Hoc tempore Electores Imperii primum inſtituti leguntur, de quo aliqui ſcribunt, quod Otho tertius cum hæredes ex ſe dependentes mares non haberet, conſtituit ex conſilio Principum Germaniæ, ut Imperatore mortuo, in oppido Francofurt perpetuo fieret electio, electoreſque conſtituit tres Archiepiſcopos;* & enumeratis iis ſeptem ſic ait: *Hi ſeptem Principes eligendi Imperatoris jus, & poteſtatem ſic acceperunt:* & mox; *itaque aiunt Gregorium V. cognita Imperii imbecillitate, varietateque fortunæ, quo diutius apud Germanos ſumma poteſtas remaneret, illeque ceteris præeſſet, qui virtute, & dignitate ceteros præſtaret, retuliſſe ſanctionem de Imperatore deligendo, videlicet ſolis licere Germanis Principem deligere, qui Cæſar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Auguſtus, & Imperator haberetur, cum a Romano Pontifice benedictione præmiſſa coronaretur; & quod ordinaverit cum procerum Germaniæ conſenſu Electores prædictos, qui vice omnium eligere deberent.* Ex his habes, quæ fuerint Pontificis, Imperatoris, & Principum hoc in negotio partes. Imperator ſeptem Electores delegit ex conſilio Principum, Principes ceteri conſenſerunt, & ſuo juri ceſſerunt; Pontifex conſtitutionem Imperatoriam ex conſenſu Principum factam probavit, & *retulit*, non ut Bellarminus legit, *tulit*. Quia illata fuerat ab Imperatore, convenit inter omnes, delectum Imperatorem nomen Imperatoris non aſſumpturum, niſi prius a Pontifice coronatus fuiſſet. Itaque Electorum inſtitutio non Pontifici, ſed potius Imperatori, ac maxime ceterorum Principum, quorum erat de jure ſuo cedere conſenſui, tribui debet. Id obſervat Cardinalis Cuſanus de concordia Catholica lib. 3. cap. 4. *Electores*, inquit, *qui communi conſenſu omnium Allemannorum, & aliorum, qui Imperio ſubjecti erant tempore Henrici II. conſtituti ſunt, radicalem vim habent ab ipſo communi omnium conſenſu, qui ſibi naturali jure Imperatorem conſtituere poterant, non ab ipſo Romano Pontifice, in cujus poteſtate non eſt dare cuicunque Provinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem, ipſa non conſentiente.* Et concurrebat ad hoc conſenſus Gregorii V. tanquam unius Pontificis Romani, qui juxta gradum ſuum in conſentiendo in communem Imperatorem intereſſe habet: *Recte ſicut in Conciliis generalibus occurrit in primo gradu auctoritas ipſis, vigor nihilominus definitionis non ab ipſo primo omnium Pontifice, ſed ex communi omnium ipſius, & aliorum conſenſus dependet.* Itaque quoquo tandem modo, & quovis tempore facta fuerit iſta inſtitutio, quod non eſt admodum certum, auctoritate ſolius Pontificis vim non habuit, ſed præſertim ceterorum Principum, ad quos pertinebat electio, ſine quo-

Digitized by Google

quorum consensu non poterat electio ad hos solos septem restringi. Quod & ipse Bellarminus cogitur aliquando fateri, cum ait lib. 3. de Translat. Imperii c. 4. Papam id non potuisse, nisi præsente Imperatore, Germanisque Principibus consentientibus. Quod idem prorsus est, ac id, quod nos dicimus ex consensu Principum, auctoritate Imperatoris, & Pontificis istud factum fuisse. Sed hoc non arguit ullam in Pontifice, prout Pontifex est, potestatem temporalem, nam ut diximus, ad eum Imperatoris electio non pertinet, ut Episcopus est, sed ut Romanæ civitatis Princeps est.

IX. Objiciunt primo eos omnes scriptores, qui dicunt septem Electores a Gregorio V. aut X. fuisse constitutos.

X. Respondeo, ex dictis constare, non esse certum, utrum ab istis Pontificibus id fuerit statutum. Secundo, certum esse id ab ipsis non esse factum, aut fieri potuisse auctoritate Pontificia. Tertio, certum non minus esse id ab ipsis non esse factum sine consensu, & auctoritate Principum Imperii, & Imperatoris. Quod si qui Scriptores, præsertim recentiores hujus rei non meminerint, cum ab aliis bene multis memoriæ prodita sit, ab iis, qui illam non referunt, non tam prætermissa, quam subintellecta dici debet.

XI. Objiciunt secundo auctoritatem Innocentii III. in cap. *venerabilem de elect.* ubi hæc ait: *Verum illis Principibus, & jus, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum recognoscamus, ut debemus, ad quos de jure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos jus, & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit persona magnifici Caroli, qui a Græcis transtulit Imperium in Germanos.* Quem secutus Jordanes a Carolo Magno de consensu, & mandato Romani Pontificis præceptum esse ait, *ut Imperium Romanorum apud electionem canonicam Principum Germanorum in perpetuum remaneret.* Verum, uti diximus, hæc opinio defendi non potest, cum constet, septem Electores diu post Carolum Magnum fuisse institutos.

XII. Deinde etsi de Principibus Germanis omnibus id intelligeretur, hanc potestatem ipsis a Pontifice collatam, tam falsum est, ac Imperium ejus solius auctoritate ad Germanos esse translatum. Ut enim jus electionis Imperatoris Sedes Apostolica in Germanos Principes transtulisset, deberet illud prius habuisse, sed inauditum est, Romanum Episcopum solum ullum unquam Romanum Imperatorem elegisse. Nec vero quemquam movere debet Innocentii in sua causa loquentis judicium, quod si quis nollet prorsus rejicere, ita posset eum explicare, ut diceret jus istud a Romano Pontifice in Germanos esse translatum nomine totius Romanæ civitatis, quæ istud jus habebat. Nam certum est ante Carolum Germanorum Principum non fuisse Imperatorem creare, sed Romanæ civitatis. Post Carolum vero Principes Franci, & Germani in electione præcipuas partes habuerunt: hoc autem fieri non potuit sine Romanæ civitatis consensu ejusque Episcopi, qui cum primus Princeps ejus esset, eum in istis negotiis repræsentabat.

XIII. Objiciunt tertio Viennense Concilium Clementina *Romani Principes de jure jurando*, ubi hæc habentur: *Ecclesia Romana a Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes jus, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum.*

XIV. Respondeo, dici posse Romanam Ecclesiam id fecisse, quod consilio, adhortatione, & suffragio ejus factum esset, sed tum translatio Imperii, tum septem Electorum institutio, consilio, adhortatione, consensu, & suffragio Episcopi Romani facta est, non tamen ab eo solo, aut ex ejus solius auctoritate. Quod si cui Concilii Viennensis dictum aliquid amplius asserere videatur, respondere poterit, in Conciliis illud tantum vim habere, quod de professo decretum, & determinatum est a Concilio, non autem illud, quod narrando dictis inseritur; cujusmodi sunt verba in objectione relata. Demum istius Concilii Decreta a Pontifice Clemente V. sunt concinnata, non ab ipso Concilio generali emissa.

XV. Objiciunt quarto instrumentum quoddam Principum Germanorum, quod servatur

Digitized by Google

tur in munitione Caſtri S. Angeli, in quo ſic habetur: *Nos Principes Imperii univerſis præſentem hanc paginam inſpecturis complectens olim Romana Mater Eccleſia, quadam quaſi Germana charitate Germaniam illam eo terrenæ dignitatis nomine decoravit, quod eſt ſuper omne nomen, temporaliter tantum præſidentem ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipſius auctoritate ſuffulti velut germen electum per ipſorum electionem illum, qui fræna Romani teneret Imperii germinaret. Datum anno Domini 1279. indictione 7. regnante Domino noſtro primo dicto Rodulpho Romanorum Rege regni ejus anno 6. Igitur*, inquit Bellarminus, *fatentur ipſi Principes Germani, ab Eccleſia Romana poteſtatem eligendi in Imperatorem ad Germanos pervenisſe.*

XV. Reſpondeo, inſulſum eſſe iſtud monumentum, & ab aliquo indocto imperite confictum, ineptiis ſcatens, in quo qui ſubſcribunt Principes anonymi ſunt, quale nullum unquam inſtrumentum publicum factum. Deinde etſi verum eſſet, poſſent dici Principes Germani electionem acceptam referre Eccleſiæ Romanæ, non prout Eccleſia eſt, ſed prout Romana civitas eſt, ad quam jus electionis præcipue pertinebat. Forſan etiam ipſi Principes quorumdam hiſtoricorum teſtimoniis deluſi, aut Pontifici blandientes id dixerunt. Cum enim id monumentum ſcriptum ſit ſub Rodulpho I., qui primus a ſeptem Electoribus poſt Fridericum I. fuit electus, mirum non eſſet, ſi hanc eligendi poteſtatem nondum ſatis firmam Pontifici ſe debere adulando faterentur. Sed, ut dixi, monumentum iſtud nullus leget, qui ſtatim illud ab homine otioſo, & imperito confictum eſſe non intelligat.

De tentata a Gregorio VII. Henrici IV. Imperatoris depoſitione.

NOnum, inquit Bellarminus, *exemplum eſt Gregorii VII. qui Henricum IV. Imperatorem depoſuit, & alium eligi juſſit, quod & factum eſt.*

II. Reſpondeo, primum iſtud eſſe exemplum tentatæ a Pontificibus depoſitionis in Reges, quod velut novum, & inauditum univerſus orbis exhorruit, ut a nobis probatum eſt ſupra. Quare hoc exemplum non ſecus ac poſteriora omnia nihil nobis obſunt, neque adverſariis favent: ſemper enim in illis cernere eſt, inde Romanos Pontifices auctoritatem ſibi deponendorum Regum vindicantes, inde Reges, Principes, populos, imo & Epiſcopos hanc ei auctoritatem denegantes, & ſententias depoſitionis in Reges latas, velut illicitas repudiantes; atque ita dici non poteſt per ea Romanos Pontifices ſibi tanquam per poſſeſſionem aliquid juris acquiſiviſſe; nam ut poſſeſſio ſit legitima, debet niti aliquo, ſaltem colorato titulo, bonæque fidei debet eſſe, haud reclamante rei Domino. Hic vero Romani Pontifices contra omne jus, ſine ullo titulo Reges deponere tentarunt, reclamantibus ſemper non tantum ipſis Regibus, ſed & univerſis populis, ac Epiſcopis totius orbis adverſum iſtos conatus proteſtantibus; ergo dici non poſſunt per iſtos conatus acquiſiviſſe ſibi poſſeſſionem juris Regum deponendorum. Deinde cum jure divino conſtituti ſint, & a ſolo Deo illorum pendeat auctoritas, etiamſi Pontifices eorum deponendorum auctoritatem, nemine reclamante, uſurpaſſent, imo etiamſi tota Eccleſia per impoſſibile hujuſmodi jus ſibi arrogaſſet, præſcribi propterea non poſſet adverſus jus divinum, & naturale, quod nulla facta, nulla exempla, nulla poſſeſſio, vel mutare, vel tollere poſſunt. Itaque poſſemus hæc omnia exempla Gregorio VII. poſteriora prætermittere, ſed ad confirmandam noſtram aſſertionem ea referemus, ut inde pateat, Pontificum in Reges conatus illicitos, iniquos, & temerarios fuiſſe, ſeditionum, cædium, bellorum, ſchiſmatum cauſas fere ſemper extitiſſe, uno verbo, multum ex iis mali, tum regnis, tum Eccleſiæ acceſſiſſe, nihil unquam boni.

III. Atque ut a Gregorii VII. facto ordiamur, inter ipſum, & Henricum Imperatorem diſſidii cauſa ferebatur, quod is Epiſcopos, & Abbates, partim pretio, partim privata auctoritate, quod inveſtituram

vo-

vocant, constitueret. Hac de causa initio Pontificatus, Gregorius eum admonuit, ne deinceps largitione corruptus, Episcopatus, & beneficia conferret, alioquin se in delinquentes pœnis Ecclesiasticis usurum. Sed discordia non erupit ante annum 1076. quo Gregorius, & Henricus sese mutuo damnationibus appetivere. Imperator enim superba legatione Pontificis exasperatus, Concilium Vormatiæ indixit, in quo Gregorius variorum flagitiorum accusatus, depositus est, missaque Romam legatio cum contumeliosis litteris, quibus denuntiabatur, ut se Episcopatu abdicaret. E contra vero Gregorius habita Romæ Synodo, Episcopos hujus sententiæ auctores excommunicat, ipso Henrico regnum Teutonum, & Italiæ abrogat, omnesque Christianos a vinculo juramenti absolvit. Henricus cognita Gregorii censura, multas Epistolas ad Gentes, & Nationes conscripsit, quibus se contra jus fasque a Pontifice damnatum ostendebat. Nihilominus tamen cum Saxones bellum contra Henricum pararent, Principes Allemaniæ veriti, ne regno spoliarentur, auctores ei fuerunt, ut si Gregorius in Allemanniam veniret, cum eo reconciliaretur. Simulavit ille se huc venturum, sed cum Vercellas usque venisset, Canossam oppidum agri Regiensis sese recepit. Venit illuc propere Henricus, rerumque suarum necessitate compulsus veniam petiit, quam Pontifex ipsi primum denegatam tandem concessit. Nihilominus tamen inclementia sua irritatum Cæsaris cernens animum, clam Rudolphum Ducem ad imperium capessendum sollicitavit: is a Saxonibus electus bellum in Henricum movit, ter prælium, æquo fere Marte, multa utrinque cæde edita, commissum. Interim Gregorius in Concilio Romano ann. 1080. latam in Henricum sententiam renovat, Rudolpho imperium confirmat, precaturque, ut Henricus in omni congressione vincatur, & Rudolphus regnum Teutonum obtineat: verum hujus vota non fuerunt exaudita, nam eodem anno, quarto prælio commisso, Rudolphus est occisus, inutili penes suos relicta victoria. Interim novemdecim Episcopi Moguntiæ, ac postea triginta Brixiæ congregati Gregorium deponunt, & Guibertum Ravennatem Episcopum, qui Clemens VI. est dictus, in ejus locum eligunt. Hunc Imperator cum exercitu Romam veniens, expulso Gregorio, in sede Episcopali collocavit, & ab eo coronam imperialem accepit. Nec hic fuit dissidiorum finis, nam fœderati Principes Hermanno Lotharingo regnum deferunt anno 1082. qui annis post septem extinctus est: triennio ante, hoc est anno 1085. mortuus fuerat Gregorius; huic successit Victor III., qui continuis bellis vexatus, cum prius pro ejus defensione ad viginti hominum millia per Italiam cecidissent, coactus est Cassinum Benedicti antiquam sedem reverti, ubi anno 1088. obiit, designato successore Othone Ostiensi, quem Cardinales ad Pontificatum promoverunt. Is sententiam in Henricum, & Guibertum a Gregorio latam confirmavit; sed ipse varie vexatus, coactus est aut in Gallia degere, aut Romæ in domo Petri Leonis, ubi & mortuus est, ad vitandas inimicorum insidias sese continere. Huic anno 1099. successit Paschalis, qui adversus Guibertum bellum gessit; sed is paulo post anno 1100. e vivis abiit, neque tamen ejus morte factionum studia resciſſa sunt; nam Richardus, qui Guiberto faverat, Albertum quemdam ei Atellanum suffecit, Prænestini Theodoricum quemdam Pontificem creavere. Tertius præterea Maginulphus apud Ravennam Pontificatus titulum usurpare ausus est. Sed non minus imperium, quam Pontificatus prædæ tunc erat. Nam adversus Henricum Pontifices excitavere filium ejus Conradum, & eo mortuo, filium alterum Henricum, a quo pater imperio spoliatus, captus, & in custodiam conjectus est, ac demum profugus Leodii decessit anno 1106.

IV. Violentum Henrici IV. in Romanos Pontifices animum non imitatus est modo, sed & superavit Henricus V. quippe in Italiam veniens, a Paschali per vim extorsit jura investiturarum, de quibus tantum erat certamen exortum, & ab eodem ritu solito Imperator inauguratus est. Sed quamprimum ille Italia discessit, hæc omnia irrita decrevit Paschalis in Concilio Lateranensi ann. 1112. inde in Concilio Viennensi investituram Episcopatuum hæresim

Digitized by Google

resim esse declaratum est. Sub Gelasio II. Paschalis successore Romam rediit Henricus, ut ab eo confirmationem eorum, quæ a Paschali II. sibi concessa fuerant, extorqueret; sed cum ille Roma aufugisset, Burdinum quemdam, quem alii Mauritium, alii Gregorium VIII. appellant, Bracarensem Archiepiscopum Antipapam constituit. Post discessum Henrici Gelasius Romam rediit: hinc intestinum in urbe Roma prælium, in quo multi cecidere. Gelasius iterum fugere coactus, habitis Capuæ, & Viennæ Conciliis, Henricum, & Burdinum excommunicavit; cumque in Monasterium Cluniacense sese recepisset, ibidem paulo post obiit. Huic successit Calixtus II., sub quo pax inter Pontificem, & Imperatorem inita est, ac controversia de investituris terminata in Conventu Vvormatiensi, in quo Imperator investituram per annulum, & baculum remisit, canonicam electionem, & liberam consecrationem fieri permisit, sed ex alia parte Pontifex Imperatori concessit, ut electiones Episcoporum, & Abbatum regni Teutonici coram ipso fierent absque simonia, & violentia, electus autem regalia per sceptrum acciperet, & ex aliis imperii partibus consecratus infra sex menses regalia quoque per sceptrum acciperet. Ita investiturarum controversia, quæ a Gregorio VI. Ecclesiam innumeris pene malis, & cladibus affecerat, anno 1122. amice terminata est.

V. Ex hac autem totius istius Constitutionis narratione liquet, ea quæ tum a Romanis Imperatoribus hujus diffidii tempore attentata sunt, in exemplum trahi minime posse. Cum utrinque multa præter æquitatem omnem crudeliter, & impie fuerint gesta. Quot vero, & quantæ, Deus bone! calamitates e temeraria Gregorii VI. in Henricum IV. sententia fluxerunt; in imperio seditiones, cædes, rebelliones, bella, parricidia; in Ecclesia Episcoporum proscriptiones mutuæ, Concilia sibi invicem opposita, spoliata templa, violatæ aræ, dejecti Pontifices, alii in eorum locum suffecti: de Romano Episcopatu vi, & armis decertatum, longo ac diro schismate Ecclesia vexata, uno verbo, omnia sive in Imperio, sive in Ecclesia susque deque versa.

VI. Quanquam autem varia fuerunt pro variis affectibus scriptorum de hoc dissidio judicia, nihilominus tamen omnes Gregorii de Imperatore deponendo conatum novum, & antehac inauditum fuisse agnoscunt: & ex his non pauci Gregorium crudelitatis, & ambitionis arguunt.

VII. Sic Petrus Damianus Cardinalis, qui Hildebrandum sub Alexandro II. Cardinalem tantum noverat, nam antequam Papa fieret, mortuus erat Petrus: is, inquam, Damianus Ep. 10. lib. 1. vocat eum *Tyrannum Neroniana pietate condolentem, colaphisando demulcentem, aquilino ungue palpantem*. Et in fine Epistolæ: *ille miserum Petrum de manibus eruit Hildebrandi, ad cujus imperium magno Petro patuit carcer Herodis*.

VIII. Leo Ostiensis Gregorio VI. addictissimus, lib. 3. c. 24. vocat eum elatione turgidum, &c. 48. accusat eum perfidiæ, quod post reconciliatum sibi Henricum Matildæ consiliis, quemdam e suis ultra montes dirigens coronam imperii illi miserit, & ei adversus Imperatorem rebellionem suaserit.

IX. Rodulphus ipse qui in locum Henrici suffectus fuerat, vulneratus in prælio, paulo ante mortem fassus est, se injuste in Henricum ex jussione, & mandato Pontificis rebellasse: *Videtis*, inquit, *manum meam de vulnere sauciam, hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiaret gloriæ ejus; sed jussio Apostolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit; ut juramenti transgressor honorem indebitum usurparem. Quis igitur finis nos acceperit videtis, cum in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi: viderint ergo ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerunt, ne forte deducti simus in præcipitium æternæ damnationis*. Hæc refert Hemoldus Chronici Sclavorum, lib. 1. c. 29.

X. Denique ipsum et Gregorium morti proximum, eorum, quæ contra Henricum IV. tentaverat pœnituisse refert Sigibertus Chronico. Quis non videat pluris fieri debere morientium Henrici adver-

Digitized by Google

sariorum verba eo tempore prolata, quo veræ tum demum excutiuntur pectore voces, detrahiturque persona, manet res, quam quæ ipsi odiis, & ambitione impulsi scripserunt, aut gesserunt.

XI. Objicit primo Bellarminus, ut probet Gregorii VII. de Henrici IV. depositione sententiam justam fuisse, Conciliorum, quæ Pontifices celebrarunt Decreta, ex quibus probata est Gregorii in Henricum IV. sententia. Hæc autem sunt, Romanum III. & VII. sub Gregorio, Beneventanum sub Victore III. Beneventanum, Placentinum, & Claromontanum sub Urbano II., Romanum sub Paschali II.

XII. Respondeo primo, majoris fieri non debere istorum Conciliorum auctoritatem, quam ipsorum Pontificum, quorum auctoritate convocati sunt, iisque opponi posse Concilia ab Henrico convocata, quæ in Pontificem sententiam tulerunt, Vormatiense scilicet, Papiense, Moguntinum, Brixiense, & Moguntinum alterum, in quo Brixiensis Concilii sententia est confirmata. Quod si in auctoritatem admitti nolint, quæ ab ipso Imperatore sunt convocata, fueruntque Episcoporum, qui ipsi favebant; cur non iisdem rationibus nos Conciliorum a Romanis Pontificibus convocatorum auctoritatem rejiciemus?

XIII. Respondeo secundo, in Romanis duobus a solo Gregorio pronunciatam in Henricum sententiam depositionis, in ceteris excommunicatum esse Henricum, non autem depositum.

XIV. Objicit secundo Bellarminus eos auctores, qui Gregorii VI. factum approbarunt, Marianum, Scotum, Lambertum, Schafanaburgensem, Anselmum Cantuariensem, & Lucensem, Geberhardum Salsburgensem, Stephanum Alberstatensem, Leonem Ostiensem, Othonem Frisingensem, Dodechinum, & Abbatem Uspergensem.

XV. Verum qua de causa Bellarminus Bennonem Cardinalem, & alios scriptores, ut suspectos rejicit, eadem nos plerosque ex istis, qui Gregorii partes sequebantur in auctoritatem admittere non tenemur. Quippe hoc tempore omnes fere scriptores Imperatoris vel Pontificis partes acriter tuebantur, nec liberum erat hinc, & inde mentem aperire, ut testis est anonymus in vita Henrici IV. *De his*, inquit, *vera scribere, periculum; falsa, crimen, hac lupus, hac canis urget*. Unde non mirum, si prudentiores judicium non interposuerint, ceteri vel in Henricum, vel in Gregorium stylum suum direxerint, cum e contra potius studio, quam Historicorum animo; sed de singulis scriptoribus pauca dicam. Et primo, quod spectat ad Marianum Scotum, ejus auctoritas nullius est momenti, cum faverit ipse rebellibus, Saxonibus, & defectionem eorum probaverit, non solum eam, quæ Gregorii sententiam secuta est, sed etiam illam, quæ antea contigit sub Alexandro II. sic enim de hac loquitur: *Quod audiens*, inquit, *prædictus Otho Dux, gravius quam credi potest dictum Regis suscepit, colloeutusque Principibus Saxoniæ, rebellare omnem simul fecit Provinciam, & merito*. Lucensis Anselmus Gregorii VI. fuit Patronus, ut testantur Sigebertus, & Trithemius, ideoque ejus auctoritas non majoris est momenti, quam ipsius Gregorii. Giberhardus quoque eodem munere functus est, & cum Vicelone Moguntino Archiepiscopo disputavit; non magis ergo ei credi debet partes Pontificis tuenti, quam Viceloni partes Imperatoris defendenti.

XVI. Lambertus Schafanaburgensis, & alii scriptores ob investituras, & tentata in Gregorium Imperatorem damnant, at ejus exauctorationem non omnino approbant, sed tantum historice referunt. Multi vero auctores Henricum etiam post hanc exauctorationem Imperatorem appellant quales Anonymus Historiæ Franciæ Scriptor apud Ducheſnium t. 4. qui præterea observat excommunicationem a Gregorio latam, contra voluntatem totius pene Concilii factam, totum Ecclesiæ statum turbasse. Albertus Aquensis lib. 1. c. 7. Guibertus Novigentinus lib. 3. c. 2. Guilielmus Tyrius lib. 1. c. 13. lib. 8. c. 24. lib. 9. c. 8. Otho Bambergensis Epistola ad Paschalem II. data anno 1102. Sugerius in vita Ludovici VI., & alii alias a nobis laudati, qui factum Gregorii velut novum, & inauditum reprehendunt.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Objiciunt ultimo exauctorationem Henrici omnibus, atque ipsi Henrico terrori fuisse, & quamvis nonnulli existimarint, injuste hanc a Pontifice latam, nullum tamen fuisse, qui dubitarit potestatem esse Pontifici Reges deponere, quod & ipse Henricus in Epistola quadam agnovit, in materia hæreseos fieri posse eo tempore, quo Gregorio maxime infensus erat.

XVIII. Respondeo ex dictis constare quamplurimos non modo injustam, sed & illicitam existimasse exautorationem Henrici, ita Anonimus in historia, seu apologia vitæ Henrici relatus inter veteres rerum Germanicarum historicos: *Qua subreptione*, inquit, *delusus Apostolicus simul, & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, Regem banno innodavit, absolvit omnes, qui fidem Regi juraverunt, a juramento, quod factum multis displicuit, & asserebant, tam inefficaciter, quam illicite factum*. Hoc ipsum agnovit Gregorius, qui consultus ab Herimanno Metensi quomodo novam illam, & inauditam auctoritatem quam sibi asserebat probare posset, respondit his verbis Ep. 21. lib. 8. *Quod autem*, inquit, *postulasti quasi scriptis nostris juvari ac præmuniri contra illorum insaniam qui nefando ore garriunt, auctoritate sanctæ, & Apostolicæ Sedis non potuisse Henricum excommunicari, nec quemquam a Sacramento fidelitatis absolvi, non adeo necessarium nobis videtur, &c.* Idem Ep. 3. lib. 7. *Quotquot*, inquit, *latini sunt, omnes causam Henrici præter admodum paucos laudant, ac defendunt, & duritiæ ac impietatis circa ipsum me redarguunt*.

XIX. Nec vero attendendum est ad ea, quæ Henricus aut alii Imperatores rerum suarum necessitate coacti dicere, promittere aut facere potuerunt. Sciunt enim omnes, iniquum omnino esse ex hujusmodi conditionibus per vim extortis aliquid juris assumere. Non est ergo quod adversarii urgeant Henrici ad extremas angustias redacti propositiones, pollicitationes, aut submissiones. Has enim semper extorsit necessitas. Sic initio dissidii cum ejus opes, & copiæ fractæ omnino forent, coactus est iniquas subire pacis conditiones, atque in Italiam proficisci, & ibi a Pontifice miserabiliter absolutionem, & veniam deprecari. Sed, ut observat Lambertus, omnes Italiæ Principes factum Imperatoris omnino improbarunt, ipseque Henricus pœnitentia ductus eas ut nullas, & extortas revocavit.

XX. Quod vero additur Henricum ipsum eo tempore, quo maxime Gregorio infensus erat agnovisse in casu hæreseos Reges, & Imperatores deponi posse non omnino verum est. Id enim tantum ille dicit dubitanter, & per quamdam concessionem aliunde probans id minime fieri debere, & in Ecclesia factum non esse, sic enim habet in Epistola post Synodum Briacensem scripta: „ Et nos quidem, *inquit*, hæc omnia „ sustinuimus dum Apostolicæ Sedis honorem conservare studuimus, sed sic humilitatem nostram timorem forte intellexisti, ideoque in ipsam Regiam potestatem nobis a Deo concessam exurgere non timuisti, quam a nobis auferre ausus es minari, quasi nos a te Regnum „ acceperimus, quasi in tua, & non in „ Dei manu sit Regnum vel Imperium, „ quia Dominus noster Christus nos ad „ Regnum, te autem non vocavit ad Sacerdotium, &c. Me quoque (licet indignus inter Christianos sum ad Regnum „ vocatus) te teste, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit nec pro aliquo crimine, nisi a fide, „ quod absit, exorbitaverim, deponendum „ asseruit: cum etiam Julianum Apostatam prudentia sanctorum Episcoporum „ non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit. Ipse vero quid verus Papa Beatus Petrus clamat Deum timete, Regem honorificate, tu, inquam, quia „ Deum non times, me Christum ejus in „ honoras. Ex his videre est Henricum per concessionem tantum, & ad mentem ac secundum principia Gregorii, & Romanorum fateri ob fidem deponi posse Reges, at a quo possint deponi non dicit, imo statim addit eos non ab hominibus, sed a Deo deponendos; idque probat, tum exemplo Juliani Apostatæ, tum dicto beati Petri, quare ex ejus testimonio probari non potest, Reges deponi revera posse, cum a fide aberrant. Sed tantum, si quando de-

poni possent, maxime in negotio fidei, quod tamen verum non est. Henricus scilicet, & Episcopi, qui ab illius partibus stabant, exauctorationem a Gregorio factam duplici ex capite arguebant: Primo ex eo, quod hujusmodi potestatem non haberet Pontifex, deinde ex eo quod etiamsi aliquando Reges deponi possent, fieri id non posset nisi in casu hæreseos, quod tamen faciendum non esse probabant exemplo Juliani Apostatæ, & brati Petri testimonio. Falluntur ergo qui istud per concessionem dictum, Reges non posse deponi nisi a fide exorbitaverint, affirmate dictum esse autumant. Non advertentes hæc verba, quæ præcedunt, *te teste*, quæ manifeste probant id tantum ad mentem Gregorii dictum fuisse ab Henrico, & Episcopis, qui ab ipsius partibus stabant.

De Othonis IV. depositione.

DEcimum *exemplum*, inquit Bellarminus, *est Innocentii III. qui Othonem IV. similiter deposuit, ut patet ex Blondo Decade 2. lib. 6.*

II. Respondeo, Othonem nunquam legitimum fuisse Imperatorem: Nam post mortem Henrici VI. Imperatoris, qui filius fuit Friderici Ænobarbi, Imperium de jure pertinebat ad Fridericum II. Henrici VII. filium adhuc infantem, vel si non videretur is Imperio idoneus, Philippus Dux Sueviæ Friderici Ænobarbi filius Henrici VII. frater, cui administratio Regni ab Henrico moriente fuerat commendata, ut testis est Blondus, erat eligendus, vel si aliter fieri non posset, Imperator eligendus ea lege, ut eo mortuo Imperium ad fratris filium rediret. Juri accedebat electio Principum, nam vivente adhuc Imperatore, *Henrico VI. eoque procurante*, ut ait Abbas Uspergensis, *Principes Allemaniæ pene omnes filium parvulum ipsius Fridericum II. adhuc in cunis vagientem assumpserunt in Regem, eique fidelitatem juraverunt, & litteras de hoc facto cum sigillis suis Imperatori transmiserunt*. Post mortem vero Henrici plures Philippum elegerunt, Otho vero Dux Saxoniæ a paucioribus est electus, nam in Epist. electionis hujus, quæ est apud Baronium ad annum 996. unus ex Electoribus subscripsit Adulphus Colonienſis, qui postea ad Philippum transiit, & cum eo duo tantum Episcopi Paderbonensis, & Mindensis, unus Dux Henricus Lotharingiæ, & Brabantiæ, Comes unus Henricus de Kuke, at in electionem Philippi consenserunt Archiepiscopi tres, Episcopi novem, Abbates quatuor, Rex unus, Duces quatuor, Marchio unus cum Nobilibus Allemanniæ, qui litteris consensum præbuerunt. Philippo favebat cognominis Franciæ Rex, Othoni Innocentius III. qui in cap. *venerabilem hujus electionem confirmaverat;* Philippum, quem olim excommunicatum dicebat, ita exosum habens, ut, teste Uspergensi, dixerit, se ablaturum Philippo Diadema, aut sibi Papæ insigne detracturum; nihilominus Philippus Imperio per decem annos potitus est, repugnante primum, ac deinde cedente Othone, cum quo pactus erat Philippus, ut post mortem suam filiam ejus duceret, & Imperium obtineret. Itaque post mortem Philippi iterum electus Otho Imperium invasit, at nec electio ista quamquam concordibus Principum votis facta rata haberi debebat, nam Fridericus II. Henrici VII. filius legitimus erat Imperii hæres, eique fidelitatem ipse juraverat, ac proinde nec potuerat Philippus de Imperio ad se ad tempus tantum pertinente cum Othone pacisci, nec Principes electione in irritum missa fidem violare. Cumque jam adolesceret Fridericus, erat is in Imperio confirmandus, non eligendus Otho. Itaque cum Henricus VII. moriens, ut testis est Blondus, uxorem, & Fridericum filium commendasset Pontifici, potuit & debuit ille ipsius causam agere, eumque legitimum Imperatorem declarare, Othonem vero, ut nihil juris ad Imperium habentem, rejicere.

III. Verum uti, quod veritas habet, libere dicamus, non id habuit in mente Innocentius, ut Fridericum injuste spoliatum restitueret, nam Othonis electionem ipse probaverat, & Philippum a patre Frederici Henrico curatorem electum proscripserat, sed in Othonem exarsit, quod vellet

Digitized by Google

let ille, ut teſtis eſt Matthæus Pariſienſis, jura, & poſſeſſiones Imperii a Pontificibus uſurpatas recuperare, vel ut alii volunt, quod Regnum Siciliæ, quod Eccleſiæ feudatarium eſſe Pontifex arbitrabatur, ſine inveſtitura ejuſdem Eccleſiæ vellet occupare, ſed ſive hac, ſive illa potius de cauſa depoſuerit, fatebuntur ipſi Bellarminus, Baronius, & alii, neutrum iſtorum ad deponendos Reges ſufficere, cum cauſam ſolam hæreſeos vulgo afferant ut legitimam.

IV. Quanquam vero Otho IV. ſententia Innocentii dejectus foret, & Fridericus Imperator II. a Principibus Imperator electus, nihilominus tamen nec confirmatus, nec coronatus ante mortem Othonis, ut teſtis eſt Albertus Stadenſis ad annum 1279. Ceterum ex dictis manifeſtum eſt. Primo, Othonem Imperii potius invaſorem dici debere, quam legitimum Imperatorem. Secundo, Innocentium Philippo legitimo Imperii curatori injuſte obſtitiſſe. Tertio, eundem Othoni perperam faviſſe, & electionem ejus immerito confirmaſſe. Quarto, eum non cauſæ æquitate, ſed rerum ſuarum promovendarum ſtudio motum Othoni poſtea Imperium abrogaſſe. Quinto, Fridericum legitimum Imperatorem non fuiſſe vi abrogationis hujus, ſed electionis principum, & jure hæreditatis, Othonem vero non idcirco illegitimum Imperatorem, quod fuiſſet a Pontifice dejectus, ſed quod nullum jus ad Imperium haberet, nec legitime fuiſſet electus.

De Fridericii II. depoſitione.

UNdecimum, inquit Bellarminus, *exemplum eſt Innocentii IV., qui in Concilio generali Lugdunenſi conſentientibus univerſis Fridericum depoſuit, & vacavit tunc Imperium annis 28. ut Matthæus Palmerius in Chronico annotavit, & extat ſententia de ſententia, & re judicata in ſexto.*

II. Fridericus ille eſt, de quo modo diximus Henrici VII. filius, cui a Patre moriente Patronus datus fuerat Innocentius, ſed is hoſtis potius, quam curatoris partes geſſit, nam & eum, ejuſque Patruum, cui adminiſtratio Imperii concredita erat, Imperio ſpoliare conatus eſt, & Othonis adverſus eum electionem probavit, & ipſum Fridericum in minoribus adhuc agentem regnis Siciliæ, & Apuliæ ſpoliare tentavit, ut teſtis eſt Nauclerus generatione 34. *Reliquerat*, inquit, *Henricus VI. uxorem Conſtantiam cum parvulo filio Friderico II. moriens Innocentii nuper electi curæ, qui ut mox per Principis obitum jura Siciliæ repetiit, ita poſt Conſtantiæ interitum poſtea non tam tutelæ nomine, quam ſui juris tuendi cauſa Siciliam, & Apuliam adminiſtrabat.*

III. Innocentio III. ſucceſſit Honorius III. a quo per Oſtienſem Epiſcopum poſt mortem Othonis Fridericus II. Imperator Romæ coronatus eſt. Et tum, ut referunt Uſpergenſis, & Nauclerus, Fridericus II. de bonis, & prædiis Imperii in Italia ſitis, *Multa contulit Eccleſiæ S. Petri, & vota votis accumulans, de manu ejuſdem Epiſcopi rurſus crucem accepit, ad perficiendum iter Hieroſolymitanum.* Initium vero diſſidii inter Fridericum, & Pontificem ſic refert Cuſpinianus: *Contra duos Comites Thuſciæ Matthæum videlicet, & Thomam, qui caſtra quædam, & terras ſuæ ditionis occupaverant in Apulia pugnare cœpit, & expugnatos bonis omnibus privavit.* Hi confugiunt Romam, præſidium Sedis Apoſtolicæ implorant, quocirca Imperator multoties conquerebatur, quod inimicos ſuos, & hoſtes publicos Sedis Apoſtolicæ foveret. Inde non levis cauſa odii Imperatoris in Pontificem, unde etiam prima inimicitiarum fomenta inter utrumque exorta ſunt.

IV. Huic controverſiæ ſucceſſit de inveſtituris diſceptatio nunquam non ſine magnis motibus agitata, Fridericus enim, teſte Nauclero generat. 41. *Ditionem vexare cœpit Pontificum, Pontifices, & Archiepiſcopos ponere in Eccleſiis modo ſuo inſtitutos a Papa expellens collectas ab Eccleſiis exigens, dicebat enim jus Regibus Siciliæ in Electionibus Prælatorum ab antiquo debitum minorari a Papa, quia eorum privilegium Innocentius III. ſic tuliſſet Conſtantia Friderico puero exiſtente, ut ſupra dictum eſt:* forte fuit privilegium, de quo in gloſſa 16. q. 7. quod Apuliæ Reges habeant inveſtire, *admonitus autem ſuper his*

Digitized by Google

non obtemperabat, admonentem magis magisque in dies sprevit, unde eum percussit Pontifex anathemate, nisi respiscceret, iterato Pontifex privationem Imperii Regnorumque addidit. Tertio per contumacem exasperatur Pontifex, omnes Imperii, & regnorum olim suorum subditos a sacramento fidelitatis absolvit, hæc fuerunt semina malorum plurimorum.

V. Honorio III. mortuo successit Gregorius IX. Hic utpote superbus, inquiunt Uspergensis, & Cuspinianus ad annum 1227. Fridericum excommunicare primo anno Pontificatus sui cœpit ob causas frivolas, & vanas nullo juris ordine servato; Nauclerus ait, Scriptores de causis istis non convenire, Antoninum excommunicatum eum narrare eo, quod investituras Pontificum, & collationes beneficiorum usurparet; terras plurimas Ecclesiæ nollet restituere, Clericos vectigalibus privaret, & census de feudis Ecclesiæ nollet reddere. At ex Epistola ipsius Gregorii palam fieri, ait Nauclerus, non ob has causas excommunicatum esse a Gregorio Fridericum, sed quia expeditionem in terram sanctam, quæ ipsi sub pœna excommunicationis præcepta fuerat, non susciperet, sed excusationem legitimam afferebat Imperator, dicens, se dicto tempore profectum esse, & in itinere infirmitate correptum coactum fuisse reverti, Pontificem vero hanc ægritudinem velut simulatam pro excusatione non habuisse.

VI. Eandem excommunicationis causam refert Cuspinianus: *Non enim*, inquit, *aliam causam habuit Pontifex, quam quod votum peregrinationis non exolvisset.*

VII. At Imperator, ut ait Uspergensis, anno Domini 1228. *Volens implere votum suum, & pacatum sibi Papam efficere, transfretavit ad terram sanctam mense Augusto, multa sustinuit, & perfida proditione Templariorum &c. Papa vero captata occasione de absentia Imperatoris copiosum exercitum destinavit in Apuliam, & terram Imperatoris in servitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit, & sibi subjecit, & cruce signatos ne transfretarent omni studio prohibuit, tam in Apulia, quam in Lombardia.*

VIII. *Quis talia facta recte considerans non deploret, & detestetur? qua indicium videntur, & quoddam portentum, & prodigium tuentis Ecclesiæ:* hæc Uspergensis. Addit Nauclerus Fridericum discedentem Oratores Romam misisse absolutionem a Pontifice petituros, quia votis satisfecerat, Pontificem vero repulsam dedisse, & Templariis in Asia injunxisse, ne Friderico tanquam hosti publico auxilium præberent. Eadem constant ex Epistola cujusdam Thomæ Alteronensis Imperii Rectoris apud Matthæum Parisiensem in Henrico, qua scilicet Imperatorem certiorem facit iste Comes, Pontificem armis fines suos invadere, & nescio, quem Joannem de Brennes pro Imperatore agnoscere.

IX. Hoc nuncio accepto Fridericus, qui jam urbes, Hierosolymam, Joppum, & Nazareth receperat amissa victoria, pactisque cum Sultano initis ad sua defendenda revertitur, quæ capta fuerant ab hostibus celeriter recuperat, & eos, qui defectionem meditabantur compescit. E contra Pontifex Imperatorem ob initas cum Sultano inducias habitumque in Germania conventum Principum, in quo filius ejus fuerat Rex Romanorum electus nulla habita ratione mandati Pontificii, quo vetuerat, ne quis ex hujus stirpe ad regnum promoveretur; propter hæc, inquam, Fridericum iterum atque iterum diris devovet, hæreticos ac rebelles Mediolanenses tutatur. Nihilominus Imperator non destitit beneficium absolutionis humiliter petere, Papamque hortatus est, ut sibi ad domandos Mediolanenses auxilio esset. Ille sibi metuens, Romam revertitur, Imperator Mediolanenses vastat, Italiæ urbes ditioni suæ subjicit, Sardiniam velut ad Imperium ab antiquo spectantem occupat, hinc graviores inter ipsum, & Pontificem, qui eam velut patrimonium suum sibi vindicabat, inimicitiæ oriuntur. Pontifex ad solitum excommunicationis telum confugit, eumque quanta potest solemnitate devovet, & subditos ejus ab obedientia Imperatoris solvit, & ne fulmen esset irritum, Roberto Ludovici Francorum Regis fratri Imperium per litteras offert. Galli Principes in consilium asciti a Rege mira æquitate conatum Pontificis detestantur. *Quo*, inquiunt, *spiritu*,

ad

Digitized by Google

vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est major, imo nec inter Christianos, non convictum, & confessum de objectis sibi criminibus exhæredavit, & ab Imperiali apice præcipitavit, &c. Scimus quod Domino JESU CHRISTO fideliter militavit moriens, & bellicis se periculis confidenter opponens, tantum Religionis in Papa non invenimus. Imo qui eum debuit promovisse, & Deo militantem protexisse, eum conatus est absentem confundere, & nequiter supplantare. Noluimus nosmetipsos in tanta pericula præcipitare, ut ipsum Fridericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra juvabunt, & causa justa præstabit adminiculum. Quid ad Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione, dummodo iræ suæ satisfecerimus, si enim per nos, & alios devicerit omnes Principes mundi conculcabit sumens cornua jactantia, & superbiam, quoniam ipsum Fridericum Imperatorem magnum contriverit. Hæc narrat Matthæus Parisiensis in Henrico III. in quibus elucet Gallorum illius temporis æquitas, & prudentia, qua injustum Pontificis conatum, maximumque bellum nobis, & Imperatori exitio futurum compressêrunt.

X. Itaque cum inutile fuisset istud Gregorii IX. molimen, coactus est cum Imperatore inducias pacisci, sed has paulo post violavit, & adversus eum Concilium Romæ anno 1239. indixit. At Imperator Episcopos ad illud proficiscentes in transitu maris captos in custodiam conjecit; ingressusque in Campaniam Castellum quoddam, quo præcipui Papæ consanguinei clausi erant, vi cœpit, & omnes, quos in eo invenit suspendi jussit. Quo dolore oppressus Gregorius secundo Kalendas Septembris e vita excessit. Defuncto Gregorio successit Celestinus, qui octodecim tantum post electionem diebus vixit, adeoque nihil in Imperatorem tentavit. Huic suffectus est Innocentius IV. qui dum esset Cardinalis, fuerat Imperatoris amicus. Is nihilominus latas a prædecessore in Imperatorem sententias renovavit, confirmavit, atque promulgavit. Quæ res multos a Friderici partibus alienavit. Hic vero prætermittendum non est Parochi cujusdam Parisiensis insigne illo tempore factum, ad quem cum missa fuisset Pontificis sententia in Fridericum, ut eam promulgaret, sic populum allocutus fertur: *Audite universi, accepi in mandatis, ut candelis accensis, & pulsis campanis in Imperatorem Fridericum excommunicationis sententiam ferrem solemnem, causam tamen ignorans, non ignoro controversiam, & odium inexorabile motum inter eos. Scio enim, quod unus eorum alteri injuriatur, quis cui nescio, sed illum in quantum mea se extendit potestas, excommunicatum denuntio, alterutrum horum, videlicet eum, qui alteri injuriatur, & absolvo injuriam patientem, quæ tam damnosa est Christianitati.* Hæc Matthæus Parisiensis. Sed ut ad propositum revertar, ut majorem excommunicationi a se latæ auctoritatem conciliaret Pontifex, Italia, cum in Galliam ex Italia venisset, Concilium Lugduni indixit, quod ibidem post festum Ioannis Baptistæ anno 1245. celebratum est; in prima Concilii hujus, ut loquuntur, sessione, Theodorus Friderici Procurator promisit, eum si Romanus Pontifex vellet reconciliari Græciam ad unitatem Ecclesiæ revocaturum, terram sanctam recuperaturum, & ablata Romanæ Ecclesiæ redditurum; fidejussores hujus promissi offerens Franciæ, & Angliæ Reges, at Pontifex promissum istud velut illusorium rejecit. Sessione 2. Pontifex habita oratione post alia capita in Fridericum multis invectus est, eumque hæreseos, & sacrilegii, & perjurii accusavit, alia insuper addens crimina, quod scilicet civitatem novam construxisset, quam Saracenis populaverat, quod familiaritatem cum Soldano Babyloniæ contraxisset, quod concubitu Saracenicarum muliercularum impudenter polluëretur. Ad hæc respondit Thaddæus Fridericum hæreseos convinci non posse, si ipse adesset, voce fidem suam professurum, ejus vero orthodoxiæ probabile argumentum esse, quod usurarios in regno suo non toleraret: *In hoc*, inquit Matthæus, *Curiam Romanam reprehendens, quam constat hoc vitio maxime laborantem.* Ad alia objecta similiter respondet Thaddæus, dilationemque petit, ut Imperatori nunciare posset; negavit istud primo Pontifex addens: *si veniret*

niret, statim recederem: sed sequente die compulsus est ad petitionem Procuratorum Regum Franciæ & Angliæ duarum hebdomadarum inducias concedere.

XI. At Imperator cernens damnationem suam vitari non posse nec congruens arbitratus se judicio Synodali præsertim adversanti judicandum sistere, accedere ad Concilium recusavit. Tum Pontifex nulla provocationis a Thaddæo interpositæ ratione habita in Fridericum sententiam protulit, qua illum omni honore, & dignitate privatum pronunciavit, & omnes a juramento fidei ipsi præstito absolvit, vetuitque eum a quoquam pro Imperatore agnosci. Hæc sententia in ipso Concilio lata est: *Non sine omnium audientium, & circumstantium*, ut inquit Matthæus, *stupore, & horrore*. Hanc sententiam licet frivolam, & injustam sentiret Fridericus, cernens tamen quantum illi detrimenti sibi esset allatura, nullum non movit lapidem, ut Pontifici reconciliaretur. Quare per procuratorem suum Regem Franciæ Domino Papæ *Obtulit satisfactionem facere competentem*, inquit Matthæus, *obculit etiam quod in terram sanctam irrediturus abiret, quoad viveret Christo ibidem militaturus.*

XII. Ad hæc ridens Papa ait: *hæc quoties talia, vel potiora promissa sunt. Respondit Rex Franciæ septuagies septies pandendus est sinus, peto, & petens consulo; tam pro me quam pro multis aliis millium millibus peregrinaturis prosperum exitum expectantibus imo potius prostatu universalis Ecclesiæ, & Christianitatis accipite & acceptate tanti Principis talem humilitatem, Christi sequentes vestigia, qui se usque ad crucis patibulum humiliasse legitur.* Quod cum Dominus Papa erecta, & rejecta cervice refutasset Dominus Rex Francorum recessit iratus, & indignatus, quod humilitatem, quam semper habuerat in servo servorum reperisset. *Igitur Pontificis sententia per mundum volitante*, inquit Stadensis, *quidam Principum cum multis aliis reclamabant, dicentes ad Papam non pertinere Imperatorem instituere, vel destituere, sed electum a Principibus coronare. Quandiu autem vixit Fridericus*, inquit Trithemius, *per annos ferme sex contra eum nec Papa, nec aliquis Principum prævalere potuit; sed non advertens sententiam Papæ, quam frivolam, & injustam esse dicebat, se Imperatorem gessit, magnamque Principum, Nobiliorum, & Civitatum usque ad mortem adhærentiam habuit.* Nihilominus tamen a quibusdam Principibus a Papa sollicitatis, & pretio corruptis, Henricus Hassiæ, & Turingiæ Lantgravius eligitur, sed isto post biennium sublato, ei Guilielmus Hollandiæ Comes anno 1248. suffectus est, Frederico Longobardis, qui defecerant in ordinem redigendis intento.

XIII. Demum ipse Fridericus frustra tentata cum Pontifice reconciliatione, circa finem anni 1250. e vivis abiit, Conrado filio relinquens Imperium, Friderico Henrici filii sui jam defuncti filio Austriæ Ducatum, & Mensredo notho Tarentasiæ Principatum. Post hujus mortem Imperium prædæ fuit, & a multis subinde occupatum, Italia vero bellis, ac discordiis civilibus misere vexata est.

XIV. Unum est quod adversus nos urgeri posset, Concilii scilicet Lugdunensis, quod generale dicitur, auctoritas. Cum enim in eo Innocentius IV. depositionis sententiam in Fridericum pronunciarit, necesse est eam ab illo Concilio probatam.

XV. Respondeo, sententiam in Fridericum latam non esse a Concilio, sed ab Innocentio, sicque Innocentii esse, non Concilii Lugdunensis: eam vero a Concilio examinatam, ac confirmatam non fuisse extra dubium est. Unde illa in inscriptione lata non dicitur, *sacro approbante Concilio*, sed tantum, *sacro præsente Concilio.* Quæcunque autem præsente Concilio fiunt, non propterea censentur a Concilio fieri aut probari; utque aliquid in Conciliis dictum, aut factum auctoritatem obtineat, necesse est, ut in eo conciliariter, ut loquuntur, examinetur, hoc est, ut re examinata a singulis judicium seratur: at nihil simile in hoc negotio contigit in Synodo Lugdunensi, ubi nec ista res ab Episcopis examinata est, nec singularium Episcoporum ea de re vota collecta sunt, sed solum a Pontifice condita, & lecta in Concilio sententia. Sunt etiam nonnulli e Catholicis, qui Concilium istud Lugdunense

Digitized by Google

I. generale fuisse negent, cum præsertim ei desint duæ conditiones a Bellarmino ad Concilii universalitatem requisitæ, convocatio generalis, atque ut saltem ex majori orbis parte ad illud Episcopi conveniant. Ad Concilium autem Lugdunense convocavit tantum Innocentius Regem Galliæ, Senonensem Archiepiscopum, & Angliæ Episcopos, nullas autem litteras dedit ad Episcopos Germaniæ, Aragoniæ, Castellæ, Lusitaniæ, ut nihil dicam de Orientis Episcopis. In Concilio vero pauci adfuerunt Episcopi ex Anglia, & Gallia, plerique per procuratores, nulli Italici, Hispani, Germani Orientales, &c. Concilium composuit Pontifex cum suis Cardinalibus, paucis Angliæ, ac Franciæ Episcopis, & procuratoribus Regum Galliæ, & Angliæ. Deinde in eo nihil secundum formam judiciorum actum est, non est legitime citatus aut convictus Imperator, Episcoporum vota, & suffragia non sunt quæsita. Pontifex vero solus in eo simul egit accusatoris, testis, & judicis partes; solus enim Fridericum accusavit, solus testimonium in eum dixit, solus sententiam pronunciavit. Denique Concilium in actis, aut inscriptionibus nusquam generale dicitur, nequidem ab Innocentio, aut Concilium convocante, aut in eo pronunciante hoc nomine donatur; ubique enim leges, *sacro præsente Concilio*, non *universali*, *& sancta Synodo*. Deinde cum ad Concilium generalius provocaret Thaddæus, non respondet Pontifex, hoc esse universale, sed tantum satis esse dicit Concilium generale multorum. Unde colligitur, Concilium non simpliciter generale fuisse, sed tantum multorum. Demum e veteribus scriptoribus, qui ejus mentionem faciunt, nullus illud generale appellavit, non Matthæus Parisiensis, non Albertus Stadensis, non Trithemius, non Palmerius, non Platina, a quibus generalis Concilii nomine non donatur. Primus, qui hoc nomine ipsum decoravit, videtur esse Onuphrius, sed quas ad Concilium generale conditiones requirat, nescitur.

XVI. Respondent alii, dato quod fuerit generale hoc Concilium, errare ipsum potuisse in præsenti quæstione, quæ potius facti est, quam juris; nec enim actum est in ea Synodo de jure Pontificis, sed supposito ejus jure, quæsitum, utrum esset diris devovendus Fridericus ob crimina. Hanc responsionem confirmat Launoius a simili, in iis, quæ Bellarminus profert lib. 5. de Romano Pontifice, Honorii Papæ causam agens, *tomo septimo Epistolarum*, *Epistola septima*. Denique etiamsi Concilium aliquid in Reges sibi auctoritatis usurpasset, non tenerentur propterea ipsi de jure suo cedere: nam nec Concilium generale, nec Ecclesia tota potest Regibus jus regnandi ipsis a Deo datum auferre, aut per Ecclesiam auferri posse decernere. Sed istis responsionibus, quæ nonnihil habent invidiæ, uti necesse non est, cum prima sufficiat.

De Ludovici Imperatoris exauctoratione.

Duodecimum, & ultimum Bellarmini exemplum est Clementis VII., qui Ludovicum Imperatorem a Joanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum deposuit.

II. Respondeo, quam iniquum fuerit istud factum, ipsa docet historia. Ludovicus Bavarus a majori parte Electorum ad Imperium promotus est, nempe a Petro Moguntino, Balduino Trevirensi, Joanne Rege Bohemiæ, & Wordemaro Marchione Brandeburgensi. Alii vero Electores numero, ut patet, pauciores, Fridericum Austriacum Imperatorem designant, Ludovici electione, cui nemo intercesserat jam peracta. Nihilominus Pontifex Joannes XXII. huic favit, & confirmatorem se promisit ejus electionis: *Modo*, ut ait Nauclerus, *copias suas ex Allemannia ad expellendos rebelles Ecclesiæ mitteret, pollicitus insuper fore, ut si promissis staret fratrem illius ad Archiepiscopatum Moguntinum promoveret.* Victo igitur, & in captivitatem redacto cum fratre suo Henrico, Leopoldus hujus itidem frater, cooperante Rege Franciæ, ad Joannem XXII. recurrit, inquit Nauclerus: *Tum Joannes*, pergit idem, *in publico Consistorio Avenione protulit sententiam execrationis in Ludovicum Bavarum, ex eo quod miserat jam copias suas in adjutorium Galeatii, &*

fratrum ejus, qui tyrannice dominabatur Mediolani opponendo eidem Ludovico, quod non erat ei licitum uti officio Imperatoris, quousque esset confirmatus ab Ecclesia; deditque ei terminum trium mensium, infra quem renunciare deberet electioni de se factæ, & quod veniret personaliter, si vellet se excusare de eo, quod favorem præstiterit hæreticis, & rebellibus Ecclesiæ. Ita in gratiam Caroli Regis Francorum, & Ludoldi inventa est ratio, propter quam deponeretur Ludovicus, & quidem frivola; nam coronatio, uti probatum est a nobis antea, mera est ceremonia, quæ non dat imperium, aut jus ad imperium, sed tantum supponit: & certe non modo Imperatores Ethnici, sed, & Christiani omnes ante Carolum Magnum, a Papa coronati minime sunt, & tamen eos veros Imperatores fuisse quis dubitet? A Carolo Magno mos invaluit, ut qui ad imperium jure successionis, & electionis perveniebat, a Pontifice Romano inungerentur. Sed cum nonnulli jam sine hujusmodi coronatione illud obtinuissent, eam Pontifex immerito denegabat Ludovico Bavaro, cum a majori parte Electorum, & prior electus fuisset.

III. Itaque Ludovicus videns se injuste a Joanne peti, habito consilio, *appellavit ad ipsum Papam*, inquit Nauclerus, *male informatum, & bene informandum, & etiam ad Concilium generale, quando esset Romæ in sede Petri, misitque solemnes Oratores, qui se de prædictis excusarent: postea vero, Ludovico non comparente, Papa execravit eum, ac de hæresi condemnavit, contra adhærentes durissimos processus fulminans, a quibus omnibus Ludovicus appellavit. Isti processus, ut ait frater Hermannus, a quibusdam strictissime observabantur, a multis vero invalidi reputabantur, quia dicuntur examinati a Doctoribus utriusque Juris, qui judicabant eos non valere. Imo Joannem Papam magni, & multi Theologi licentia, & vita probati dogmatizabant esse hæreticum propter errores ceteros, quos in die obitus dicitur tepide revocasse, & successor hujus eos errores fertur publice damnasse*: lege Nauclerum generat. 45.

IV. His itaque contemptis fulminibus Bavarus Italiam omnem devastavit, ac Romam ipsam contendit, ubi Imperii sumptis insignibus, Petrum Corbanensem ex Franciscanorum Ordine ad Pontificatum evexit, qui Nicolaus V. est dictus. Is Ludovicum IV. coronavit, jam enim ter fuerat coronatus, ut observat Onuphrius; nempe Aquisgrani 1. ab Archiepiscopo Moguntino; secundo, Mediolani ab Episcopo Aretino; ac demum Romæ per quatuor laicos Cives, in absentia Pontificis *contendentes*, ut ait Nauclerus, *id sibi competere*.

V. Interea de reconciliatione Ludovici IV. cum Joanne XXII. actum est. Rex Bohemiæ Joannes Otho Dux Austriæ, & Archiepiscopus Trevirensis, articulos reconciliationis, de quibus convenerat, ad Joannem XXII. miserunt, inter quos quartus erat, quod recognosceret se excessisse, & sententias excommunicationis ipsum ligasse; quintus, quod gratiæ Domini Papæ se offerret ad misericordiam, si fides adhiberetur Joanni in responsione ad Regem Bohemiæ: noluit tamen Pontifex ipsum audire hac conditione, contendens illum hæreticum esse. Ejus autem hæresis, quam ejurare coactus est Petrus de Corbano, qui creatus a Ludovico Antipapa, partes ejus deseruerat, & Joanni reconciliatus fuerat, hæc erat, *quod scilicet pronunciabat, & declarabat fore hæreticum, & scripturæ sacræ contrarium, dicere quod Christus & Apostoli in his, quæ habuisse leguntur, habuerunt aliud, quam simplicem usum facti*. Paulo post moritur Joannes XXII. cui, ut refert Albertus Argentinensis in Chronico, cui convenit Nauclerus generat. 45. *Successit Blancus quidam Cardinalis, nova ratione scilicet sub altercatione electus: ego N. nomino illum, & si ille esse non poterit, nomino Blancum*. Is territus postulatis Regis Franciæ cum Ludovico sese reconciliare statuit. Ob eam rem Legatos misit Ludovicus, quibus Pontifex significavit, quantum optaret Imperatorem Ecclesiæ restitui, quamque doleret Italiam a tyrannis regi. Et cum Regis Franciæ, & Lupoldi Legati venissent, scripsis-

pſiſſentque Rex Bohemiæ, & Dux Bavariæ ſe alium Regem Romanorum electuros, Pontifex mutato animo, reverſis Legatis Joannis ait, pro abſolutione impetranda ſe in Ludovicum eſſe bene affectum, ſed timere, ne ſi ei abſolutionem impertiretur, eadem aut graviora pateretur a Rege Franciæ, ac quæ fuerat paſſus Bonifacius VIII. Interim diſcordia inter Regem Franciæ, Philippum Valeſium, & Regem Angliæ de regno Franciæ mota, Ludovicus Angli primum partes tuetur, ac deinde Philippo reconciliatur. Inde Oratores Philippi, & Ludovici ſimul adeunt Papam pro reconciliatione Ludovici. Quid hic Papa? *Nunquid*, inquit, *Ludovicum ad arbitrium Regis tunc hæreticum, nunc vero Chriſtianiſſimum habere debeam? & protracto variis tractatibus negotio Francus* (ut credebatur) *quod voluit, ſimulavit ſe velle, Papa quod voluit, ſimulavit ſe nolle, utique nihil actum fuit.* Ita Pontifex illę non ut rei æquitas poſtulavit, ſed ut res ſuæ exigebant, modo huc, modo illuc flectebatur.

VI. Denique ut vidit Ludovicus, non poſſe ſe beneficium abſolutionis a Pontifice conſequi, ex ſententia Principum Francofurti data, & concilio fratrum minorum ſe innocentem eſſe, & a Joanne XXII. immerito damnatum, emiſſo diplomate, cunctis notum fecit. In eo profitetur ſe fidem Catholicam, & doctrinam ſanctæ matris Eccleſiæ tenere, poteſtatem ſuam Imperialem ex electione habere, eam a Pontificia auctoritate non pendere, ſed a ſolo Deo ſibi datam eſſe; poteſtatem Eccleſiæ non eſſe in temporalia; Joannis XXII proceſſum ex falſis cauſis, & nullo ordine ſervato factum, nullius roboris eſſe. Et quidem iſtud judicium legitimum non fuiſſe oſtendit primo, quod Joannes XXII. ſe, ſuoſque odio capitali, & hoſtili proſecutus fuerit, quod in ſua cauſa judex idoneus eſſe poſſit; quod ubi error eſt in ſententia, & mandato, ipſo jure irrita eſt; quod irrita ſit lata poſt appellationem ſententia, quodque Papa ubi de fide, & jure divino agitur ſubeſt Concilio: hæc & alia multa habentur in ea Bulla apud Nauclerum generat. 45.

VII. Benedicto ſucceſſit Clemens VI. qui ſententiam in Ludovicum a Joanne latam roboravit, & Principum in Italiæ civitates dominatum confirmavit: nihilominus Ludovicus ad Francorum Regem, ad cujus nutum Papa regebatur, ſcribit, ut ex promiſſo abſolutionem impetraret. Rex Galliæ reſponſum tulit, Imperatorem nunquam ſe humiliter ſubmiſiſſe. Offertur ergo ei forma reconciliationis, qua dabatur poteſtas procuratori deponendi imperii, & non relumendi, niſi gratia Papæ, ac confitendi omnes hæreſes, & errores ſibi impoſitos. *Sed Principes, & Electores*, inquit Nauclerus, *recenſentes articulos reformationis, quos Papa requirebat, decreverunt in perniciem, & deſtructionem Imperii eſſe conceptos, quibus nec Imperator, nec Princeps virtute juramenti imperio præſtiti annuere valeant.* Hinc factione Pontificis, & Joannis Regis Bohemiæ Carolus Luxemburgenſis hujus filius ab aliquibus Principibus Imperator eligitur. Horum nihilominus electio a reliquis Principibus irrita decernitur. Tandem Ludovicus paralyſi correptus in venatione de equo in terram cadens expiravit, non ſine ſuſpicione veneni ipſi a Ducissa Auſtriæ dati. Ita hujus morte anno Domini 1347. finita eſt longa illa concertatio, quæ anno circiter 1316. ortum habuerat. Ceterum ex narratione iſta liquet primo, Ludovicum Bavarum legitimum fuiſſe Imperatorem utpote priorem, & a majori numero electum. Secundo, injuſta, ac frivola de cauſa a Joanne exauctoratum. Tertio, nullam, ac irritam fuiſſe Joannis ſententiam. Quarto, nihilominus Ludovicum ſemper ad reconciliationem pronum. Quinto, Joannem æquiſſimas reconciliationis leges admittere noluiſſe. Sexto, Benedictum XII. agnoviſſe injuſtitiam ſententiæ in Ludovicum latæ, ſed rebus ſuis ſtudentem, & Regis Franciæ minis perterritum, eam non revocaſſe. Septimo, Clementem hujus ſucceſſorem immerito ſententiam Joannis renovaſſe. Octavo, eundem legem reconciliationis iniquiſſimam Ludovico dixiſſe, quam ille merito rejecit.

VIII. Generatim vero ex omnibus exem-

Digitized by Google

plis a nobis huc usque expositis colligitur, ante Gregorium VI. inauditum fuisse, ut Pontifices deponendorum Regum potestatem sibi arrogarent. Secundo, Gregorium VII. & eos, qui post ipsum id tentarunt, seditiones quidem, & bellum in Imperatores excitasse, at eos propterea non fuisse orbatos, & privatos imperio consensu omnium; imo plures ac saniores sententias hujusmodi irritas existimasse. Tertio, veras tentatæ a Pontificibus depositionis causas, non fuisse hæreses Principum, sed aut privatas Pontificum inimicitias, aut potentiorum Regum instigationes, ac fere semper propria Ecclesiæ Romanæ commoda, propter quæ Pontifices sæpe eos, qui Romanæ potentiæ incrementis videbantur obstare, diris devoverunt, ut cernere est in omnibus exemplis allatis. Quarto, depositiones istas a Pontificibus nunquam non sine magnis tumultibus, ac calamitatibus esse tentatas.

IX. Ex his constat, hujusmodi exempla Bellarmini causæ plus obesse, quam prodesse.

De tentatis in Reges Francorum depositionibus.

QUanquam Romani Pontifices in Reges nostros idem, quod in Imperatores aperte statuere, aut tentare ausi non fuerint, nihilominus tamen vibrato excommunicationis telo, videntur aliquam in illos auctoritatem sibi comparare voluisse; at Galli miro in Reges suos studio semper injustis Romanorum conatibus obstiterunt, nec quidquam juris propter hujusmodi excommunicationes Galliæ Reges amiserunt, nihilque turbarum ex illis ortum est. Sed missis iis, quæ ad excommunicationem spiritualem pertinent, quæ nos in illa dissertatione exposuimus, ea quæ a nonnullis ad Pontificiam in temporalia Regum Galliæ potestatem ostendendam afferuntur, breviter disjiciamus.

II. Primus omnium Hadrianus sese rebus Franciæ temporalibus immiscuit ad Hincmarum scribens, ut a Caroli Calvi consortio, & communione discederet; sed statim a Gallis responsum tulit, *nunquam hujusmodi præceptionem ab illa Sede ulli prædecessorum missam fuisse, cum inter Reges sacramentis etiam confœderatos, sed inter patrem, & filios, ac inter fratres prælia, & seditiones eorum temporibus fuisse noscantur, nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum tyrannorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Constantius, Arianus, &c. Apostata Julianus, &c.* Ecce quæ fuerit tum temporis Ecclesiæ Gallicanæ de potestate Pontificum in Reges suos sententia. In Philippos I. & II. nihil aliud præter excommunicationem, aut interdictum tentarunt Pontifices, & ne verbo quidem eorum in temporalia potestatem læserunt, aut attentarunt. Nihilominus tamen Adversarii dicere non verentur, ex illis excommunicationibus indirecte privationem regiæ auctoritatis consecutam esse, idque Gallos ipsos tum temporis agnovisse, quod ut probent, tria nobis objiciunt.

III. Primum, inquiunt, testatur Yvo regiam coronam simul cum absolutione restitui debere Regi, dicitque Epist. 46. *Legatos ipsos Regios hac ratione usuros apud Pontificem, Regem cum Regno ab ejus obedientia recessurum, nisi coronam restitueret, & Regem anathemate solveret.* Ergo ex ipsorum Regis Legatorum confessione per excommunicationem non solum Ecclesiastica communione, sed & corona, hoc est regnandi jure Rex privatus fuerat. Secundo, idem Yvo sæpius testatur per excommunicationem coronæ Regis, & regno periculum imminere, regnumque per eam fuisse diminutum, Epist. 13. & 15. ait, *animæ Regis magnum detrimentum, & coronæ Regni summum periculum imminere. Cavendum esse, ne* cum diminutione terreni regni regnum amitteret æternum. Et Epist. 23. ait, se Regis amore impulsum non vulgasse Epistolam Urbani: *Quia nolebat regnum, quantum ex se erat, adversus eum ulla ex parte commoveri.* Et Epist. 144. jam pro Rege deprecans Paschalem: *Quantum*, inquit, *cum salute ejus condescendatis, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.* Denique

Digitized by Google

que, inquiunt, in annalibus tum temporis conditis ascripti non sunt amplius anni Philippi, sed solum, *regnante Christo*. Sic in Chronico fratris Nicolai de Mediavilla anno 1456. condito lit. 8. de Bernardi II. vita hæc habentur: *Mortuus in expugnatione Damietæ anno* 1098. *regnante Christo*. Idem habetur in Chronico Sandionysiano, & aliis. Hæ sunt adversariorum objectiones, prima fronte speciosæ, sed in quibus nihil est virium, si attentius considerentur.

IV. Nam primo non est adhibenda fides Yvoni accerrimo Philippi adversario, qui solus in eum Pontifices Romanos exacerbavit, eorumque sententias ad se missas executioni mandare conatus est. Sed nihil opus est ista responsione, cum ejus verba ab adversariis perperam accipiantur; primum enim cum ait Yvo, coronam esse Regi restituendam, per coronam non intelligit jus regium, auctoritatem regiam, sed tantum coronam auream, ceremoniasque coronationis, quæ ab Episcopis Gallis annuente Pontifice Romano fieri solebant. Quippe Papa vetuerat, ne corona imponeretur Philippi capiti ab Episcopis, & valde indignabatur id a Rodulpho Turonensi factum fuisse. Dum ergo coronam restitui debere Regi scripsit, nihil aliud sibi vult, quam jus gestandæ coronæ in Ecclesia vi coronationis, non autem jus regnandi, quod a coronatione minime pendet; quippe ante coronationem, qui mortuo Regi succedit, Rex est ipso jure. Coronatio vero ceremonia tantum est, quæ nihil juris tribuit ad Regnum. Deinde cum ait Yvo, per excommunicationem periculum esse, ne diminuatur Regnum, non id ita intelligendum, quasi per excommunicationem Regno Rex indignus fieret, & jure regnandi excideret; tunc enim non diminutum, sed plane ablatum Regnum dici deberet: periculum ergo regno Philippi imminebat ex odio, & contemptu populi ob excommunicationem in ipsum latam, vel ex Fulconis, & aliorum malevolentia, qui poterant hoc obtentu regnum commovere, & seditionem excitare. Unde ait Yvo Epist. 23. se non evulgasse Pontificis diploma, ne Regni pars adversus eum commoveretur.

V. Denique formula hæc, *regnante Christo*, a Mediavilla usurpata non denotat Philippum regno privatum. Primo enim auctor hujus formulæ scriptor valde indiligens est, & imperitus, quippe qui de Bernardo II. id dicat, quod ei convenire non potest; nec enim ille vixit anno 1098. nec hoc tempore Damieta capta est. Ea enim urbs primum capta est anno 1219. a cruciatis. Deinde statim a Barbaris recuperata, iterum capta est ab exercitu sancti Ludovici anno 1249. & sequenti a Barbaris recepta. Secundo, anno 1099. Philippus reconciliatus erat cum Pontifice. Tertio, nunquam interruptus est tempore Philippi mos consignandorum monumentorum annis ipsius, ut constat ex Chartis, & aliis monumentis singulis ejus annis insignitis, quas videre potes collectas a Blondello in libro de hac formula, *regnante Christo*. Quarto, formula hæc, *regnante Christo*, ante & post Philippum legitur in multis actis, & Conciliis, quæ scripta sunt vel habita Imperatoribus, & Principibus quibuslibet, atque etiam Christianis, & piis, quos jure Regni privatos nemo dixerit. Horum item exempla vide apud eundem Blondellum ibidem. Ergo ex hac formula, *regnante Christo*, usurpata a Mediavilla, & Chronici Sandionysiani auctore temporibus Philippi colligi minime potest, eum propterea jure regnandi excidisse. Et certe regnum Christi terrenorum Regum non tollit Regnum, eo ipso dicente: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Unde nihil vetat, quominus idem monumentum inscribatur: *regnante Christo, & regnante Rege aliquo*; regnante scilicet in cordibus Christo, vel Christo Dei verbo in ipsos Reges regnum obtinente, & Rege regni temporalia administrante.

VI. Denique ut mittam ea, quæ a Bonifacio VIII. in Philippum Pulchrum, & pro Philippo a Gallis gesta, aut scripta sunt, quæ modo fusius referam, Julius II. Pontifex mitissimum atque optimum Principem Ludovicum XII. diris devovere, & anathemate obstringere conatus est. Sed Cle-

Digitized by Google

Clerus Gallicanus in civitate Turonenſium congregatus anno 1510. ſtatuit, & decrevit, Regem non teneri ullam habere rationem excommunicationum, & cenſurarum a Julio II. aut in ſe, aut in regnum latarum, aut ferendarum, eo quod jure ipſo forent irritæ.

VII. Ceterum ex dictis intelligere datur: Primo, Romanos Pontifices non eſſe auſos Reges Galliæ directe bonis temporalibus ſpoliare, & regnandi jure indignos pronunciare, ſed ſolam excommunicationem interminatos eſſe. Secundo, neminem exiſtimaſſe per excommunicationem Reges regno, aut regnandi jure privari. Tertio, nullam excommunicationum, quas Pontifices in Reges noſtros aut tulerunt, aut intentarunt, rationem habitam eſſe, eaſque non modo a Judicibus ſæcularibus, ſed & a Gallicanis Epiſcopis tanquam irritas exploſas ſemper fuiſſe, & nonnunquam ludibrio habitas.

VIII. Primus omnium Bonifacius videtur aperte auctoritatem in temporalia Regum Francorum bona Romanis Pontificibus arrogaſſe. Sed temeraria hujus præſumptio a Gallis noſtris rejecta fuit, & ab ipſis ejus ſucceſſoribns damnata. Primum enim cum data bulla definiviſſet, nihil tributi a Clericis exigi poſſe, nec iis licere quidquam Regi ſolvere, *reſpondit Rex Galliæ Philippus Pulcher, quod antequam eſſent Clerici, Rex Franciæ habebat cuſtodiam regni ſui, & poterat facere ſtatuta*; ac proinde Clericos teneri ſubſidia præbere ad defendendum Regnum, cum præſertim ipſi pluſquam ceteri indigeant ab hoſtili impugnatione defendi. Huic reſponſioni Regis adjecta eſt ſupplicatio Petri Rhemenſis, & aliorum Epiſcoporum petentium, ut Papa ſententiam revocaret.

IX. Deinde cum Bonifacius inducias ſtatuere vellet inter Regem Franciæ, & Angliæ, litteraſque ea de re miſiſſet, *proteſtatus eſt Rex regimen temporalium regni ſui ad ſe ſolum, & neminem alium pertinere, ſeque in eo neminem ſuperiorem recognoſcere, nec habere.* Interim Papa fertur priorem ſententiam revocaſſe Kalendis Auguſti, Pontificatus anno 3.

X. Verum ejuſdem anno 7. exaſperatus in Philippum Pulchrum ad eum litteras miſit in hanc ſententiam: *Scire te volumus, quod ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubes, &c.* his ita reſpondit Philippus: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, &c.* Tum Bonifacius VIII. emiſit conſtitutionem *Unam ſanctam*, in qua declarat duos eſſe in Eccleſia gladios, & utrumque in ejus poteſtate, ſpiritualem, & materialem, oportere autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati.

XI. At Eccleſiaſtici totius Regni Franciæ proceres cernentes auctoritatem regiam in periculum venire, ſcripſerunt Bonifacio, regnum, & Regem Franciæ nulli præterquam Deo in temporalibus ſubjici, affirmantes hanc eſſe ſententiam omnium Doctorum ſuper hac quæſtione conſultorum, ac Bonifacium enixe rogarunt, ut Conſtitutionem ſuam revocaret, *qua revocatione*, inquiunt, *obviabit periculis, & ſcandalis.* Idem Barones, Comites, & Duces, aliique proceres Franciæ Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ ſignificaverunt per litteras, in quibus primum exponunt, quantum Eccleſiæ contulerint Reges Franciæ, quamque neceſſaria ſit inter Romanum Pontificem, & Regem Galliæ amicitia. Deinde controverſiam hanc in frequenti Gallicanorum Procerum conventu expoſitam omnium animos ſua novitate turbaviſſe ſcribunt; neque Gallos unquam adduci poſſe, ut alteri quam Regi pareant, omneſque, ſi quis ſit, paratos ad effundendum pro Regni juribus ſanguinem. Denique rogant Cardinales, ut Papam a tam nefario incepto deterreant.

XII. Hoc finito Concilio Rex vetuit, ne aurum, & argentum Romam a quoquam deferretur. Interea evocati Romam a Pontifice Præſules ſtatuerunt eo non ire, tum ob bellum imminens, tum ob Regis mandatum, & ne pecunia extra regni limites ferretur; nihilominus ad eum miſerunt Legatos dilationis ſuæ cauſam ſignificantes, & ipſe Rex Epiſcopum Petrum ad eum miſit rogans, ut iſto negotio ſuperſe-

Digitized by Google

perſſederet: at ille nihil his motus, Regem, & eos, qui impediebant, quominus Epiſcopi Romam venirent, excommunicat, & Joannem Cardinalem Monachum in Galliam miſit, qui clam conſilium cum Epiſcopis quibuſdam Pariſiis habuit; ſed re infecta coactus eſt in Italiam reverti. Rex vero congregatis in urbe Lutetia Epiſcopis 28. cum nonnullis Abbatibus, Theologis bene multis, aliiſque pluribus Papam coram iis multorum ac magnorum criminum accuſari permiſit, & ſimul cum iis ad futurum Concilium generale provocavit, eamque provocationem, ac requiſitionem Concilii generalis Pontifici denunciari curavit. His ita geſtis Papa Roma diſcedens Anagniæ a Nogareto Regis Franciæ Seneſcallo, & Secora Colonienſium adminiſtro per vim captus eſt, ac paulo poſt dolore, ægritudine, & deſperatione confectus obiit, cum Romam liberatus reverteretur.

XIII. Succeſſit ei Benedictus XI. ad quem Philippus litteras miſit, quibus Bonifacii memoriam infectatur, ac novo Pontifici gratulatur: benigne reſpondit Pontifex, & prædeceſſoris ſui bullam de reſervatione beneficiorum ad Romanum Pontificem latam revocavit. Denique Clemens V. qui Benedicto poſt breve tempus vita functo ſucceſſit, Bonifacii Decretalem *Unam ſanctam* revocavit per Decretalem *meruit*. Vide de his acta inter Bonifacium, & Philippum anno 1614. edita.

XIV. Quæ cum ita ſint, ex hac integra cauſa nihil habetur, quo poſſit probari Pontificum Romanorum in Regum Franciæ temporalia auctoritas, imo vero multa ſunt, quæ contrarium oſtendunt.

XV. Primo enim Bonifacius VIII. primus eſt, qui aliquam ſibi poteſtatem in Reges Franciæ auſus fuerit arrogare.

XVI. Secundo, ejus ſententiam tota exhorruit Gallia, graviſſimiſque Decretis confixit.

XVII. Tertio, Cardinales Eccleſiæ Romanæ ipſius tempore factum improbarunt dicentes, nunquam Philippo Pulchro Bonifacium ſcripſiſſe, quod Regnum ejus ſibi ſubeſſet temporaliter, illudque ſe tenere deberet.

XVIII. Quarto, poſt Bonifacii mortem ſucceſſores ejus, illius ea de re Conſtitutiones quaſi illegitimas revocaverunt.

XIX. Itaque jam ceſſent adverſarii decretalem *Unam ſanctam* nobis objicere, quæ etſi non eſſet revocata, nullius per ſe ponderis foret; nam in ea Bonifacius frivolis, & abſurdis adeo nititur rationibus, ut nullus mentis bene ſanæ compos poſſit Conſtitutionem ejus aliquo in pretio habere. Ait primo poteſtatem ſpiritualem eſſe ſupremam ac nobiliſſimam, quis hoc neget? ſed ut diximus, non omnis poteſtas, quæ altera nobilior eſt, in eam propterea auctoritatem habet.

XX. Addit aliquot ſcripturæ teſtimonia, ſed a genuino ſenſu plene detorta. Tale eſt illud: *Ecce duo gladii ſunt hic*, quod, ipſo fatente Bellarmino, nihil ad propoſitum ſpectat. Hic enim Chriſtus deſcribens futuram Apoſtolorum paſſionis ſuæ tempore diſperſionem, ait tunc opus fore, ut veſtimenta vendant ad emendos gladios; quod non intelligentes Apoſtoli, reſponderunt: *Ecce duo gladii ſunt hic*, quaſi juſſiſſet Chriſtus gladios emi. Chriſtus autem addit: *ſatis eſt*; non ad confirmandam eorum opinionem, iſti duo gladii ſufficerent, ſed ad abrumpendum ſermonem, quaſi diceret, ſatis eſt verborum hac de re. Ita Theophilactus, Euthymius, & alii. Secundo, adducit Bonifacius illud Chriſti dictum ad Petrum: *Conde gladium tuum in vaginam*; ſed iſtud bene intellectum propoſito Bonifacii adverſatur. Tertio; illud affert: *Quodcumque ligaveris*, quod ad poteſtatem ſpiritualem tantum pertinere probatum eſt ſupra.

XXI. Denique coronidis vice adducit illud Geneſeos, *in principio*, ubi dictum eſt inquit, *in principio, non in principiis*, unde infert unam eſſe poteſtatem. Ecce in quantas abſurditates neceſſe ſit eos deſcendere, qui falſam opinionem quocunque modo tueri volunt.

XXII. Denique in illa Decretali *Unam ſanctam*, & in Epiſtola ſua ad Philippum totus eſt Bonifacius, ut directam in temporalia

Digitized by Google

ralia poteſtatem aſtruat. Sed hanc opinionem defendi non poſſe nunc conſentiunt omnes; eat ergo cum ſua illa Decretali.

XXIII. Nec minus deteſtanda eſt illa bulla, quam anno 1585. in Henricum Navarræ Regem condidiſſe fertur Sixtus V. qua ipſum declaravit excommunicatum relapſum, ac propterea privatum regno Navarræ, aliiſque regnis, quæ ipſi jure competere poſſent, aut ſucceſſu temporis accedere. Cujus Bullæ obtentu Gregorius XIV. Hiſpanorum factioni favens in Henricum Franciæ primum Regem anno 1591. univerſos tam laici, quam Eccleſiaſtici ordinis Francos excitare conatus eſt. Et miſſo in Galliam Landriano Nuntio cum duabus Bullis, quarum altera Eccleſiaſticos ſuſpenſione, altera Laicos excommunicatione feriebat, ſi Henrico IV. obedientiam præſtarent, & eum pro Rege agnoſcerent. At Galli conſilium Pontificis deteſtati Bullas iſtas proſcripſerunt, & iis non obſtantibus, Henricum IV. legitimum, & æquum regni hæredem ut Regem coluerunt. Et quidem Clerus Gallicanus 21. Septembris anno 1591. Carnuti congregatus declaravit illas monitiones, interdictiones, ſuſpenſiones, & excommunicationes Pontificias nullas eſſe, & irritas, tam ſecundum materiam, quam ſecundum formam; vetuitque eas in regno promulgari, aut alicujus auctoritatis haberi, idque per litteras univerſo regno ſignificavit. In eas pariter ſuis Decretis intonuerunt earum, in quibus diſſeminabantur, Provinciarum ſupremi Senatus, totaque exhorruit Gallia, cum id tentatum audivit. Nihilominus tamen Pontifex alias litteras miſit ad Cardinalem Placentinum, ut Electioni Regis in Gallia, quaſi vero regnum vacaret, intereſſet. Has jactitare auſi, qui tum Pariſiis rebelles erant; verum non obſtantibus infauſtis hiſce conatibus, Henricus IV. rebellium omnium victor Galliæ Rex legitimus ab omnibus eſt agnitus, etiam antequam Pontifices illa Decreta revocaſſent. Sic Univerſitas Pariſienſis anno 1594. die 22. Aprilis, eum pro legitimo, & vero Rege habendum eſſe decrevit: *Etiamſi*, inquit, *hoſtes regni, & factioſi homines uſque hodie obſtiterint, eum admitti a ſanctiſſima ſede, & agnoſci tanquam filium bene meritum:* ſpeciatim vero Facultas Theologiæ 16. & 21. *Januarii*, ſimul cum Parochis in Archiepiſcopali Domo congregata decrevit, cunctos teneri in Miſſa publice rogare pro Henrico, tanquam pro Rege Gallorum, & nemini licere ſub Religionis obtentu ipſi vim inferre, aut hujus rei conſilium dare. Rogarunt nihilominus Regem, ut mitteret Romam Legatos, non ut confirmationem regiæ auctoritatis acciperet, ſed ad vitandum ſchiſma. Romanæ Eccleſiæ tum præerat Clemens VIII., qui mitem ac benignum in Regem induerat animum. Ad hunc nomine Regis miſſi ſunt Perronius cum Oſſato, qui poſtea Cardinales fuere. Ii benigne a Pontifice excepti; & in Cardinalium conſeſſu declaratum eſt, Regi impertiendum eſſe abſolutionis beneficium. Verum de abſolutionis forma lis non minima fuit, nam inde Perronius, & Oſſatus in mandatis habebant, ut benedictionem Apoſtolicam ſine ulla honoris, & Majeſtatis Regis ſui, ac regni jurium jactura obtinerent. Papa vero, aut potius ejus Conſiliarii in animo habebant a Rege conditiones extorquere, quibus aliquid auctoritatis in Reges, regnumque Gallorum, Pontifici videretur aſcribi. Itaque propoſuerunt primo abſolutionem in inquiſitionis tribunali fieri. Deinde vero abſolutionis hanc conditionem propoſuerunt, ut Regis Procuratores coronam regiam inter manus Pontificis deponerent, quæ ab eo poſt abſolutionem alterius e duobus capiti imponeretur in ſignum ablatæ, & reſtitutæ auctoritatis regiæ. Sed cum utrumque a Legatis rejectum eſſet, tres alias propoſuere conditiones: prima ut abſolutio a Bituricenſi Archiepiſcopo data irrita haberetur; ſecunda, ut coram omnibus Cardinalibus abſolutio fieret, utereturque Pontifex virgula; tertia, ut Pontifex declararet ſe Regem in regnum reſtituere, quaſi ab eo per excommunicationem excidiſſet. Hoc poſtremum, quod ſolum directe auctoritati regiæ adverſabatur, rejectum eſt; aliæ duæ conditiones a Perronio, qui rem concludere avebat, ſine Oſſati conſilio admiſſæ ſunt.

Digitized by Google

ſunt. Ita Henricus IV. benedictionem Apoſtolicam accepit, ut Romani Pontificis communionis, non ut regno, regnique juribus, unde minime exciderat, aut excidere potuerat, ex decreto Pontificis reſtitueretur. Nihilominus tamen Perronius ob alias duas abſolntionis conditiones, & maxime ob uſum virgulæ, apud peritiores iſtarum rerum male audiit, quaſi Regem virgulæ Pontificiæ ſubjeciſſet. Sed hujusmodi ceremoniæ potuerunt adhiberi, imo & ſæpe adhibitæ ſunt ad reconciliationem, quæ ſeſe minime ad temporalia extendat, ſicque aliquatenus defendi poteſt Perronii in iſtam conditionem conſenſus, cum præſertim obtineret, futurum eſſe ut nulla reſtituendi Regis in regnum ſuum mentio fieret. Quo patet, Romanos ipſos agnoviſſe eum a regni jure ob excommunicationem non excidiſſe.

XXIV. Objici poteſt eundem Perronium Cleri Gallicani nomine in Comitiis regni Franciæ anno 1615. habitis, cum tertii ſtatus viri vellent definiri, in nullo caſu juramentum Regibus præſtitum ſolvi poſſe, eorumque ſubditos ab obedientia eximi; Perronium, inquam, orationem habuiſſe, qua non modo id definiri non poſſe, nec debere perſuaderet, ſed etiam videtur in contrariam opinionem deſcendere, multa exempla, multas auctoritates, multaſque rationes adducens ad probandum Reges poſſe in caſu hæreſeos aliquando deponi.

XXV. Reſpondeo, Perronium in iſta oratione ſententiam noſtram haud impugnare, ſed hoc unum laborare, ne contraria ſententia hæreſeos notetur, & eodem modo proſcribatur, ac eorum opinio, qui Regem impune interfici poſſe aiebant. En ejus verba: *Pourtant vouloir enclore cette clauſe en la même obligation de foy, & ſous le même decret d'anathême, ſous lequel nous confirmons la condamnation de ceux, qui attentent à la vie des Rois, c'eſt tomber en quatre manifeſtes inconveniens, que noſtre Chambre m'a donné charge de vous repreſenter.*

XXVI. Quod ſi Perronius videatur inclinare in oppoſitam ſententiam, id fecit pro more Oratorum, qui omnia exaggerant. Ipſum vero in ea opinione revera fuiſſe haud crediderim, aut etiamſi fuiſſet, aut eſſe ſe ſimulaſſet, haud mirum, cum Cardinalis Eccleſiæ Romanæ fuerit, & in aliis libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ non admodum æquus extiterit: denique attendendum eſt, non quid ipſe dixerit, ſed quid dicere in mandatis habuerit: hoc autem ex verbis mox relatis liquet.

XXVII. Dices, non modo Perronius, ſed & univerſus Clerus Gallicanus, cui ſe Facultas adjunxit, ſeſe oppoſuit tertii ordinis conatui, vetuitque ne ut hæretica proſcriberetur hæc opinio, dum emiſit vota, articulum tertii ſtatus conſtare dixit ex propoſitionibus non curioſis modo, ſed & vitioſis, problematicis, & inconcinne digeſtis ab iis, qui non probe ſentiebant de fide, eamque doctrinam affirmative, & negative ex æquo ſcholæ diſceptationi relinquendam.

XXVIII. Reſpondeo, Clerum ſeſe oppoſuiſſe rei hujus definitioni duabus de cauſis; primum, quia a Laicis tentabatur rerum Eccleſiaſticarum, & dogmatum fidei judicium. Secundo, quia tunc imprudens videbatur opinionem Italorum velut hæreticam proſcribere, & omnes ad id faciendum juramento adigere.

XXIX. Demum univerſus Clerus non concluſit id, quod in objectione refertur, ſed quidam e Clero hæc vota emiſerunt, & habita ratione temporis, loci, eorumque, a quibus proponebatur, dixerunt propoſitiones a Laico ordine prolatas, ut damnarentur, eſſe curioſas, ac vitioſas, quia tunc inutile, imo & periculoſum videbatur de iſtis ferre judicium. Ac demum a viris Calvinianæ ſectæ faventibus ad ſchiſmatis ſemina ſpargenda confectas. Verum univerſus Clerus cenſuit tantum hoc non poſſe a Laicis proſcribi, & inſtar legis fundamentalis haberi, ut explicat ipſe Perronius: *J'appelle*, dit-il, *matiere problematique en matiere de foy toute doctrine qui n'eſt point de neceſſité de foy, & de laquelle la contradictoire n'oblige point ceux, qui la croyent, à anatheme ou à perte de communion.* Hoc ſenſu dici tunc forte poterat hæc quæſtio problematica.

XXX. Verum a temporibus Perronii ad hæc uſque noſtra tempora, illa res, quam tunc neſcio, qua de cauſa non exiſtimabant Gallicani proceres eſſe definiendam ſacræ Facultatis cenſuris, Senatuſconſultis, unanimi Theologorum, & Juriſconſulto-

Digitized by Google

ſultorum conſenſu, ac demum ſolemni Cleri Gallicani Epiſcoporum Decreto definita ac extra controverſiam poſita eſt.

XXXI. Ceterum nihil magis Galliam noſtram ab injuſtis Romanorum Pontificum in Reges noſtros conatibus tutam fecit, quam Gallorum in Reges ſuos amor ingenitus: *quippe*, ut annotat Onuphrius Veronenſis, *mirum illud obſervandum eſt, quod cum nulla gens unquam fuit, quæ aut externos Principes non admiſerit, aut aſſumptos interdum non expulerit, ſæpe etiam per ſummum ſcelus non occiderit; ſolis Francis hoc peculiare eſt, & proprium, nullos unquam exteros Reges pati, ſuos autem uſque adeo amare, ut pro eorum dignitate, ac majeſtate tuenda non opes tantum, ſed & vitam profundere ſoleant.* Quandiu ita erunt, ut & ſunt animati Franci, timendum non erit, ne illis Bullis Pontificum, aut reſcriptis quovis religionis obtentu emiſſis in Reges ſuos inſurgant; quod ne fiat, noſtrum eſt ſedulo curare, ne doctrina ultramontana in regno diſſeminetur.

De geſtis Pontificum adverſus Anglorum Reges.

NUllibi veriſimilioribus titulis Romanorum Pontificum in Reges, eorumque bona poteſtas aſtruitur, quam in Regnum, & Regem Angliæ; ipſi enim Reges ultro videntur ſe, Regnumque ſuum Pontificis dominio ſubjeciſſe. Itaque ſi probaretur Romanos Pontifices Reges Anglos jure ac merito depoſuiſſe, non tamen idem de ceteris Regibus poſſet concludi, imo etiam perperam omnino inferretur hanc poteſtatem Pontifici competere ratione ſuæ dignitatis Pontificiæ, cum non alio titulo poſſit eam ſibi in Angliam vindicare, quam ex Regum conceſſione. Utrum autem hujuſmodi conceſſio legitime facta fuerit, vimque habere debuerit, necne, ſequens docebit narratio.

II. Cum primum Ina, & Offa Saxonum Reges annis 740. & 745. fidem Chriſtianam amplexi ſint, ſtatuiſſe feruntur, ut unaquæque familia certam pecuniam, quæ tunc denarius dicebatur, Eccleſiæ cenſus nomine per ſingulos annos Romano Pontifici ſolveret, quem cenſum ab Aiſtolpho, cum in tota fere inſula dominaretur, confirmatum tradunt Nauclerus, & Polydorus Virgilius. Hic autem cenſus dicebatur denarius B. Petri, & a collectore Pontificis exigebatur, qui quidem uſque ad tempora Henrici VIII., qui ſeipſum ab Eccleſia Romana avulſit, ab Anglis ſolvi conſueverat. Verum inde arguitur Angliæ Reges liberales fuiſſe in Pontifices: at iſtos jure Pontificio ſtipendium ab Anglis exigere potuiſſe inde non probatur.

III. Verum poſt hæc, Henrici I. temporibus plus adhuc juris in Angliam Pontifices ſibi arrogarunt, cum ob necem Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, in Henricum apud Pontificem Alexandrum III. accuſatum a Cardinalibus in Angliam ea de cauſa miſſis anno 1172. ſententia lata eſt, qua indicatum eſt, ut Rex coram Legatis Pontificiis, regnique primoribus jurejurando ſe delicto purgaret, atque ob auſam ſuſpicioni datam, verbaque temere emiſſa, quæ in cauſa fuerant, ut Cantuarienſis occideretur, ducentos Equites in bellum Hieroſolymitanum, qui per annum ibi belligerarentur, mitteret, atque ut ipſe Rex, niſi aliter videretur Pontifici, cum exercitu intra triennium proficiſceretur, carruptelas tolleret, quæ libertati Eccleſiaſticæ adverſabantur, Romam a ſententiis in Anglia latis provocandi poteſtatem cuivis faceret. Addit Blondus Regem adjeciſſe ſe, & filium in throno eſſe permittente Pontifice, & neminem impoſterum Angliæ Regem futurum, quem non Papa renunciaſſet.

IV. At Polydorus Virgilius negat ullam hujus rei mentionem in Annalibus Anglicanis fieri. Nihilominus ipſe Henricus ab Alexandro III. opem implorans contra filium rebellem, ait: *veſtræ juriſdictionis eſt regnum Angliæ, & quantum ad feudatarii juris obligationem vobis dumtaxat obnoxius aſtringor, & teneor, experiatur Anglia, quid poſſit Romanus Pontifex, & quia materialibus armis non utitur patrimonium B. Petri, ſpirituali gladio tueatur.*

V. Demum Joannes Rex dictus ſine terra,

terra, se, regnumque suum magis adhuc Pontifici devinxit; nam cum de Cantuariensi Archiepiscopatu orta esset dissensio, eo quod Monachi Anglicani, eo, quem elegerant, expoliato, alium ad nutum Regis Archiepiscopum elegissent, Innocentius III. jussit Monachos Anglos Romæ degentes Cardinalem S. Chrysogoni Cantuariensem Episcopum designare. Quo facto Rex commotus bona Monachorum proscripsit: qua de causa Pontifex Regem primo admonuit, deinde interdixit, & cum bona Ecclesiæ invaderet, omnes subditos ejus a fidei, & obedientiæ sacramento absolvit; ac Philippum Regem Galliarum hortatus est, ut bellum in Angliam moveret: quod cum ille pararet, Pontifex per nuncium Joannis animum tentavit, qui cernens quanto esset in periculo regnum Angliæ, & Hyberniæ, Ecclesiæ Romanæ dominio subjecisse fertur; & diadema sibi detraxisse, atque ad nutum Pontificis recepisse: pacto insuper annuo stipendio, demum hoc addidisse, ut Reges Angliæ deinceps a Pontifice dumtaxat regni jura consequerentur.

VI. At hujus reconciliationis leges, ut observat Polydorus Virgilius, neque Pontifices Romani, neque Reges Angliæ observarunt, neque Annales Anglici de hujusmodi traditione loquuntur. Quare verisimile est illa omnia Joanni tantummodo, qui deliquerat, imperata, non autem ejus successoribus eamdem legem esse impositam.

VII. Deinde non semel potestatis suæ, & æquitatis limites hoc in negotio excessit Innocentius; primo enim jussit, ut rejecto utroque electo in Archiepiscopum, certus Cardinalis eligeretur. Secundo, non debuit, nec potuit regnum interdicere. Tertio, nec imperium Regi abrogare. Quarto, non debuit Philippum Regem Franciæ ad bellum iniquum impellere. Quinto, bona fide non egit, cum Philippum delusit, facta cum Joanne pace, a quo ob necessitatem iniquas ejus leges extorsit, quibus proinde nec Joannes, nec ejus successores, nec populus Anglicanus tenebatur. Cum ne iis quidem fuissent devincti, etiamsi libere, & non per vim a suo Rege sine consensu populi hujusmodi promissiones factæ fuissent, ut observat Major in 4. dist. 23. q. 3.

VIII. Denique dum in Henricum VIII. Angliæ Regem, idem, quod olim in Joannem, moliuntur Pontifices, Regnum, Regesque Angliæ ab obedientia Ecclesiæ Romanæ alienarunt. Res fuit hujusmodi, duxerat Henricus VIII. Catharinam Ferdinandi Hispanorum Regis filiam, Caroli V. Imperatoris amitam, quæ priore matrimonio collaa fuerat Arturio Henrici fratri majori; sed eo defuncto, pater eam tradiderat Henrico, dispensante Pontifice Julio II.

IX. At Henricus post patris mortem, sive studio in Cæsarem, sive masculæ prolis cupidine, sive Annæ Bolenæ amoribus, & ingenita sibi inconstantia impulsus, cum ea divortium fecit, causatus dispensationem Julii II. nec licitam, nec validam fuisse, ac proinde matrimonium ejus vi contractum, nullum, & irritum. Causa Romam delata, Pontifex post varias dilationes, atque fluctuationes pronunciavit Henrico non fuisse licitum propria auctoritate, absque sententia Judicis Ecclesiastici, uxorem repudiare, & aliam ducere. Quo Rex audito, anno 1534. Pontificis obedientiam detrectat, suisque omnibus edicit, ut neque Romam pecuniam deferant, neque denarios B. Petri quotannis colligi solitos pendant. Hæc secuta est Pontificis sententia peremptoria eodem anno lata, qua decretum est, inter Henricum, & Catharinam reginam fuisse legitimum matrimonium, eamque ab ipso pro uxore habendam, & eum nisi id faceret pro excommunicato reputandum. Tum Rex aperte Romano Pontifice descivit, nihil quidem in fide mutans, sed edicto declarans, se caput esse Ecclesiæ Anglicanæ, vetansque sub pœna capitis, ne quis denarios beati Petri solveret. Edicto promulgato mortuus est Clemens VI. nullo alio in Regem intentato fulmine. At Paulum III. hujus successorem tum Curia Romana, tum Imperator statim a sua ad Pontificatum assumptione stimulabant ad nova fulmina in Regem vibranda: sed Paulus aliquandiu cunctatus, post mortem Cardinalis Roffen-

Digitized by Google

sis sententiam in Regem adornat. 3. Augusti. anno 1555. eumque cum suis fautoribus non solum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed etiam amissionis regni, & depositionis per se, vel per legitimum procuratorem intra 30. dies adesse jubet; *& si comparere neglexerit, censuras in eum aggravat*, regno, & dominiis omnibus privatum esse, eumdemque, ac omnes fautores ejus pœnas omnes legibus præscriptas incurrisse, atque cum omnibus bonis diffidatos esse, & sepultura Christiana privari jubet, atque decernit, omnia loca, ad quæ Rex venerit interdicto subjicit, Henrici ex Anna Bolena sobolem fautorumque suorum liberos usque ad eum gradum, quo jura præscribunt, bonis, & honoribus privat, ac infames esse decernit; omnes Henrici vassallos, & subditos ab ipsa obedientia, ac præstito illi juramento absolvit. Præcipit Principibus, & Nobilibus Angliæ, ut se vi ac armis Henrico opponant, illumque e regni finibus ejicere nitantur, ceterorum Principum cum ipso pacta, confœderationes, & contractus irrita esse decernit, eosdemque, ut Henricum, & ceteros Ecclesiæ rebelles sacris armis prosequantur, hortatur; omnes ejus sequaces apprehensos servituti tradi jubet. His, & aliis ejusmodi diris Henricum sententia sua devovit Paulus III. sed ejus executionem ac evulgationem in triennium distulit, quo tempore cum Rex in Cantuarienſis Archiepiscopi memoriam, & reliquias debachatus esset, Pontifex intentatum fulmen exerto brachio emisit Kalendis Januarii anni 1538. Verum illud Pontificium diploma nullas habuit vires in iis, quæ ad temporalia spectabant, nec enim ullus Christianus Princeps eo titulo regi Anglorum bellum intulit, aut cum eo, velut cum homine, qui regni jure excidisset, egit; imo cum eo veluti cum legitimo Anglorum Rege Imperator, Galliæ Rex, & alii Principes Catholici fœdera, & pacis conditiones inierunt; ad ejus quoque filium Eduardum, ac filias Mariam, & Elisabetham Regnum Angliæ pervenit: itaque nec de facto regno spoliatus est, nec de jure ab eo excidit propter Pontificis sententiam, in quo hujusmodi potestatem nemo Regum agnovit. Probe autem intelligens Rex Angliæ Jacobus religionem, quam profitetur Romana Ecclesia, suæ auctoritati non adversari; sed hoc unum dogma de Pontificis in temporalia potestate, quod nonnulli Romanæ Curiæ dogmatis imbuti asserebant, juramentum ab omnibus anno 1604. exegit, quo protestabantur se istud dogma reiicere, juramentum autem sic se habet: *Ego vere, & sincere agnosco, profiteor, & declaro in conscientia mea coram, & Deo, & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Jacobus est legitimus, & verus Rex hujus regni, & omnium aliorum majestatis suæ dominiorum, & terrarum, & quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, seu Romanæ, vel ullam mediam cum quibuscumque aliis aliquam potestatem vel auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum majestatis suæ dominiorum, vel regnorum, &c.*

X. Adversus hoc juramentum breve ad Catholicos Anglos direxit Paulus V. anno 1606. quo declarat illud salva, & illibata fide præstari non posse: *Non potestis*, inquit *absque evidentissima, gravissimaque Dei honoris injuria vos obligare juramento, quod similiter magno cum cordis nostri dolore audivimus propositum vobis fuisse præstandum; vobis ex verbis istis perspicuum esse debet, quod hujusmodi juramentum salva fide Catholica, & salute animarum vestrarum præstari non potest, cum multa contineat, quæ fidei, & saluti aperte adversantur.* Hoc breve Catholici non pauci tanquam suppositium contempserunt, sed ad eos Paulus V. aliud breve misit, quo certiores eos facit, prius a se datum fuisse non tantum motu proprio, sed gravi deliberatione prius habita, ideoque illos teneri ad hujus observationem: Bellarminus quoque seorsim ad Gregorium Blanchuellum Angliæ Archipresbyterum scripsit, eumque arguit, quod ei juramento subscripsisset. Tertium etiam breve misit idem Paulus ad Birchetum, quem in Blanchuelli locum substituerat, quo eum monet, ut si quis Presbyter in Angliam juramentum præstiterit, aut præstari posse docuerit, eum deterreat, & privatum declaret juribus omnibus sibi ab Ecclesia, seu Apostolica Sede concessis.

XI.

Digitized by Google

XI. Sed hæc brevia motu proprio a Paulo emissa haud magni sunt hac in re ponderis, & tunc non defuerunt in Anglia Catholici plures, qui hoc juramentum salva fide præstiterunt, & præstari posse docuerunt, ut Blactuellus Windringtonus, & alii: cumque novissime consulti essent Doctores Parisienses, utrum idem juramentum Carolo Angliæ Regi præstari posset, id sine ulla difficultate fieri posse docuerunt, & suo chirographo testatum esse omnibus voluerunt. Quod si quis velit brevia Pauli defendere, is oportet ut dicat aliis de causis, quam propter rejectam Pontificum in temporalia potestatem juramentum fuisse ab eo improbatum, ac maxime ob verbum supremi Domini, quo putant aliqui tribui Regi Angliæ supremam non in temporalia modo, sed & in spiritualia potestatem, quam ipsum affectare certum est.

§. IV.

De Concilii Lateranensis IV. Canone 4.

Ecclesiam in temporalia Regum bona auctoritatem aliquam habere probant plerique ex Can. 4. Lateranensis Concilii, qui sic se habet: *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & ceteros Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, hoc significetur Romano Pontifici, ut ex jure vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure Domini principalis, dummodo ipse super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat; eadem nihilominus lege servata circa dominos principales.* Quo in Canone supponitur Romanum Pontificem auctoritatem habere privandi dominos tum feudatarios, tum principales suarum possessionum dominio, si hæreticos ab iis expellere neglexerit.

II. Respondeo primo, nec Ecclesiam, nec Concilium generale eam repræsentans quidquam habere juris in temporalia Regum bona, nec de iis aliquid statuere posse; quippe cum Regum potestas immediate a Deo sit, nemo eam iis auferre potest, aut aliquid juris alteri in eam tribuere, præter ipsummet Deum. Ergo etiamsi Ecclesia, vel Concilium hujusmodi sibi arrogaret auctoritatem, non propterea Regibus ea cedendum foret. Sicut Ecclesia non debet legibus Principum parere, cum in destructionem legis Dei conditæ sunt. Et certe definitiones Conciliorum etiam generalium nullam vim habent, si ferantur circa res, quæ non pertinent ad Religionem, & fidem, puta, circa res naturales, astronomicas, atque etiam politicas, & si quid de iis statuant, non tenemur eorum decretis tanquam infallibilibus adhærere; quapropter Canon ille cum sit de negotio civili, nullam vim habere potest, nisi ex consensu Regum.

III. Respondeo secundo, hunc Canonem non fuisse ab universo Concilio conciliariter, ut loquuntur, conditum, sed a solo Papa Innocentio, qui Concilii Canones ipse composuit, & digessit. Primo enim testantur historici complures nihil in eo Concilio statui potuisse. Sic loquitur Nauclerus generat. 4. ad annum 1215. *Venere*, inquit loquens de Concilio, *multa tum in consultationem; nec decerni tamen quidquam potuit.* Et mox: *Editæ tamen nonnullæ Constitutiones reperiuntur.* Idem tradit Platina in Innocentio III. *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quidquam aperte potuit. Quod & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certabant. Eo itaque proficiscens tollendæ discordiæ causa Perusii moritur.* Godefridus Viterbiensis ad annum 1215. *In hoc Concilio*, inquit, *nihil dignum memoria, quod commendari possit, actum est, nisi quod Orientalis Ecclesia se subditam Romanæ exhibuit.* Et certe si in eo Concilio promulgati sunt Canones, qui sub ejusdem Concilii nomine feruntur, ab Innocentio III. non a toto Concilio conditi sunt. Hinc in titulo hujus Concilii a Jacobo Middemportio inter ope-

opera Innocenti III. edita Coloniæ apud Cholinum anno 1607. sic habetur: *Sacri Concilii Generalis Lateranensis sub domino Innocentio Pontifice maximo hujus nominis celebrati anno Domini* 1215. *Decreta ab eodem Innocentio conscripta*. Eadem habentur ex Matthæo Parisiensi in Historia Angliæ ad annum 1215. *Celebrata*, inquit, *est Romæ Synodus universalis præsidente Papa domino Innocentio III. in qua fuerunt Episcopi* 412. *&c. His omnibus congregatis, facto prius ab ipso Papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio sexaginta Capitula, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa, tandem de negotio crucifixi terræ sanctæ verbum prædicationis exorsus, &c.* Idem Auctor in Historia minori, ut refertur in antiquitatibus Britannicis in vita Stephani Langthoni: *Concilium*, inquit, *illud generale, quod more Papali grandia prima fronte præ se tulit, in risum, & scommæ, quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, omnesque ad Concilium accedentes artificiose ludificatus est, desiit. Illi enim cum jam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad sua cupidi, veniam singillatim petierunt, quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent. Mercatoribus Romanis prius accipere mutuo, Papæque solvere coacti sunt, antequam discedere Roma potuissent. Papa jam accepta pecunia quæstuosum hoc Concilium dissolvit gratis, totusque Clerus abiit tristis*, Hic autem Historicus ne suspectus habeatur, laudatus est ab Innocentio IV. ut constat ex litteris ejusdem Innocentii, quas ipse refert in Historia Angliæ.

IV. Itaque a Concilio Canones sunt conditi, sed quædam a Pontifice Romano Decreta sunt confecta, & in Concilio lecta, quorum nonnulla plerisque videbantur onerosa: sed vel ex ipsa istorum Canonum lectione patet, eos non fuisse a Concilio editos, vel non eo modo, quo nunc habentur.

V. Sic verbi gratia Can. 11. sic habet: *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione provisum, &c. verum quoniam in multis Ecclesiis id minime observatur, nos prædictum roborantes statutum, &c. c. 29. de multa providentia fuit in Concilio Lateranensi prohibitum* c. 33. *Mediocritatem observent in Lateranensi Concilio definitam*, c. 41. *Synodali judicio definimus*, c. 42. *Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus*, c. 46. *Volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prohibere*, cap. 4. & 5. *Sacro approbante Concilio prohibemus*, cap. 61. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum*, cap. 66. *ad Apostolicam audientiam frequente relatione pervenit*, &c. *Quapropter prohibemus, &c.* Hæc omnia demonstrant, Canones illos esse opus Innocentii III. partim in ipso Concilio, partim post Concilium editum, nam in Concilio lecti sunt hi Canones auctoritate Innocentii confecti, & ab eodem postea pro libito multa adjecta, ut docent istæ formulæ, *in Lateranensi Concilio prohibitum, &c.*

VI. Respondeo tertio, Canones istos, si eos excipias, qui fidem spectant, & Confessionem, ac Communionem Paschalem, non esse ab omni Ecclesia receptos, & approbatos. Sic verbi gratia cap. 23. graviter prohibetur, *ne quis de cetero novam Religionem instituat, ne qui voluerit domum fundare, de novo Regulam condat*. Sed constat, post istud tempus multos religiosos Ordines esse institutos. Item cap. 24. de electionibus statutum fit, & tamen eæ postea sunt abrogatæ.

VII. Respondeo quarto, hunc Canonem non esse de jure, sed de usu, atque disciplina, nec ex eo illud dogmatis condi, *posse aliquid Ecclesiam in temporalia*, nec enim mens fuit eorum, qui Canonem condiderunt id examinare aut decernere, sed tantum pœnam eam, quæ a Gregorii VII. temporibus a Pontifice infligi licet immerito cœperat in eos, qui hæreticos fovere statuunt, ferre; non inquirentes, utrum potuerit Ecclesia has pœnas infligere, necne. Itaque Canon totus est de disciplina, non de dogmate: in disciplina autem posse Concilium etiam generale errare, nemo dubitat. Hic igitur locum habet textus Decretalis Gregorii lib. 5. tit. 19. cap. 28. *judicium*, inquit, *Dei veritate, quæ nec fallit, nec fallitur, semper invitatur, Judicium vero Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur*

Digitized by Google

tur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli Quod quidem teſtimonium ita interpretatur Bellarminus, ubi de infallibilitate Eccleſiæ agit, ut dicat Pontificem loqui de diſciplina Eccleſiaſtica, non de doctrina. Ergo ex ipſo Bellarmino errare poteſt Eccleſia in iis, quæ ad diſciplinam ſpectant. Hoc ipſum agnoſcit Melchior Canus rerum iſtarum curioſus indagator lib. 5. de locis cap. 10. *alii*, inquit, *mores ſunt poſt Apoſtolos inducti, in quibus quamvis Eccleſia erraret, non propterea tota fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreſeos teneri poteſt Eccleſiam in aliqua lege, & more errare poſſe.*

VIII. Denique, ut alios mittam, idem docet Petrus de Marca lib. 2. concordiæ p. 129. edit. 1. *Exceptis*, inquit, *Canonibus, qui de fide, vel morum doctrina feruntur; ceteri, qui Eccleſiaſticam diſciplinam reſpiciunt, & in facto verſantur, non debent ſummo illo non errandi privilegio cenſeri, maxime cum id proprium ſit legibus Eccleſiaſticis de diſciplina latis, ut eas pro ratione temporum, aut locorum mutare neceſſe ſit.* Et hoc eſt, quod ait Auguſtinus: *ipſa plenaria Concilia a poſterioribus emendantur.*

IX. Reſpondeo quinto, in Canone Lateranenſi Reges deponendos non judicari, ſed tantum juberi, ut poſt pœnam Eccleſiaſticam excommunicationis ab ordinariis inflictam, ſi ſe emendare neglexerint Domini temporales, ſignificetur id Pontifici, qui eorum vaſſallos abſolutos eſſe denunciet a fidei juramento, & eorum terram a Catholicis occupari poſſe ſalvo jure Domini principalis. Idemque ſervari jubetur erga eos, qui dominos principales non habent. Hic autem nulla fit mentio Imperatorum, aut Regum, qui tamen ut hac lege comprehenderentur nominari debuiſſent, nec vero eorum, qui dominos principales non habent, nomine Imperatores, aut Reges poſſunt intelligi, qui ſupremi ſunt, non tantum principales non habent, ſed intelligi debent Domini quidam feudatarii, & beneficiarii ab aliis independentes, præter quam a Regibus, vel Imperatoribus, quales ſunt in Germania, & Italia quamplurimi; ſed non poteſt id extendi ad Reges, & Imperatores: obſtat enim Regula juris tit. de reſcriptis, cap. Sedes Apoſtolica, ab ipſo Innocentio III. lata, quæ ſic habet: *Cum in commiſſionibus minores, & viliores perſonæ ſolummodo deſignantur, majores, & digniores ſub generali regula non intelliguntur includi.* Quod autem per eos, qui dominos principales non habent alii quam Reges intelliguntur, patet ex conſtitutione Friderici II. quæ totidem fere verbis concipitur, ac Lateranenſis Canon: *Si vero Dominus temporalis requiſitus, & admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, poſt annum a tempore admonitionis elapſum, terram illius ipſis exponimus Catholicis accipiendam, qui eam exterminatis hæreticis abſque ulla contradictione poſſideant, & in fidei pace conſervent, ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat, eadem nihilominus lege ſervata circa eos, qui Dominos non habent principales.* Hic autem eorum, qui Dominos principales non habent, nomine, Imperator, aut Reges non intelliguntur. Ridiculum enim profecto foret Imperatorem in ſeipſum, aut in reges ceteros depoſitionis pœnam ſtatuiſſe; nec quidquam auctoritatis habet Imperator, ut id in reges ſibi non ſubditos decernat. Ergo tam lex Friderici, quam Concilii Lateranenſis Canon ad eos tantum ſpectant, qui alios Dominos principales non habent præter reges, aut Imperatorem.

X. At inquiunt nonnulli Franciæ Monarchiæ hoſtes: Rex Galliæ, & alii Reges Occidentis cum ſubſint Imperatori, eorum, qui Dominos principales non habent nomine comprehendi poſſunt, ſicut & Principes Germaniæ, qui ſolum ſuperiorem agnoſcunt Imperatorem.

XI. Reſpondeo, Regem Franciæ, ut agnoſcit ipſe Innocentius in C. *venerabilem*, nullum in temporalibus agnoſcere ſuperiorem, & ab omni retro memoria jure ſupremo gaudere, nec cuiquam eſſe ſubjectum. Et certe ante imperium in Occidente conſtitutum, Franciæ Rex ſupremus erat totius Galliæ Dominus, poſt imperium vero ibidem conſtitutum, hujus Reges,

Digitized by Google

ges, quando Imperatores non fuerunt, ab Imperatoribus omnino independentes erant, & ſupremo Franciam dominio moderabantur.

XII. Reſpondeo ſexto, non dari per iſtum Canonem Eccleſiæ poteſtatem in temporalia, ſed tantum declarari Dominos principales, aut Reges poſſe eorum, qui ſibi ſunt ſubjecti, terras invadere, ſi ab ordinariis, eo quod hæreticis faveant, excommunicati emendare ſe neglexerint. Porro ſi quid probaret iſte Canon, probaret tantum ex ordinariorum excommunicatione ſequi Dominos privari dominiis ſuis temporalibus; quod tamen verum non eſſe ſupra demonſtratum eſt.

XIII. Denique reſpondeo, Canonem hunc vim habere non poſſe, niſi ex conſenſu Principum, & Regum, cum ſit ab auctoritate Eccleſiaſtica de re ſæculari latum; cum ergo ei Reges, aut Principes conſenſiſſe non probetur, vim habere non poteſt. Quod enim aiunt, Legatos Regum huic Concilio adfuiſſe, & ea, quæ geſſit probaſſe, verum eſt de iis, ob quæ Concilium erat coactum, non de hujuſmodi regulis poſtea conditis a Pontifice.

XIV. Nec eſt, quod opponant aliqui in Concilio ditionem Raymundi Comitis Tholoſani datam eſſe Comiti Montisfortis: id enim factum eſt ex beneplacito, & auctoritate Philippi Auguſti Regis Franciæ, cujus Comes Tholoſanus erat vaſſallus, qui Raymundum licet Synodi judicio damnatum abdicavit, & Comiti Montisfortis Comitatus Tholoſani inveſtituram tribuit. Deinde vero injuſta fuit hæc Raymundi abdicatio, & a ſancto Ludovico Francorum Rege abrogata, qui anno 1228. cum Raymundo, veluti cum legitimo Domino Comitatus Tholoſæ pactum iniit, ejuſque filiam Alphonſo fratri Comiti Pictavienſium in matrimonium dedit, ea lege, ut ſi ſine filiis ex fratre moreretur, Tholoſanus tractus eſſet Regum Franciæ. Itaque nihil ſive ex Canone, ſive ex Decreto Concilii Lateranenſis colligi poteſt, quo probetur poteſtas Pontificum Romanorum in temporalia præſertim Regum bona.

§. V.

De Concilii Conſtantienſis in præſenti negotio ſententiis.

MIrum eſt, quantum adverſarii hac in re Concilii Conſtantienſis dicta aut facta venditent, qui aliis in rebus auctoritatem ejus, quantum poſſunt, elevant. Cum enim ejus de auctoritate Pontificis Decreta adducuntur, ea velut a ſchiſmatico conventu facta exſibilant, ea vero, quæ per tranſennam Concilium dixit, ubi videtur nonnullam ſibi in temporalia auctoritatem tribuere, mirum in modum extollunt. Verum illi duo advertere debuiſſent; primum eſt Concilium non habere auctoritatem juris iſtius ſibi tribuendi, alterum, Concilium ſæpe ita loqui, quia præſens erat Imperator Sigiſmundus, qui poterat aut ſuos, aut Eccleſiæ vaſſallos Concilio non obedientes pœnis iſtis mulctare, ſed ſingula loca excutiamus.

II. Seſſione 20. in Fridericum Ducem Auſtriæ hæc ſententia fertur: *Fridericum Ducem, & alios prædictos requirant, & moneant, quos nos etiam tenore præſentium ſic requirimus, & monemus, ipſique Friderico Duci in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub anathematis, ſacrilegii, & privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Eccleſia, ſeu Imperio obtinet, & inhabilitationis ſuæ, & filiorum maſculorum ad obtinendum tam feuda, quam officia & beneficia uſque ad ſecundam generationem & honoris, & famæ, ac communionis in conſiliis Principum, qui ipſum Fridericum juxta conſtitutionem divæ memoriæ Caroli IV. contra tales facinoroſos, & ſacrilegos editam a Sede Apoſtolica canonizatam, & approbatam, &c.*

III. Reſpondeo, hoc loco Concilium loqui de bonis Friderici, quæ ab Eccleſia, & imperio obtinebat in feudum; at fatemur Eccleſiam habere poteſtatem privandi feudatarios Dominos iis bonis, quæ ab ipſa in feudum poſſident, non tamen habet illam poteſtatem, quatenus Eccleſia eſt, ſeu quatenus poteſtate, & regimine circa ſpiritualia prædita eſt, ſed quatenus habet poſſeſſiones, & bona temporalia, a quibus depen-

Digitized by Google

pendent alia bona; quantum vero ſpectat ad bona, quæ Fridericus ab Imperio in feudum poſſidebat, ſententia hæc Concilii eſt tantum directiva, nec vim habere poterat, niſi ab Imperatore confirmata fuiſſet, imo & ante ſancita: unde ait Concilium, ſe id ſtatuere juxta conſtitutionem Caroli IV. Imperatoris.

IV. Secundus locus Concilii, qui hic proferri ſolet, extat ſeſſ. 39. ſic habet: *Cujuſcumque ſtatus, gradus, aut etiamſi Imperiali, Regali, &c. præfulgeat dignitate illas pœnas ipſo facto incurrat, quæ in conſtitutione Bonifacii VIII. quæ incipit* Felicis, *continentur*; ſed in ea Bulla privatio bonorum ut pœna ſtatuitur.

V. Reſpondeo, conſtitutionem Bonifacii VIII. excommunicationis dumtaxat pœnam ſtatuere in eos, quorum regna vel imperia ab Eccleſia non pendent, illos vero ſolis bonis privare, qui Eccleſiæ feudatarii ſunt juxta hæc verba: *Qui vero feuda, locationes, officium aut beneficium ſpirituale, vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus.*

VI. Deinde in eadem *Felicis* Bulla, quæ edita eſt contra interfectores Cardinalium, plurimæ decernuntur pœnæ, quæ Reges, aut Imperatores ſpectare nullatenus poſſunt. Primo enim decernuntur pœnæ civiles, puta inhabilitationis ad ſuccedendum, ad teſtandum, &c. Et hæ quidem ſpectant tantum communis ſortis homines. Deinde inferuntur pœnæ excommunicationis, & hæ ad plures ſpectant. Tertio, de feudatariis nominatim pœna depoſitionis ſtatuitur. Demum omnibus Pontifex Dei judicium interminatur. Cum ergo in Conſtantienſi Concilio infliguntur pœnæ, quæ in Bulla *Felicis* continentur, etiam in Reges, & Imperatores, hoc debet intelligi per æquam diſtributionem, ut non omnes pœnæ in Bulla expreſſæ iis imponantur; pœnæ ſiquidem inhabilitationis ad ſuccedendum, & aliæ ejuſmodi in Reges cadere non poſſunt, igitur infliguntur eis tantum pœnæ ſpirituales, quæ ſolæ in eos ab Eccleſia ferri poſſunt, niſi ſint Eccleſiæ feudatarii.

VII. Tertius locus eſt ſeſſ. 17. ubi Concilium pœnam excommunicationis, & depoſitionis ſtatuit in eos, qui impedirent Sigiſmundum Romanorum, & Hungariæ Regem proficiſcentem ad Regem Aragonum pro pace Eccleſiæ.

VIII. Sed ibi Concilium non loquitur de Regibus, aut Imperatore, ſed de privatis aut Principibus quibuſdam, qui ſe Sigiſmundi profectioni, & itineri opponerent. Deinde vero Concilium non fert in eos depoſitionis, ſed tantum excommunicationis ſententiam, addens tantummodo ut ulterius omni honore, & dignitate, officio, beneficio Eccleſiaſtico vel ſæculari ſint ipſo facto privati. Porro beneficium illud ſæculare aliud intelligi non poteſt, quam quod Eccleſiæ deberetur, & ut feudum ab ea teneretur. Quippe id ſancitum eſt in eos, qui Benedicto VIII. favebant: Reges nempe Aragoniæ, Caſtiliæ, Navarræ, Portugalliæ, & Comites Armeniaci, & Fuxi, qui in feudum multa tenebant ab Eccleſia, ut patet ſeſſ. 20. ubi privantur iis, quibus infeudati fuerunt tempore ſchiſmatis.

IX. Quartus locus eſt ſeſſ. 14. ubi in eos, qui Concilium turbaverint hæc ſtatuit: *Si quæ perſona ipſius ſacri Concilii partim in hac ſeſſione ſtatuta, aut ordinationes temere violaverit, infregerit, aut tranſgreſſa fuerit ullo modo, tanquam unionem perturbans, ſchiſma faciens de hæreſi ſuſpecta aut rea criminis, læſæ majeſtatis, perpetuo ſit infamis, omnique dignitate, ſtatu, honore, officio, & beneficio Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, etiamſi Imperialis, Regalis, Cardinalatus, aut Pontificalis exiſtat, ipſo jure privata, ſpe promotionis omni ſublata, &c.*

IX. Reſpondeo, verba iſta Concilii comminatoria tantum eſſe, nec ullum ſortiri effectum; deinde intelligi poſſe ex conſenſu Principum, & ultronea ſubjectione.

X. In Concilio Baſileenſi ſeſſione 39. & 40. vetant Patres omnibus, etiamſi Regalis, aut Imperialis, &c. ſub pœna privationis officiorum Eccleſiaſticorum, & mundanorum.

XI. Ad hæc reſpondendum eſt eodem plane modo, quo ſupra; addo hæc omnia eſſe perperam decreta eo tempore, quo vulgaris erat hæc opinio, Eccleſiam habere

Digitized by Google

aliquid poteſtatis in Reges. Nec vero Concilia allata quæſtionem iſtam ex profeſſo definiunt, quippe quam haud examinarant, ſed loquantur, ut tum loqui ſolebant proceres Eccleſiaſtici; quare non poſſent iſta pro definitionibus conciliariter factis haberi.

§. VI.

Reſpondetur auctoritatibus Theologorum, ac Canoniſtarum recentium.

QUanquam Bellarminus opus ſuum in Barclaium ordiatur a Theologorum, Canoniſtarumque bene multorum, quos in ſua ſententia verſari affirmat, enumeratione, ut inde probet ſingularem, ac temerariam eſſe Barclaii ſententiam: nos tamen iſtud argumentum ad calcem rejecimus, eo quod omnium ſit leviſſimum. Enimvero quis non videat, eorum qui poſt motam inter Imperatores, ac Pontifices ea de re litem ſcripſerunt, teſtimonium nullius, aut levis debere in iſta eſſe quæſtione momenti, cum ſtudio partium abrepti in hanc, vel illam ſententiam iverint. Itaque hujuſmodi hominum auctoritas, quam tanto molimine exaggerat Bellarminus, fracta ſtatim jacet atque proſtrata. Hæc quippe ſemper ſervata eſt in Eccleſia æquitas, ut ne in hæreticos quidem alii teſtes, ac judices producerentur, quam ii, qui ante motam litem ſcripſere, quique propterea ab omni ſtudio partium alieni fuerunt. Sic confoſſus Artemon, ſic convictus Arius, ſic refutatus Neſtorius, ſic repreſſus Eutyches, ſic Julianus ab Auguſtino exagitatus. Atque, ut alia mittam, in Concilio Florentino inter Græcos, Latinoſque convenit, ut nullus ab utraque parte de proceſſione Spiritus ſancti ſcriptor laudetur, qui poſt Photii tempora ſcripſiſſet. Eadem inter nos, & Bellarminum ſervari debet æquitas, ut neque nos in eorum, qui poſt Gregorii VII. tempora pro nobis ſteterunt, auctoritate vim faciamus, nec ille velit a nobis eos ſcriptores, qui poſt idem tempus in ipſius ſententia fuerunt, in auctoritatem admitti.

II. Illis porro, quos laudat, ſcriptoribus eo minus fidei debetur, quod plerique eorum e Canoniſtarum ſunt populo, quos regibus iniquos, Pontificum adulatores, ac ſolius Pontificii juris peritos eſſe nemo neſcit. Reliqui vero Theologi Canoniſtarum ea in re ſequuntur auctoritatem, omnes non ſacrarum litterarum, non traditionis auctoritate, ſed tantum geſtis, & dictis Pontificum, aut futilibus omnino rationibus opinionem iſtam tuentur.

III. Eat ergo, & quantum volet, hujuſmodi hominum patrocinio glorietur Bellarminus; hujuſmodi nos aut patronos, aut adverſarios parum curamus. Quanquam & ex iis nonnullos poſſemus ei eripere, & alios pro nobis ſtantes opponere, ceteros omnes fide prorſus indignos oſtendere; ſed in iſtis tempus terere, nec libet, nec vacat. Qui ſtudioſus iſtarum rerum fuerit, conſulat Joannem Barclaium, & Roſſenſem, qui a ſcriptorum a Bellarmino laudatorum χρισὶ, opera ſua exordiuntur.

§. VII.

De Decreto ſacræ Facultatis Pariſienſis adverſus Henricum III.

THuanus ita narrat lib. 94. ad annum 1589. id quod in domo Sorbonica adverſus Henricum III. geſtum eſt: *Factioſi*, inquit, *libellum Præfecti Mercatorum, & Decurionum nomine Sorbonicorum Theologorum Collegio porrigendum curant. Quærebant illi, an populus Galliæ jurejurando fidei Henrico III. præſtito ſolutus eſſet, & ſine morſu conſcientiæ poſſet in hoc regno arma capere, fœdus inire, pecuniam cogere pro defenſione Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, contra perverſas machinationes, & conatus ipſius Regis, ejuſque fautores ob violatam ab eo Bleſis fidem publicam in Catholicæ Religionis detrimentum, & edicti unionis, & libertatis præjudicium. His duobus libellis ab iis, quæ memoravi, comprehenſis, in cœtu ſexaginta Theologorum in ſchola Sorbonicæ congregatorum, poſt ſacrum Spiritus ſancti more ſolemni celebratum mature expenſis, a Decano Collegii pronunciatum eſt, & populum jurejurando ſolutum eſſe, & contra Regem pro defenſione Religionis arma capi poſſe:*

posse: visum insuper Collegio, ut Decretum ad Pontificem mitteretur, isque rogaretur Collegii nomine, ut auctoritate sua illud approbaret, & auxilia afflictæ in Francia Ecclesiæ submitteret: monumentum publicum ea de re confectum, & typis mandatum est. Addit deinde plures anonymos ea de re scripsisse libros, & Joannem Bucherium S. Benedicti Pastorem Doctorem Sorbonicum Henrico III. trucidato, librum insignibus Nivellii typis impressum in lucem emisisse, de justa Henrici III. abdicatione, qui etiamnum reperitur.

II. Lib. 98. narrat idem Thuanus Collegium Sorbonicum sanciendæ unioni in Henricum IV. fuisse patrocinatum, & congregatum mandasse suis Theologis, ut etiam cum vitæ periculo execrarentur hanc propositionem: hæreticum nedum relapsum, & extra Ecclesiæ communionem positum jus regnandi in Gallia habere non posse. In Facultatis Decretum jurarunt Episcopus, & Parochi, & probavit illud Cajetanus Legatus Apostolicus, eaque pars Senatus, quæ Parisiis commorabatur. Et lib. eodem addit decrevisse idem Collegium, etiam defuncto Cardinali Borbonio: *Henrico nunquam esse parendum propter metum simulationis, & eos, qui ad sanguinis usque effusionem resisterent, æternum in cælo præmium, & ut fidei propugnatores immarcescidilem Martyrii coronam proculdubio consecuturos.*

III. Respondeo primo, hæc Decreta (quæ non toti Facultati, sed quibusdam privatis ascribit Thuanus diligens, & accuratus Scriptor) a Bucherii, & aliorum factione condita fuisse, non libero totius Facultatis Parisiensis judicio confecta.

IV. Respondeo secundo, plures ex iis Doctoribus, qui aderant, huic Decreto non consensisse, ut testis est Thuanus lib. 94. ad annum 1589. *Instrumentum*, inquit, *publicum ea de re confectum, & mox typis mandatum est, quod in concordi omnium consensu, & nemine repugnante Decretum dicitur, cum tamen constet, seniores, adeoque ipsum Decanum Joannem Fabrum hominem antiqui moris, nec vulgaris inter eos eruditionis aliter sensisse, & valde juvenes tam pernicioso consilio in præsens temerario apud posteros insaniæ pleno dehortatum esse, ac censuisse, ut res integra ad Pontificem remitteretur.* Mirum esse non debet, quod plures non fuerunt, qui sese opponerent; imo mirum potius est, in calamitosissimis temporibus ausos fuisse quosdam reluctari.

V. Respondeo tertio, nullius esse momenti hujusmodi Decretum per vim extortum, eo tempore, quo tutum non erat defectionem non probare, quo cædibus, & rapinis omnia erant plena.

VI. Respondeo quarto, Facultatem Parisiensem infamiam quorumdam, statim atque libere potuit convenire, deleviſse, & e suis tabulariis abradi jussisse quidquid ejus nomine a quibusdam fuerat in regiam Majestatem confectum, ac solemni Decreto sanciviſse obedientiam Regi præstandam, licet nondum a Papa fuisset absolutus.

§. VIII.

De censura in libros libertatum Gallicanæ Ecclesiæ.

ANno 1639. duo volumina prodiere typis excusa; ita inscripta: *Tractatus de juribus, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ:* alterum: *probationes libertatis Ecclesiæ Gallicanæ.* De iis conquerente Nuntio Apostolico, effecit Cardinalis Richelius, ut sanctioris Concilii placito eorum commercium interdiceretur, utque Episcopi Lutetiæ degentes, in ædibus sanctæ Genovefæ congregati, duo illa volumina nulla singulari propositione notata proscriberent, & litteras ad reliquos Episcopos ea de re mitterent. In iis postquam pluribus disseruerunt Præsules, quantum sit in iis libris offentionis, & periculi, asserunt ea duo volumina sibi visa esse passim, & pene ubique vitiosa, plerisque in locis hæretica, schismatica, & impia, verbo Dei contraria, in hierarchiæ, & Disciplinæ Ecclesiasticæ, Sacramentorum, & sacrarum observationum perniciem, in sanctam Sedem Apostolicam, Regem nostrum, Ordinem Ecclesiasticum, totamque Ecclesiam Gallicanam contumeliosa. Hæ litteræ datæ sunt die decima mensis Februarii anno 1639. ade-

Digitized by Google

rant huic Conventui unus Cardinalis, & 18. Archiepiſcopi ſive Epiſcopi.

II. Porro præcipuum caput iſtorum librorum eſt, Pontifici nullum eſſe jus in temporalia Regum Franciæ; alterum vero quod Pontificis poteſtas ſit moderanda juxta Canones in Francia receptos.

III. Reſpondeo, ne judicium, & judicii auctoritatem detrectem, factum id fuiſſe, ut fieret ſatis ad Nuntii Apoſtolici querimoniam, & generatim ita proſcripta fuiſſe hæc volumina, non ob ea duo capita, quæ proponuntur in iis probanda, quæ ſemper fuerunt in Gallia approbata; ſed ob liberiora, & duriora aliquot recentiorum dicta, quæ iis inſerta fuere, ut verbi gratia, quod nihil juris in Gallicanam Eccleſiam primis ſæculis Romano Epiſcopo competierit, quod Chlodovæi temporibus Rex fuerit ſummum, ac primum a Chriſto caput Eccleſiæ Gallicanæ, & alia ejuſmodi, quæ licet habere poſſint bonum ſenſum, duriora ſunt, &, ut patet, videntur hæreſim ſapere.

§. Ultimus.

De Immunitate Clericorum.

QUi poteſtati Eccleſiaſticæ temporalem aliquam tribuunt auctoritatem ſolent aſſerere, Clericos jure divino non eſſe ſubjectos Principibus, nec ab eis poſſe judicari, ſed tantum a Judicibus Eccleſiaſticis. Licet autem iſtud falſum eſſe ex principiis huc uſque ſtabilitis abunde demonſtratum ſit, ſpeciatim tamen oſtenſuri ſumus, Clericos in civilibus, & politicis, ſicut & in cauſis criminalibus, tum a tributis, tum a pœnis, & judiciis civilibus non eſſe jure naturali, aut divino, ſed ſolo Imperatorum beneficio in nonnullis caſibus immunes.

II. Hinc Apoſtolus Rom. 13. verſ. 1. & ſequentibus: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinatæ ſunt. Ideo qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt;* & v. 5. *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ideo enim & tributa præſtatis.* Ibi enim Apoſtolum agere de civili, non de Eccleſiaſtica poteſtate indicant verba, quæ ſequuntur: *Nec enim fruſtra gladium portat, & hæc ideo tributa præſtatis.*

III. Generatim autem de omnibus Chriſtianis, tam Clericis, quam Laicis hæc verba interpretantur ſancti Patres a nobis ſupra laudati: Irenæus lib. 5. cap. 20. Juſt. in Apologia 2. Tertullianus lib. de idololatria, Theodoretus, Theophilactus, & alii.

IV. Speciatim vero de Clericis loquuntur Origenes in Epiſt. ad Rom. *Exquiret enim a nobis tributa terræ noſtræ, & vectigalia negotiationis noſtræ, & quid dico, de verbis exolvit etiam tributum Dominus noſter JESUS CHRISTUS. Quod ſi ille, qui nihil habebat in ſe Cæſaris, & in quo Princeps hujus mundi veniens non invenit quidquam de ſuo, cum liber eſſet, ſolvit tamen tributum, quanto magis nos neceſſe eſt iſta tributa carnis expendere.* Baſilius in reg. contractioribus, regula 94. jubet, ut ſi quis ad fratres veniat, afferat aliquid, quod ſit Cæſaris, debitor ſit ille ſolvendi tributi.

V. Gregorius Naz. orat. ad Præſidem iratum, & populum pertimeſcentem: *ſubjecti ſimus, tum Deo, tum invicem aliis alii, tum iis, qui cum Imperio nobis in terra præſunt, Magiſtratibus propter ordinis conſervationem. Etiam hæc in legum noſtrarum numero eſt, ut quemadmodum heri ſervis, uxores maritis, Eccleſia Domino, Diſcipuli Paſtoribus, ac Doctoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecti ſimus, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut qui tributo pendendo ſimus obnoxii, lex Chriſti vos quoque meo, tum Imperio, tum ſolio ſubjicit, nam & nos in poteſtate ſumus.*

VI. Chryſoſtomus homil. 23. in Epiſt. ad Rom. *Poteſtatibus ex debito obedire jubet, oſtendens, quod iſta imperentur omnibus, & Sacerdoribus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apo-*

Digitized by Google

Apoſtolus ſis, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris, non enim pietatem evertit iſta ſubjectio, &c.

VII. Ambroſius in Luc. lib. 4. cap. 5. *Magnum quidem eſt ſpeciale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem terreni Regis putet eſſe ſolvendam.*

VIII. Et lib. 10. cap. 20. *Si tu non vis eſſe obnoxius Cæſari, noli habere, quæ mundi ſunt, ſed ſi habes divitias, obnoxius es Cæſari*; & orat. contra Auxentium Epiſt. 32. lib. 5. *ſi tributum petit Imperator, non negamus, agri Eccleſiæ ſolvunt tributum: ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrum intervenit.*

IX. Auguſtinus in Joannem tract. 6. *Legantur leges manifeſtæ, ubi præceperunt Imperatores eos, qui præter Eccleſiæ communionem uſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere, nolite dicere: quid mihi, & Regi; quid tibi ergo, & poſſeſſioni? per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Siccine loqueretur Auguſtinus, ſi ipſo jure divino, non ex beneficio Imperatorum Clericorum bona fuiſſent immunia, unde ex hoc loco in jure Canonico cauſ. 11. q. 1. *Si quæ cauſæ*, hæc inferuntur: *Clerici ex officio Epiſcopo ſunt ſuppoſiti, in poſſeſſionibus prædiorum Imperatori ſunt obnoxii, &c.*

X. Gelaſius Epiſt. 8. *Quantum ad ordinem pertinet, publicæ diſciplinæ cognoſcentes Imperium tibi ſuprema diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi parent Religionis Antiſtites.* Symmachus in Apologetico: *deſer Deo in nobis, & nos deferimus Deo in te; nos enim poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus.* Pelagius I. *Quanto nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus.* Gregorius Magnus lib. 2. Epiſt. 62. *Poteſtas ſupra omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data eſt.... Ego quidem juſſioni ſubjectus, utrobique quod debui, exolvi, & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui.*

XI. Leo IV. Epiſt. ad Lotharium diſt. 10. cap. de capit. *De capitulis vel præceptis Imperialibus, vel præceptis veſtris, veſtrorumque Pontificum, & prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis, & conſervandis, quantum valuimus, & valemus, modis omnibus profitemur.* Item Epiſt. ad Loth. 2. q. 7. c. *Nos*: *Nos*, inquit, *ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac veſtrorum Miſſorum cuncta volumus emendare judicio.* Fatentur ergo ipſi Romani Pontifices, ſe, ceteroſque Epiſcopos, & Clericos in rebus civilibus ab Imperatoris legibus, & judiciis non eſſe jure divino immunes.

XII. Yvo Epiſt. 22. ad Philippum Regem: *Reſpondere non ſubterfugiam vel in Eccleſia, ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia, vel in Curia, ſi curialia.* Bernardus Epiſt. 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem: *Cui honorem, honorem; omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: ſi omnis & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate? ſi quis tentat excipere, conatur decipere.*

XIII. Innocentius IV. de ſententia excommunicationis cap. Noverit. n. 2. *In temporali generaliter, & generalis Eccleſiæ ſolus Imperator, qui & Clericis, & Laicis præeſſe debet, privilegium condere poteſt.* Ipſe ſanctus Thomas in Epiſt. ad Rom. cap. 13. ab hoc debito liberos eſſe ait Clericos ex privilegio tantum Principum.

XIV. Petrus de Alliaco q. de reſcript. concluſione prima, exemplo Chriſti, qui ſe Pilato judicandum commiſit, & Apoſtolorum, qui nullam ſibi in judiciis civilibus auctoritatem arrogarunt, ſed intus ſubjecti fuere legibus, & Judicibus civilibus, & Ethnicis; nec non ex dictis Petri, & Pauli, ac demum ex hujus provocatione ad Cæſarem, oſtendit, Clericos jure divino non eſſe immunes a Judiciis civilibus. Mitto Cuſanum, Valdenſem, Alcuinum, Almainum, & alios complures Theologos, qui in eadem opinione verſantur. Hæc autem aliunde probant verba illa Pauli, *omnis anima &c.* tam de Clericis, quam de Laicis eſſe intelligenda, & illos non minus, quam iſtos in rebus civilibus de jure ſubjectos eſſe, ita ut æque tribu-

Digitized by Google

tributa pendere debeant, & de criminibus civilibus, ac Magiſtratibus civilibus judicari, & pœnis etiam civilibus coerceri. Quod ſi quibuſdam in caſibus, tum a tributis, & aliis oneribus immunes ſunt, quando a judiciis civilibus ſe ſe eximunt, & ad Eccleſiaſtica remittuntur, id habent ex beneficio principum, qui iſtud ipſis in gratiam Eccleſiæ indulgere voluerunt, ut ex innumeris legibus liquet.

XV. Idem demonſtratur ex uſu Eccleſiæ, & exemplis. Primo autem certum eſt tribus primis Eccleſiæ ſæculis Presbyteros, & Clericos ad Tribunalia Imperatorum, & Magiſtratuum Ethnicorum pro rebus civilibus ſtetiſſe. Poſtquam vero Imperatores Chriſtiani fuerunt, licet aliquibus legibus cauſarum, quæ ad Clericos ſpectabant, judicium ſit Epiſcopis commiſſum, ſæpe tum pro rebus, & criminibus civilibus ab Imperatoribus, & Judicibus civilibus judicabantur. In Concilio Nicæno Epiſcopi ſeſe invicem accuſantes, libellos accuſationis Conſtantino vel iſtarum rerum judicium tribuerunt. Is vero ſingulorum accuſationes accepit, & ſigillo obſignavit, ignique tradidit, ut ſic jurgiis omiſſis, illa, quæ ad fidem pertinebat abſque ulla animorum contentione exquirerent, & definirent. Idem Conſtantinus Cæciliani cauſam, quia de crimine quod in examine facti conſiſtebat, agebatur, ipſe judicavit. Idem Athanaſium inſimulatum læſæ majeſtatis ſuo judicio damnatum in exilium miſit.

XVI. Hujus filius Conſtantinus cauſam criminalem Stephani Antiocheni Epiſcopi in Laico judicio, in Palatio Principis agitari voluit, qui cum in eo convictus foret, præceptum eſt Epiſcopis, ut eum deponerent, teſte Theodoreto lib. 42. cap. 9.

XVII. Valentinianus Chronopium Epiſcopum, eo quod provocaſſet a judicio 70. Epiſcoporum, argentaria mulcta affecit lib. 2. Cod. Theodoſ. quorum appell. Idem Urſicinum, & ejus ſocios tranquillitatem turbantes in exilium pelli juſſit.

XVIII. Priſcillianus, & Inſtantius quoniam de criminibus, & obſcænitatibus agebatur, a ſæcularibus judicibus ſunt damnati, teſte Severo.

XIX. De cauſa Felicis Aptungitani, Cæciliani, & Donatiſtarum judicaverunt ſæculares Magiſtratus, quia in iis agebatur de rebus facti.

XX. Epiſcopi omnes Itali Gratianum, & Valentinianum rogant, ut de Damaſo judicium ferat ſecundum conſuetudinem: *Nec novum*, inquiunt, *aliquid petit Damaſus, ſed ſequitur exempla majorum, ut Epiſcopus Romanus, ſi Concilio ejus cauſa non creditur, apud Concilium ſe Imperiale defendat. Nam & Sylveſter Papa a ſacrilegis accuſatus apud parentem veſtrum Conſtantinum cauſam propriam proſecutus eſt, & de ſcripturis ſimilia exempla ſuppeditant, quod cum a Præſide S. Apoſtolus vim pateretur, Cæſarem appellavit, & ad Cæſarem miſſus eſt.*

XXI. Theodoricus Italiæ Rex Symmachi Papæ accuſationem admiſit, viſitatoremque dedit Sedi Apoſtolicæ, haud repugnante Symmacho, qui in Apologetico ait, *ſe poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipere, delaturumque Imperatori, ut in rebus humanis.*

XXII. Anaſtaſius Imperator Epiſcopos novis rebus ſtudentes exturbavit. Poſt Juſtinus in criminali cauſa Dorothæi Theſſalonicenſis Epiſcopi ſeditionum, ac homicidiorum rei, & præſertim convicti necis Joannis Epiſcopi Apoſtolici Legati judicavit, & apud eum Hormiſdæ Papæ Legati cauſam egerunt. Vide Hormiſdam Ep. 56. & 64. Idem Severum ob contentionem & factiones pœna affecit, teſte Evagrio l. 4. c. 4.

XXIII. Juſtinianus Imperator in Sylverium Pontificem ſuper quibuſdam litteris proditoriis accuſatum judicium inſtituit, *ut ſi*, inquit Liberatus in Breviario c. 22. *approbaretur ab ipſo fuiſſe ſcriptas in quacumque civitate Epiſcopus degeret, ſi autem falſæ fuiſſent, reſtitueretur ſuæ ſedi.*

XXIV. Carolus Magnus Campulium Presbyterum majeſtatis reum cum ejuſdem criminis conſortibus in exilium miſit, vita & integritate membrorum ad Leonis III. preces ipſi conceſſa, Platina in Leone, & Regino ann. 203.

XXV. Otho Fridericum, Moguntinum,

Digitized by Google

num, & Rodpertum Strasburgenſem perjurii reos relegavit, Regino lib. 2. ad an. 939.

XXVI. Conradus Imperator teſte Hermanno ad annum 1037. Herberthum Mediolanenſem Archiepiſcopum Imperii perduellem in carcerem conjecit, præſente Papa Benedicto IX. & tres Epiſcopos, Placentinum, Cremonenſem, ac Vercellenſem in exilium expulit. Henricus III. Gebardum Reginoburgii Epiſcopum majeſtatis convictum in vincula conjecit, & Nitgerum Franxinenſem ob necem fratrum Ravennam relegavit.

XXVII. Hæc Imperatores, quos imitati Reges Franciæ Clericos majeſtatis reos, aut contra leges regni directe peccantes a Judicibus Laicis ſemper damnari juſſerunt, & his in caſibus vetuerunt eos ad judices Eccleſiaſticos remitti.

XXIII. Agydius Rhemenſis læſæ majeſtatis reus in Concilio Metenſi a Gontrhamo damnatur exilii, mortis pœna ad preces Epiſcoporum condonata.

XXIX. Epiſcopi Aurelianenſis, & Altiſſiodorenſis ob rebellionem mulctati a Philippo Auguſt.

XXX. Chilpericus de Prætextato Rothomagenſi ab exilio revocato ſic præfatur: *Quamvis, venerandi Pontifices, regia poteſtas reum majeſtatis legibus condemnare poſſit.* ut refert Aimoinus lib. 3. cap. 26. quod & agnoverunt Epiſcopi; nam Greg. Turonenſis ita Regem alloquutus eſt, ut refert Inſt. lib. 5. c. 18. *Si quis de nobis, o Rex, Juſtitiæ limites tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt.*

XXXI. Denique ipſa ratio naturalis docet, Clericos Regibus, & Magiſtratibus civilibus ſubeſſe, & ab iis judicari poſſe; cum enim ſint membra ſocietatis civilis, & Eccleſiaſticæ, utriuſque legibus, & pœnis ſubjiciuntur. Si quid ergo contra leges civiles faciant, poſſunt a civilibus Judicibus judicari, & pœnis iis plecti, quas leges civiles ſtatuunt in reos. Ab Eccleſia vero judicari poſſunt, ſed iis tantum pœnis mulctari, quas Eccleſia poteſt infligere, hoc eſt depoſitione, & excommunicatione. Hinc ſemper Eccleſia paſſa eſt ob civiles cauſas Clericos judicari, & puniri a poteſtate civili; imo poſtquam ipſos judicavit, ad eos puniendos pœna temporali ſemper civiles Magiſtratus adiit. Hinc Epiſcopi Syri poſtquam Timotheum Ælurum judicio Eccleſiaſtico perſtrinxerunt ad Leonem ſcribunt: *de delictis autem, & præſumptionibus, quas nefande commiſit, Reipublicæ Regibus, & Præſulibus ſecundum rationem judicio competenti ſubdetur.*

XXXII. Quapropter ſancti Patres a nobis laudati non diſtinguunt inter Laicos, & Clericos, ſed generatim omnium crimina correctioni, & vindictæ Magiſtratus civilis ſubjiciunt: *Omnia*, inquit Origenes lib. 9. in Ep. ad Rom. ad cap. 13. *crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antiſtites & Principes Eccleſiarum, ſed per mundi Judices voluit vindicari.*

XXXIII. Uno verbo, ſancti Patres, Epiſcopi, & Pontifices Romani a nobis ſæpe laudati fatentur, tum res, tum perſonas Clericorum ſubjici civili poteſtati in civilibus, Imperatoribus tributa de jure debere, & in rebus civilibus judicari poſſe a Magiſtratibus civilibus, ſolas fidei, & Religionis excipiunt cauſas: illæ vero, quæ publicæ ſunt diſciplinæ, ut loquuntur, & Rempublicam ſpectant ad Imperatorem, Reges, & Magiſtratus pertinere, eorumque legibus regi ultro fatentur.

XXXIV. Diſtinguendum autem eſt inter crimina mere Eccleſiaſtica, ut hæreſis, & mixta, ut homicidium, furtum, &c. Illa nonniſi ad Eccleſiæ judicium pertinent. Et ſi quando Imperatores illorum vindictam uſurparent, id faciunt ab Eccleſia ſollicitati, vel quia inde tranquillitas Imperii pendebat. Hæc vero crimina ab Eccleſia, prout eſt Eccleſia, non aliter poſſunt vindicari, quam excommunicatione, aut depoſitione e gradu Eccleſiaſtico; a Magiſtratibus vero civilibus pœnis temporalibus puniri debent, etiamſi fuerint a Clericis admiſſa.

XXXV. Nec refert, quod Apoſtolus Paulus vetat, ne Chriſtiani coram Judicibus Ethnicis litigent, ſed jubet, ut Judices ex Eccleſia aſſumant. Quamvis enim his præcipue temporibus opportunum omnino fuerit, ut cauſæ Chriſtianorum non agerentur coram Judicibus Ethnicis, non negat tamen

Digitized by Google

tamen Paulus, quin auctoritatem illorum judicandorum habeant, sed tantum consulit Christianis, ut potius Christianos eligant arbitros, quam apud Ethnicos litigent, quia convenientius istud est.

XXXVI. Nihil etiam refert, quod in Canonibus legamus, mandatum esse Clericis causas suas apud Episcopum potius agere, quam apud Civiles Magistratus; nec enim propterea negatur, quin civiles Magistratus possint earum cognitionem suscipere, sed tantum admonentur Clerici, ne relicto Episcopi sui judicio ad sæcularia judicia causas suas deferant, eo præsertim tempore, quo Imperatores dederunt Episcopis potestatem earum terminandarum; verum licet Imperatores hanc dedissent Episcopis auctoritatem, non propterea tamen putarunt Clericos ab omni reprehensione Civilium Magistratum esse immunes, quippe innumeris in legibus civilibus comprehenduntur, & pœna in eos statuitur, si quid contra leges egerint, aut si tranquillitatem, ac pacem Reipublicæ turbaverint.

XXXVII. Denique quando ad civile tribunal citabantur, huic se sistere tenebantur ex lege *omnes* 33. cod. l. 1. de Episcopis, & Clericis, qua cavetur ne ad extranea judicia pertrahantur, *sed ut apud suos Judices ordinarios, id est Provinciarum Rectores, in quibus locis degunt Ecclesiarum ministeriis obsecundent, omniumque contra se agentium excipiant actiones.* Et lege 37. *Omnes præterea virorum clarissimorum Provincias moderantium sententiis absque ulla privilegii differentia, (qui tamen Præsidiali Jurisdictioni subjecti sint) sive Episcopi, vel quilibet Clerici, aut Monachi, aut cujuslibet conditionis sint pariter respondere decernimus.*

XXXVIII. Quin etiam cum Episcopis forum, & judicium in rebus civilibus habere concessum est, hoc ut arbitris sponte electis, & sine Jurisdictione coactiva illis datum lege, *si quis* cod. c. 1. de Episcopali audientia: *Si qui ex consensu apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius in civili duntaxat negotio more arbitri sponte residentis judicium, quod his obesse non poterit, nec debebit, quod ad prædicti cognitoris examen conversos potius adfuisse, quam sponte venisse constiterit.* Hic quoque facit Novella Valentiniani 3. tit. 12. de Episcopali judicio: *Cum inter Clericos jurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam judicandi præeunte tamen vinculo compromissi, quod & de Laicis, si consentient, auctoritas nostra permittit. Aliter eos Judices esse non patimur, nisi voluntate jurgantium interposita, sicut dictum est, conditione præcedat. Quoniam constat Episcopos, & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii, & Honorii divalia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit præter Religionem posse cognoscere, si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus, & lege communi.*

XXXIX. Ab his autem Episcoporum judiciis semper provocare licebat ad Principem, & civilem Magistratum, ut habetur in Authentica *si ex Imperiali* cod. de Episcopi audientia: *si ex Imperiale jussione, aut judiciali præcepto Episcopus judicat inter quascunque personas, appellatio aut ad Principem aut ad eum, qui transmisit negotium trasferatur*, & Novella 83. Rubrica hujusmodi est: ut Clerici apud proprios judices conveniantur, & post hos apud civiles judices.

XL. Adversus ista nihil ab adversariis opponitur, quod alicujus sit momenti ad probandum jure divino, aut naturali Clericos esse a judiciis, pœnis, & oneribus civilibus immunes; quod enim afferunt de Levitis, & Sacerdotibus veteris testamenti haud probat, juris istud esse naturalis aut divini, sed tantum conveniens esse, ut Respublica sacerdotes a tributis pendendis eximat. Quod vero aiunt ex novo testamento Christum dicere filios sponsi a tributis esse liberos, de se tantum Christus dicit, qui cum esset rerum omnium Dominus, ratione divinæ naturæ haud tenebatur tributum solvere, & tamen tam pro se, quam pro suis tributum solvi jussit.

XLII. Gravius fortasse videbitur, quod nobis objiciunt, legibus tam civilibus, quam Ecclesiasticis tanquam nefas, & illicitum vetari, ne quis Clericus apud civiles Magistra-

Digitized by Google

ſtratus litiget. Et quidem innumeri ſunt Canones, quibus pœna ſtatuitur in Clericos, qui ad Judices hujuſmodi cauſas ſuas detulerunt. Sic Canone 9. Concilii Carthaginenſis III. *ſancitur, ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei fuerit crimen intentatum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico judicio purgari voluerit, etiamſi pro hoc ipſo lata fuerit ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali judicio; in civili vero perdat. Quod enim ſi locum ſuum obtinere voluerit.* Can. item 9. Conc. Chalcedonenſis ſtatuitur, *ut ſi Clericus habeat negotium adverſus Clericum, non relinquat Epiſcopum ſuum, & ad ſæcularia judicia revertatur;* Agathenſis Concilii Canone 32. Clericum nullum apud ſæcularem Judicem, Epiſcopo non permittente, pulſare. Leges vero civiles idem vetant. Sic lege 7. de Epiſcopis, & Clericis, vetatur, ne Clerici ad Curias revocentur, ſed ut pleniſſima immunitate potiantur. Et lege ult. de Epiſcopis, & Clericis: *Clerici, quos indiſcretim ad ſæculares judices debere deduci imperitus præſcriptor dimiſerat, Epiſcopali audientiæ reſerventur. Fas enim non eſt, ut diverſi muneris Miniſtri temporalium poteſtatem ſubdantur arbitrio.* Denique Novella 83. Juſtiniani, Clerici jubentur prius ab Epiſcopo ſpoliari dignitate ſacerdotali, antequam a Præſide Provinciæ judicentur.

XLIII. Reſpondeo, nihil iſtis Canonibus, & legibus probari, quam quod minime controverſum eſt, Principes nempe ſæculares Epiſcopis hoc privilegium conceſſiſſe, ut cauſæ ordinariæ Clericorum, ad eos primum deferri poſſent, utque de iis primi cognoſcerent. Eccleſiam vero Principum indulgentia nixam ſub pœnis ſpiritualibus vetuiſſe, ne Clerici primum alios Judices, quam Epiſcopos adirent; at iſtud minime probat, Clericos jure divino, & naturali a judiciis civilibus eſſe immunes; imo quidem hoc probat nullos alios eſſe potuiſſe poſt iſtas leges in cauſis Clericorum civilibus Judices, quam Epiſcopos: nam, ut obſervavimus, iiſdem legibus Epiſcopi conſtituuntur tantum, ut arbitri, & ſi illorum judicio ſtare quis nolit, apud Judices ſæculares cauſa poteſt agitari; itemque Canones vetant equidem cauſam Clerici ad alios primum, quam Epiſcopos deferri, at non vetant, ne qui ab Epiſcopo jure civili damnatus, ad ſæculares Judices recurrat. Itemque non decernunt, Magiſtratus ipſos non poſſe delinquentes Clericos damnare, & punire: ſed ad ſingula teſtimonia pauca reponere oportet.

XLIV. Can. 9. Concilii Carth. 3. de iis tantum loquitur Clericis, qui, cauſa intentata, nec dum judicata in Concilio Eccleſiaſtico, ad ſæculare judicium confugiebant; non autem de iis, qui cauſam primum ad Judices civiles deferrent, aut a judicio Eccleſiaſtico provocarent.

XLV. Concilium Chalcedonenſe addit poſt verba citata in objectione: *ſed prius ventiletur res apud proprium Epiſcopum.* Ergo poſt hujus cognitionem poteſt provocatio fieri ad ſæcularia judicia.

XLVI. Concilium Agathenſe addit quoque, ut ſi pulſatus fuerit Clericus, *ipſe reſpondeat coram Magiſtratu civili, ſed ipſe non proponit.*

XLVII. Lex 7. de Epiſcopis non vetat Clericos accuſari apud Judices ſæculares, *ſed ad Curias devocari;* hoc eſt redigi in numerum curialium, & eorum muneribus onerari. Vetant enim leges, quemquam Epiſcopum curialem fieri, aut curialem Epiſcopum, lege Cod. Theod. 1. de curialibus, & agnatione tit. Cod. Juſt. c. 55. de Epiſcopis, & Novella 123.

XLVIII. Lex Valentiniani, & Theodoſii ultima de Epiſcopis renovat tantum privilegia Clericis indulta, quæ revocarat Joannes, qui tyrannidem poſt mortem Honorii ad breve tempus invaſerat.

XLIX. Denique Novella Juſtiniani 83. probat ad Præſidem pertinere de crimine Clerici judicare, ſed prius jubet, eum ab honore Sacerdotii degradari ab Epiſcopo, & ita lex iſta, non ſecus ac ceteræ, nobis nihil adverſatur.

Digitized by Google

EPILOGUS.

PErveni jam ad finem propoſiti mihi operis, quod rerum iſtarum ſtudioſis non omnino inutile futurum eſſe mihi perſuadeo. Habebunt enim illi in iſto Opere multa breviter, dilucide, atque ordine collecta, quæ in multis magniſque voluminibus diſperſa ſunt, ac plerumque indigeſta, & aliis admixta. Quippe illi, qui de his rebus ſcripſerunt licet eruditione præſtantes, non omnes iſtas quæſtiones attigerunt, & quas attigere, eas plerumque ſine ordine ac methodo pertractarunt, ſæpe etiam æſtu diſputationis in controverſias perſonarum abrepti. Huc accedit, quod nonnulli ex iis de Eccleſia non fuerunt, erroribuſque ſuis paſſim libros ſuos infecere. Quo fit, ut vix ullus Scriptor ad Theologos rerum iſtarum adhuc rudes inſtituendos reperiatur idoneus. Utrum vero id Diſſertationum noſtrarum collectio præſtare poſſit, non noſtrum, ſed aliorum debet eſſe judicium. Hoc unum affirmare poſſumus, nos ea omnia, quæ ad veritatis inquiſitionem, & erroris refutationem neceſſaria nobis viſa ſunt, ſtudioſe, & accurate collegiſſe, ac in ordinem digeſſiſſe, idque ſine odio, Deus teſtis eſt, aut adulatione. *Quibus parum, aut quibus nimium videbitur*, ut Auguſtini verbis concludam, *mihi ignoſcant; quibus autem vel ſatis eſt, non mihi, ſed Domino gratias congratulantes agant.*

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERUM, ET VERBORUM,

Quæ in Hiſtoricis de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina Diſſertationibus continentur.

ADRIANUS Papa primus inter Pontifices ſeſe temporalibus Galliæ negotiis immiſcuit. 340.

Africæ diviſio. 15.

Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi dejectio. 144.

Alexandrini Patriarchatus origo, & limites. 27.
ordinatio, & auctoritas Epiſcopi Alexandrini. 45. 50.

Anathema, vocis hujus etymologia & acceptio. 165. 166.
inter Anglorum Reges, & Pontifices diſſidia. 346. *& ſeq.*

Antiocheni Patriarchatus origo, & limites. 27. 28.

Antiochenus Epiſcopus ab univerſæ Diœceſeos Epiſcopis ordinabatur. 45. 46.

Apiarii appellatio, & quæ circa eam tum Romæ, tum in Africa geſta examinantur, & excutiuntur. 106. *& ſequentibus.*

Apoſtolorum inter ſe æqualitas, excepto Petri primatu. 194., *& ſeq.*

Appellationes a judiciis Synodorum Provincialium ad Romanum Pontificem veteri jure prohibitæ. 57., *& ſequent.*
Concilii Nicæni Canone quinto. 58. ſecundæ generalis ſecundo. 60. a Cypriano, & Afris rejectæ. 61. 105. a Concilio Antiocheno damnatæ. 61. 62. ab Orientalibus nunquam admiſſæ. 62. a Synodo Aquilejenſi improbatæ. 63. nec a Synodo Sardicenſi conceſſæ. 63. ad 71. a Gallis haud receptæ. 80. a p. 123. ad pag. 128. ab Africanis repulſæ. 79. novo jure inductæ. 84. *& ſeq.*

Arius ab Alexandro damnatus. 96.

Archiepiſcopus unde dictus. 3.
quandonam uſurpari cœperit hæc vox in Eccleſia. 4. primum inſignium tantum ſedium Epiſcopis tributa; deinde Metropolitanis omnibus. 4. & 5.

Arelatenſis Epiſcopi de primatu contentio. 18. *& ſeq.*

Aſianorum de die Paſchæ cum Romanis controverſia. 88.

Athalia regnum immerito occupavit. 295.

Athanaſius ad Julium non provocavit. 96. *& ſeq.*

Auguſtini Epiſtola, quæ olim 261. nunc 109. explicatur, 112. *& ſeq.*

Α'υτοκέφαλοι, Epiſcopi quamplures. 38. 46.

B.

BASILIDIS depoſitio, ejuſque ad Romanum Pontificem confugium. 92.

Baſileenſis Synodi de auctoritate Concilii ſanctio defenditur. *a pag.* 247. *ad pag.* 257.

Bonifacii VIII. injuſti in Philippum octavum Regem Franciæ conatus. 342.

Bonoſus accuſatus in Capuenſi Synodo ad Anyſii Theſſalonicenſis, & finitimorum judicium remiſſus. 101.

C.

CÆCILIANUS ad Miltiadem non appellavit. 95. 96.

Cæleſtius ad Pontificem appellavit. 105.
hujus appellationem irritam eſſe cenſuerunt Africani. 106.

Cæſareenſis Epiſcopi Cappadociæ jura in totam Diœceſim Ponti. 23.

Cauſæ majores, & minores. 59.
cauſæ fidei quomodo judicandæ. 141., 142.

Celidonii cauſa. 125. *& ſeq.*

Carthaginenſis Epiſcopi dignitas & jura. 16.

Childericus non eſt depoſitus a Romano Pontifice, 314.

Chryſoſtomi cauſa exponitur. 102. *& ſeqq.*
non appellavit ad Innocentium, *ibid.*
quæ geſſerit in Aſia ob Epiſcopi Epheſini

Digitized by Google

ſini ordinationem. 31. *& ſeq.*
Chriſtus ut homo non habuit regnum temporale. 266. *& ſeq.*
Clerici in civilibus ſubjecti Regibus, & muneribus publicis obnoxii, ac indulgentia tantum Regum, & Principum immunes. 365. *& ſeq.*
Communio inter Eccleſias quid, & quomodo foveretur. 154., 155.
contentum eſſe Eccleſiæ ſuæ communione, quid? 156.
Concilia: Concilii generalis infallibilitas. 224.
ejus ſupra Romanum Pontificem auctoritas. 231. *& ſeq.*
Conſtantienſis Concilii ea de re ſanctio vindicatur. 249. *& ſeq.*
uſque ad pag. 256.
Concilii Provinciæ convocandi poteſtas penes Metropolitanum. 43.
Concilii Nicæni Canon VI. exponitur. 49. *& ſeq.*
item V. 56., *& ſeqq.*
Conſtantinopolitani Canones II., & III. 29. 30.
Concilii Tridentini de judiciis Epiſcoporum ſententia. 84., 85.
Concilii Chalcedonenſis ſtatutum de Patriarchatu Sedis Conſtantinopolitanæ. 34. *& ſeq.*
Concordatorum de cauſis majoribus ſanctio. 84. *& ſeq.*
Conſtantinopolitanus Epiſcopus ordinatur a Synodo Diœceſeos. 46.
fictitius ejus primatus. 200. *& ſeq.*
Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutio, progreſſus, & limites. *a p.* 28. *ad pag.* 35.
honoris tantum prærogativa ipſi Concilii Conſtantinopolitani Canone III. collata. 29. *& ſeq.*
unde gradum ad juriſdictionem fecit. 30. 31. *& ſeq.*
hæc ipſi a Synodo Chalcedonenſi confirmata. 34.
edicto Imperatorum roborata. 35.
Bulgariam quoque ſibi adjici tentavit. 36.
Conſtantienſis Concilii de auctoritate Eccleſiæ in temporalia ſententia. 352. *& ſeq.*
Cypri Epiſcopus nulli Patriarchæ ſubditus. 38.
Cyrillus Hieroſolymitanus primus libellum appellationis dediſſe fertur. 101.

D.

DIONYSII Alexandrini apud Dionyſium Romanum accuſati defenſio. 93. 94.
Diſciplina Eccleſiaſtica.
ejus neceſſitas, & origo. 1, 2
mutationi obnoxia. *ibid.*
propter hujus varietatem non eſt temere ferenda excommunicatio. 163. *& ſeqq.*

E.

ECCLESIARUM diſtributio ad formam imperii facta. 13., 14.
ea ſummatim deſcribitur. 14.
ſpeciatim de Africa. 15. *& ſeq.*
de Gallia. 17. *& ſeq.*
Eccleſiæ poteſtas non extenditur in temporalia. 266. *al pag.* 278.
eam eſſe ſolam ſpiritualem. *ibid.*
reſpondetur objectionibus. 293. *& ſeq.*
Eccleſiaſticæ poteſtatis immediatum ſubjectum Eccleſia. 232. *& ſeq.*
Eleutherius Papa ad Montaniſtas litteras communionis miſit. 211.
Epheſini Epiſcopi jura in Diœceſim Aſiæ. 22 23.
Epiſcopus nihil ſine Clero agebat. 151.
Euſtathii Sebaſteni ad Liberium confugium. 100.
Eutherii Tyanenſis Epiſtola ſubditicia. 138.
Eutyches an appellarit, & ad quos. 131. 139.
Exarchus, quis. 5. *& ſeq.*
Excommunicatio, hujus neceſſitas. 149.
a Chriſto, & Apoſtolis commendata; ea duplex, medicinalis, & mortalis. *Ibidem*
excommunicationes mutuæ Eccleſiarum. 153.
cauſæ ob quas ferre oportet excommunicationem. 158. *& ſeq.*
cum dolore inferri debet. 160.
in quos ferri poſſit, vel non poſſit. *a pag.* 158. *ad pag.* 178.
non poteſt in plures ferri ob unius peccatum. 176.
an in mortuos ferri poſſit. 177. *& ſeq.*
effectus excommunicationis. *a pag.* 179. *ad p.* 184.

FA-

Digitized by Google

F.

FACULTATIS Parisiensis sententia de judiciis Episcoporum : ejusdem circa infallibilitatem Pontificis Romani sententia. 221.
illius Decreta de Concilii generalis auctoritate. 257., 258.
de Decreto, quod sub ejus nomine fertur in Henricum III., quid sentiendum. 354.
ejus pro Henrico IV. sententia. 345.
Flaviani appellatio exponitur. 134. *& seq.*
Fortunati, & *Felicissimi* cum Cypriano dissidium. 88.
eorundem ad Sedem Romanam confugium. *ibid.*
de *Friderici II.* Imperatoris varia fortuna, ejusque cum Romano Pontifice dissidiis. 333. *& seq.*

G.

GALLIÆ divisiones. 17. *& seq.*
institutio primatuum in Gallia. 20. *& seq.*
eorum jura. 21. *& seq.*
Gallorum Reges excommunicari non possunt. 171.
multo minus deponi, aut bonis privari. 340. *& seq.*
Gallorum in Reges suos studium. 346.
Gregorio I. afficta privilegia. 307.
Gregorius VII. primus assumpsit auctoritatem in temporalia Regum. 291.
ejus ad Imperatores deponendos machinationes. 327. *& seq.*
Gregorius II. non privavit regno Leonem Isaurum. 311. *& seq.*

H.

DE Henrici IV. Imperatoris pertinaci cum Gregorio VII. dissidio. 327. *& seq.*
Henrici V. cum Romanis Pontificibus concertatio. 328. *& seq.*
Henricus IV. Rex Franciæ Sixti V. Bulla illegitime proscriptus. 344.
Henrici VIII. Angliæ Regis dissidium narratur. 347. *& seq.*
Hincmari Episcopi Laudunensis appellatio a Gallis improbata. 145.
Hierosolymitana Sedes venerabilis. 36., 37.
honor ei collatus a Concilio Nicæno. 36.
quibus gradibus ad Patriarchatum evecta. 37.
hanc ei dignitatem confirmat Synodus Chalcedonensis. 38.
Hilarii Arelatensis Episcopi causa narratur. 123. *& seq.*
Honorii in hæresim lapsus. 213. *& seq.*

I.

IN Jansenii causa quid circa judicia Episcoporum in Gallia, & Romæ gestum. 86. *& seq.*
Illyricum inter Romanum, & Constantinopolitanum Episcopum causa dissidii. 129. 130.
de causis Illyrici. 129.
Immunitatem Clericorum beneficium Regum, & Imperatorum esse ostenditur. 356 *& seq.*
Imperii translatio quibus gradibus facta. *a p.* 318. *ad p.* 320.
Electores Imperii a quibus, & quomodo constituti. 323. *& seq.*
Indulgentia Ecclesiæ in recipiendis hæreticis ad eam revertentibus. 161.
Infallibilitas Pontificis Romani refellitur. *a pag.* 207. *ad p.* 230.
Innocentii I. in causa Chrysostomi gesta. 103. *& seq.*
Interdicta Ecclesiastica generalia quando cœperunt, & an licita. 175. *& seq.*
Joannis Talaiæ judicium. 140. 141.
Joannis XXII. lapsus. 215.
ejusdem cum fratribus minoribus contentio. 217. 218.
Judices Ecclesiastici sunt Episcopi cum Clero. 57, 151.
Judiciorum in omni societate, ac præsertim in Ecclesia necessitas, 57., 58.
de forma judiciorum Ecclesiasticorum. *a pag.* 58.
Julius Romanus Pontifex quid de appellationibus senserit, 98. 99. quid in causa Athanasii statuerit, & gesserit. 97
Juramentum Anglicanum an licitum. 348

in

in Lugdunenſe Concilium obſervationes. 336. 337.

L.

LAZARI Aquenſis Epiſcopi cauſa. 124.
Lateranenſis IV. Concilii de auctoritate Pontificum in temporalia mens exponitur. 349. *& ſeq.*
Leo Iſaurus non eſt privatus regno a Gregorio II. 311
Liberii Romani Pontificis lapſus. 212.
Litteræ communionis quæ dicebantur formatæ, quid? 124.
Litteræ peregrinantibus Clericis neceſſariæ ut ad communionem admitterentur. 154, 155.
Ludovici Pii & *Lotharii* Imperatorum exauctorationes quo pacto factæ. 320, 321. 322.
Ludovici Bavari depoſitio. 337. *& ſeq.*
Lugdunenſis Epiſc. primatus. 20.
Lupi Chriſtiani liber qualis. 58.

M.

MARCIANI Arelatenſis Epiſcopi cauſa. 89. *& ſeq.*
Marcion ob ſtuprum a Romanis Presbyteris rejicitur. 87. in hæreſim Cerdonis tranſit. *ibidem.*
Martialis damnatio. 92, 93.
Maximus a Petro Alexandrino Conſtantinopoli ordinatus in Occidentem confugit. 100.
Meletius Antiochenus Epiſcopus non provocavit ad Romanum Pontificem. 96.
Metenſium Epiſcoporum primatus. 20.
Metropolis unde dicta, & vocis hujus acceptio. 2.
Metropolitica dignitas nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis inſtituta. 9. *& ſeq.* hujus origo. 11. *& ſeq.*
Metropoles orbis denotantur. 13. *& ſeq.*
Metropoles in Africa nulli ſedi affixæ, ſed tantum ſingularis Epiſcopi ſedi. 15.
Metropolitanorum jura. *a pag.* 38. *ad pag.* 44.

O.

ORBIS Romani diviſio. 13. *& ſequentibus.*
Ordinationes Epiſcoporum a Metropolitano, & Epiſcopis Provinciæ fieri debere. 38. *& ſeq.* Metropolitanorum a Patriarchis fieri ſolebant, ſed non ubique, nec ſemper. 44. *& ſeq.* Patriarcharum a Diœceſeos Epiſcopis. *ibid.*
de *Othonis IV.* depoſitione. 332. *& ſeq*
Ozias Rex non eſt orbatus regno cum lepra percuſſus eſt. 293. *& ſeq.*

P.

PATRIARCHA, vocis hujus uſus, & acceptio. 6. *& ſeqq.* Patriarcharum inſtitutio. 10, 11. Patriarcharum limites, & inſtitutio. *a pag.* 22. *ad pag.* 38. Patriarcharum jura, & privilegia. *a pag.* 44. *ad pag.* 49. an a Concilio Nicæno inſtituti. 50. *& ſeq.*
Pauli Samoſateni damnatio. 94. 95.
Perronius non ſenſit reges poſſe deponi a Pontificibus. 342.
Petri primatus aſſeritur. 186. *& ſeq.*
Petrum non eſſe Paulo in primatu æqualem. 194.
Philippi I. & *II.* Reges Franciæ injuſte excommunicati. 172, 340.
Philippus VIII. injuſte excommunicatus. 342.
Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Civilis diſcrimina. *a pag.* 265. *ad pag.* 291.
Primas, hujus vocis acceptio. 3.
Primates Galliæ. 18. *& ſeq.*
Primatus Petri, & Romani Pontificis aſſeritur. *a p.* 166. *ad pag.* 198. in quo conſiſtat. 202. *& ſeq.*
Priſcilliani damnatio. 99
Privilegia falſo aſcripta Gregorio magno. 307.
Proculus Maſſilienſis injuſte damnatus a Zozimo. 123.
Privati, *& Prætextati* damnatio. 144.

R.

REGES excommunicari poſſe, ſed non debere. 169, *& ſeq.* Reges in tempora-

Digitized by Google

poralibus Pontifici, aut Ecclesiæ non subesse. 289. *ad finem*. eos a Deo constitui. 279. temporali pœna ab Ecclesia plecti non posse. 283. nec resistere illis licere. 285.
Rhemensis Episcopi primatus. 19.
Richelius Cardinalis libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ parum æquus. 85. adversus ejus conatum protestantur Episcopi Gallicani. *ibid.*
Rotadi Suessionensis Episcopi depositio. 144.
Romanus Episcopus, hujus Patriarchatus, & ejus limites. 24. *& seq.* ordinabatur ab Ostiensi. 44, 45. non ordinabat Patriarchas in Oriente, nec Metropolitanos in Gallia, Hispania, Africa. *ibid.* & 47. *& seq.* primatum habet jure divino. *vide Dissert. IV.* 185. non habebat olim jus admittendarum appellationum in judiciis Episcoporum. *vide Dissert. II.* 77. rejicitur ea, quæ ipsi tribuitur infallibilitas. *Dissert. V.* 207. *& seq.* eum Concilio subesse ostenditur. *Dissert. VI. a pag.* 231. *ad p.* 264. ipsum non posse Reges deponere. *Dissert. VII.* 265.

S.

SALONIUS Ebredunensis, & *Sagittarius* Vapincensis de sede dejecti. 143.
Sardicensis Synodi Canones judicia Episcoporum spectantes referuntur, & explicantur. 63. *& seq.* hos Canones numquam in Oriente, & sero in Occidente receptos fuisse probatur. 69. ab Africanis rejectos ostenditur. 69, 70.
Scheleſtrati de Concilii Constantiensis sanctione nupera dissertatio abunde refellitur. *a p.* 249. *ad p.* 256.
Schisma, quid? 156. *& seq.*
Senonensis Episcopi primatus. 20.
Siricius Romanus Pontifex non audet causam Bonosi judicare. 101. 102.
Stephanus I. Romanus Pontifex in oppositum Cypriano errorem impegit. 212.
Suburbicarias Provincias, & Ecclesias, nec intra centesimum ab urbe milliare coarctatas, nec extra Vicariatum Romæ extensas fuisse probatur, & aliter sentientium conjecturæ excutiuntur. *a p.* 53. *ad p.* 56.

T.

THEODORETUS non appellavit ad Romanum Pontificem, nec ab eo institutus est. 136. *& seq.*
Theodosius non est depositus, aut proprie excommunicatus ab Ambrosio, 305, 306.

V.

VAMBÆ Regis Hispaniarum depositio quomodo facta. 309. 310.
Victor Romanus Episcopus Asianos ob controversiam de die Paschæ a communione sua repellit. 88.
Ursi, & *Tuentii* causa.

Z.

ZOZIMUS Romanorum Pontifex Proculum Massilienſem deponere conatur. 128. hujus in causa Celestii σφάλμα 106.

Finis Indicis Rerum & Verborum.

VA1 1532664

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google